This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BX
2185
.S758
L5
1670

[illegible] 8.—1

MEDITATIONES
ſupra
VITAM ET GESTA CHRISTI,
DEIPARÆ & SANCTORUM
præcipuorum,

In ſingulos anni dies explicatæ.

à

R. P. FABIO AMBROSIO SPINOLA
è Societ. JESU,

Poſt octavam Editionem Italicam
Prima Latina.

MEDITATIONES

ſupra

VITAM CHRISTI

in

Singulos anni Dies explicatæ

à

R. P. AMBROSIO SPINOLA
è Societ. Jeſu Italicè

Nunc

à

P. JACOBO IRSING ex eadem
Societate Latinè redditæ.

PARS PRIMA.

Ab Adventu uſq; ad Menſem Junium.

Poſt octavam Editionem Italicam
prima Latina.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Caſ. Majeſtatis

FRANCOFURTI,
Sumptibus Joannis Baptiſtæ Schönwetteri.

Anno MDCLXX.

1670

A. Hyma
gt.
5-1-1923

JESU UNIGENITO
DEI & VIRGINIS MARIÆ FILIO.

TVVS ille magnus gentium Apoſtolus Paulus, cum ſe veluti aquila extuliſſet ad tertium cælum, ibique penetraſſet ſecreta, quæ revelare nefas eſt homini; ſcribens tamen ad Corinthios apertè declarat, ſe omnibus ſcientiis longè præferre notitiam quam habebat de IESV cruci affixo, hoc eſt notitiam tui: Non judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM, & hunc crucifixum. *Enimvero quid gratius in hoc exilio, quàm cogitare de te? quid porrò dulcius quàm in te mente reflexâ contemplari virtutes tuas, venerari amplitudinem tuam, amare cor tuum ſummopere bonum, atq; in illud igneas ardentiſſimi affectus ſagittas crebrius ejaculando per actionum tuarum imitationem plenam amoris inſiſtere veſtigiis tuis? ſi magnæ felicitatis eſt, poſſe ideam aliquam divinæ Majeſtatis mente formare, & ideo Patrem tuum compel-*

123278

lando dixiſti: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te. *Vnde amabo poſſumus hanc plenius haurire notitiam, quàm ex te, qui es viva imago patris æterni, & in quo perfectiones ſapientiæ & miſericordiæ ipſius ſubſtantialiter ſunt expreſſæ! Si nobis amandus eſt Deus, qui procul à ſenſibus noſtris remotus,* Lucem inhabitat inacceſſibilem, *quâ tandem meliori ratione accendetur in nobis hæc flamma quàm tecum agendo, qui ſummam ejus bonitatem nobis ſenſibilem exhibuiſti. O quàm verum eſt humanitatis tuæ dotes eximias & dulciſſimam agendi rationem ineſcare, ut ita dicam voluntates noſtras, ita ut odorum tuorum fragrantiâ non minùs ſuaviter, quàm efficaciter ſenſim illecti, felici planè commercio conjuncti cum Deo, atque uniti reperiamur: quod ſi mente revolvo beneficia quibus nos obſtrinxiſti, ea certè non ſunt tam pauca numero, vel pretio tam vulgaria, nec item mala, ex quibus ut nos vindicares, extrema pertuliſti, adeò levia judicantur, ut nobis jam liceat ſine ſummâ ingrati animi notà cogitationem ullam elicere, quæ rectà non tendat ad te. Numquid verum eſt, quòd tu ut Deus fuiſti ab æterno totus noſter, tum in remedium humanæ miſeriæ medium eligendo plenum ſummâ pietate, tum illud executioni mandando inductâ etiam humilis forma mancipii. Quodſi te ut hominem conſidero, ne unum quidem vitæ momentum elabi ſiviſti, quod non ad ſalutem noſtram procurandam direxeris. Nec ſatis fuit Patri tuo, quòd nos ſecum ut redemptor in gratiam reconciliaveris moriendo, niſi etiam, quò melius Primi parentis inobedientia deleretur, &*

nobis

nobis via ſterneretur ad cælum, te mortalibus proponeret exemplar omnibus virtutis numeris abſolutum, ut quilibet noſtrum per imitationem tui ab Adamo peccatore factus diſſimilis in ſe ipſe exprimeret mores, quos in hac vita tenuiſti, & ſuæ redemptioni cooperaretur. Deus remiſit olim mortales ad formicam, ex qua illi addiſcerent diligentiam, & curam ſalutis ſuæ: Verùm quantò major fuit ejus miſericordia, quòd te dederit nobis pro viſibili regulâ omnis noſtræ operationis, te inquam, in qua cum totus conquieſcat, ita nihil illi gratum eſſe poteſt Niſi ſenſerit ibi Jesum. *Ob eas igitur omnes rationes de quo magis æquum eſt, ut cogitemus, quàm de te? In quem ferantur animi noſtri, quàm in te? Quomodo poſſis à nobis cognoſci, niſi in mente noſtrâ verſeris; quomodo amari, niſi ſtudeamus in tui cognitione proficere; & quomodo habere imitatores tui, niſi habeas amatores? Amoris ſiquidem eſt amantes aſſimilare; propterea tu, qui nos amaſti, te nobis aſſimilaſti. Quæ cum ita ſint, ad pedes tuos humiliter advolutus offero tibi hocce amoris mei tributum, exiguum illud quidem, ſi ſpectes vilitatem offerentis, ſed magnum, quòd tu ſolus huic præbeas argumentum. Summa votorum meorum hæc, ut cuncti te agnoſcant, aliíque doctiores evadant, ubi ego poſt tot annos in ſchola religioſa conſumptos didici tam parum commodè legere, & minus intelligere, quæ in tam eximio libro continebantur. Admitte quæſo, mi IESV, deſiderium meum.* Manifeſta te mundo. *fave pietati eorum qui ſe his meditationibus excolent, ut ad tui notitiam amorémque perveniant; mibi autem*

indigniſſimo ſervo tuo, quem licet immeritum vocaſti ad ſocietatem tuam, indulge hanc gratiam, quam toto corde te rogo per viſcera miſericordiæ tuæ infinitæ, ut ſaltem in hoc ultimo vitæ meæ termino ad quem perveni, te cogitem, te ſpectem, te amem, utque præteritos errores emendans & nuntium remittens omnibus aliis negotiis ſint Hæc mihi in ore frequenter, hæc mihi in ore ſemper, hæc mea interim ſublimior philoſophia, ſcire JESUM, & hunc crucifixum.

Lectori.

HAbes hîc amice lector ephemeridem, non aſtrologicam, ſed Chriſtianam. Videbis dies anni, divino charactere ſignatos, unde poſſis non ſolùm ad tempus, ſed per totam etiam æternitatem felicitate potiri; neque eſt opinor quòd pro tuâ charitate improbes conſilium, quod inivi, liberandi ab anxiâ ſollicitudine pietatem nonnullorum, quos copia egenos reddebat. Probè noram non paucos eſſe, qui non ſine aliquo tœdio meditationi mentem applicarent, quòd eligenda ſibi quotidie foret materia meditandi: immò & lamentarentur, ut infantes filiæ Sion, non inopiam panis, ſed abſentiam ejus, qui panem jam allatum, ſuæ frangere vellet infantiæ. Hîc reperient iſtæ aves paradiſi ſine ullâ, etiam curarum expenſâ, menſam ſibi quotidie extructam, neque aliud ipſis agendum erit, præterquam cibos maſticando Spiritu nutriri, ac deliciari cum Deo. Ex his facile intelliges cauſam, cur manum adhibuerim, panno tot ſcriptorum calamis interpuncto, gratisque coloribus variegato, qui Babyloniam acum, præ cæteris commendatam, artificio ſuperarunt: non fuit igitur mea mens opus jam elaboratum novis ornamentis locupletare ſed illud in veſtes ſecare, & uſibus quotidianis accommodare materiam, quam alij perfectam quidem, ſed magis diffuſam expoſuerunt. Sic mihi debebis laborem res diſpenſandi, alijs autem rerum ipſarum gloriam non denegabis.

In hâc primâ parte complector tempus ab Adventu, usque ad menſem Junium, & quia quadrageſima, cui aſſignantur meditationes de Chriſti paſſione, non uni certæ & determinatæ diei alligatur, meditationes de Chriſti infantiâ pervenient ad nonum Martij diem, ultra quem diem principium quadrageſimæ differri nequit; quando autem quadrageſima prævertit tempus modo dictum, tunc omitti poterunt Meditationes quæ ſupererunt, & primo die quadrageſimæ dabitur initium Paſſioni hanc continuando usque ad finem hujusce primæ partis. Alteram partem, quæ ad initium uſque Adventus extenditur, primo quoque tempore tibi trademus. Idem planè obſervandum erit tempore Adventus qui modò tardiùs modò citiùs accedit.

Non eſt mihi animus tradere hic modum meditandi, le-

gi ſiquidem poſſunt quam plures, qui de eo ſcripſerunt; Hi conſulantur. Quisque facile poterit ſibi eſſe regula, ſi attendat meditationem eſſe colloquium cum Deo infinitæ Majeſtatis domino, maximi momenti negotium, ſcilicet propriæ ſalutis. Quis autem adit magnum aliquem principem, & prius ſecum non reputat quid habeat proponendum, quid concludendum, quid impetrandum? Præparato ſermonis argumento ſe confert ille ad palatium Principis, ab eoque poſcit audientiam, quam ubi impetravit, & in conſpectum admiſſus eſt, ſtatim exhibet illi humilia debiti honoris obſequia, mox negotium exponit: adjungit rationes, congruentias, preces; demum negotiatione transactâ diſcedit cum omni teſtificatione venerationis, quam debet dignitati & meritis viri, quem eſt allocutus. Simili prorſus ratione agere debes cum Deo, quem oras. Ut enim ille prius ſecum meditatur, quæ acturus eſt cum Principe, ſic tu præparare debes materiam diſtributam in puncta, ſive capita, quam meditandam ſuſcepiſti, attendendo diligenter ad ea, quæ in hac oratione conſequi & impetrare cupis à DEO. Quando manè fit meditatio, pridie ſerò præparantur puncta, quæ ante ſomnum breviter recoluntur, & manè diſcuſſo ſomno reſumuntur. Ubi tempus eſt meditandi, itur ad locum deſtinatum formato ſigno crucis, audientiæ, ut ita dicam, expoſcendæ gratiâ, ibi gradum ſigis aliquantisper, quaſi expectans, ut velum reducatur & introducaris; ac proinde tunc temporis mentem & cor levas ad DEum, & actu vivæ fidei credens Dominum præſto adeſſe ad preces tuas benignè audiendas, ad ejus præſentiam te componis, tum elicis actus reverentiæ & adorationis, genua flectendo. Genibus flexis offers totum te, & poſtulas gratiam qua poſſis ſemper, & maximè tunc temporis, omnes tuas vires atque actiones ad gloriam Majeſtatis divinæ ſyncerè dirigere. Et hæc oblatio & poſtulatio, quæ in omnibus meditationibus eſt, vocatur oratio præparatoria, quia præparat & introducit animam ad negotiandum cum Deo.

Poſtmodum ut inter meditandum ſit in promptu materia, breviter in memoriam revocatur myſterium, quod meditationi deſtinatur; & hic breviſſimus epilogus punctorum absque alio diſcurſu, nominatur primum prælūdium.

Et quia mens facile meditando diſtrahitur, ad ſiſtendam quantum fieri poterit imaginationem, effingendus erit nobis ſecundùm viſionem quandam imaginariam locus, in quo myſterium contigit, quaſi ſub oculis perageretur. Et iſtud appellatur ſecundum prælūdium, nec aliud eſt; quàm petere à DEO rem illam

lam, hoc eſt, virtutem illam, vel quidvis aliud, quod, dum te parares, tibi tanquam finem, per hanc meditationem conſequendum, propoſueras.

Poſthæc incipit Meditatio, & quia vita Chriſti eſt exemplar quod nobis imitandum eſt, in progreſſu meditationis gerere nos debemus inſtar pictoris, qui imaginem, quam ſub oculis habet, penicillo ſtudet exprimere, tollit ille oculos ad exemplar, attendit ad hoc lineamentum, ad hanc peculiarem pingendi rationem; uno verbo omnem ſuam induſtriam exerit, ut propoſitæ ſibi imaginis formam transferat in ſuam tabellam; ita omnino agendum eſt illi, qui ſpeculatur ut ait S. Gregorius Niſſ. Epiſt. 1. *Sua Quisque vita pictor eſt: artifex hujus operis eſt voluntas, colores virtutes ſunt, exemplar eſt Chriſtus.* Memoria ſub oculis ponit myſterium inſtar exemplaris, intellectus ſuo diſcurſu conſiderat perſonas, verba & opera in myſterio repræſentata, cum circumſtantiis temporis, loci, affectus, intentionis & ſimilibus. Qui meditatur poſtquam conſideravit rem, quam ſibi imitandam vel fugiendam propoſuit, ſecum ipſe cogitat, utrum habeat hoc bonum vel malum; ſi advertat ſe illud non habere, proponit voluntati bonum, ut ipſum amplectatur, illi repræſentando motiva neceſſitatis, utilitatis, delectationis, honoris, usque dum tandem rationibus cedat, & boni, quo caret, conſecutionem animo certo & confirmato decernat. Si autem deprehendat ſe laborare hoc defectu, hunc proponit voluntati, quem deteſtetur, & à ſe procul amoveat, & in hoc motu voluntatis bonum amplectentis, & declinantis à malo, præcipuus ſpeculationis fructus continetur. Finita una parte tranſitur ad alteram eodem modo.

Antequam finiatur meditatio fit unum aut multiplex colloquium, quod reſpondet officioſe orationi diſcedentis à principe, cum quo negotium tranſegit. Terminantur omnes meditationes oratione vocali, ſive ea ſit precatio Dominica, vel alia congruens perſonæ, cum quâ ſermonem habuimus. Hæc colloquia quibus DEUM vel ſanctiſſimam Virginem vel ſanctos alloquimur, gratias illis habendo, eos rogando, eis aliquid offerendo, eos conſulendo, fieri ſemper poſſunt inter meditandum quando voluntas moveri ſe ſenſit, aut ſe ipſam excitare deſiderat; Quamobrem aptè & congruenter ad finem, quem meditans ſibi proponit varias induit perſonas, modo filii agentis cum patre, modo ſervi cum domino, modo rei cum judice, modo amici cum amico, & ſimilis juxta id quod Spiritus Sanctus ſuggeret meditanti.

Fini-

Præfatio.

Finitâ oratione utile erit ſecum diſpicere, quonam modo meditatio ſeu contemplatio nobis ſucceſſerit, & ex quâ causâ id ortum ſit, quis fructus, quod propoſitum inde ſequatur, ſi mens paſſa eſt diſtractiones, ſi conſolationibus abundavit, DEO agendo gratias de bono, & ab eo veniam poſtulando de malo cum pœnitudine & emendationis propoſito, notatis breviter luminibus, affectibus propoſitis, ut ea deinde relegi poſſint & executioni mandari. Atque hæc circa praxim meditandi ſufficiat indicaſſe.

APPROBATIO.

Vidi ex commiſſione Reverendiſſimi inquiſitoris Genuæ, hunc librum Meditationum à P. Fabio Ambroſio Spinola præpoſito Domus profeſſæ Societ. Jeſu Genuæ, diviſum in duas partes, & nihil in eo, quod religioni nec bonis moribus repugnet, inveni, ideo ſentio utiliſſimum eſſe opus, ex quo unuſquiſq; ad pietatem affici & ad virtutem perfectionemq; Chriſtianam adduci poteſt. In hujus fidem ſubſcripſi. Genuæ in Domo profeſſa Soc. Jeſu vigeſimo ſexto Julij 1670.

Vincentius Juſtinianus Societ: Jeſu

Imprimatur

Inquiſitor Genuæ.

Facultas

Facultas A. R. P. Provincialis Societ. Jeſu cum Privilegio.

EGO JACOBUS RASSLER Societ. JESU per ſuperiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis poteſtate à Patre noſtro JOAN. PAULO OLIVA ejuſdem Societatis Præpoſito Generali mihi facta, permitto, ut liber qui inſcribitur Meditationes ſuper Evangelia in ſingulos anni Dies &c. ſcriptus Italicè à P. FABIO AMBROSIO SPINOLA Genuenſi, & à P. JACOBO IRSING (utroque è Societ. Jeſu) latine verſus, in lucem per typum edatur, cum à deputatis Patribus lectus probatusque ſit. Simul etiam facultatem indulgeo D. JOAN. BAPTISTÆ SCHÖNWETTER Bipliopolæ Francofurtenſi, uſurpandi privilegii Cæſarei, quo Typographi & Bibliopolæ omnes prohibentur, ne ullos libros, à quoquam è Societatè noſtrâ, conſcriptos, imprimant, recudant, aut alibi impreſſos, vel recuſos, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum ſuæ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum, fines importet, aut venales exponant, abſq; ſuperiorum prædictæ Societatis permiſſione. In cujus rei fidem manu propria ſubſcripſi, & ſigillum officii mei appoſui. Friburgi Briſgoiæ primo Julii. 1670.

(L.S.) *Iacobus Raßler.*

Medita-

Index Meditationum, I. Partis.

Meditationes LXIII. faciendæ per novem ſeptimanas ante natalitia de JESU in utero Mariæ Virginis incarnato.

Medit.		Pag.
I.	*Decernit DEus in ſua æternitate creare & ſalvare hominem*	2
II.	*Decernitur, ut una è tribus perſonis divinis hominem liberet*	4
III.	*Decernitur, ut una è divinis perſonis incarnetur*	6
IV.	*Decernitur incarnatio Divini verbi*	8
V.	*Decernitur electio Mariæ Virginis in Matrem Filij Dei*	10
VI.	*Verbum exſpectat incarnationem*	12
VII.	*Gabriel Archangelus mittitur ad Virginem*	13
VIII.	*Colloquium Angeli cum Virgine*	15
IX.	*Virgo acceptat eſſe Mater DEI*	17
X.	*De corpore IESV formato in utero Mariæ*	19
XI.	*Quale ſit Corpus IESV*	21
XII.	*De Creatione animæ Chriſti*	22
XIII.	*De Vnione animæ & corporis cum verbo æterno*	24
XIV.	*De Excellentia & perfectione humanitatis IEſu*	25
XV.	*Sanctitas IEſu in illo inſtanti*	27
XVI.	*Impeccabilitas IEſu in Vtero Mariæ*	28
XVII.	*Anima IEſu plena gratia*	29
XVIII.	*Anima IEſu ornata omnibus virtutibus*	31
XIX.	*Anima IEſu plena ſcientia*	32
XX.	*De ſeptem Donis Spiritus Sancti communicatis ſanctiſſimæ animæ IESV*	33
XXI.	*Tractatur idem Argumentum*	35
XXII.	*IEſus in utero Mariæ, lætitia Patris æterni*	37
XXIII.	*Lætitia Verbi de humanitate ſibi unita in utero Virginis*	38
XXIV.	*Spiritus Sanctus ſibi complacet in IESV*	39
XXV.	*IESVS incipit vivere in utero Virginis*	40
XXVI.	*Lætitia humanitatis ſanctiſſimæ in Vtero Virginis*	42
XXVII.	*IESVS incipit operare*	43
XXVIII.	*Puritas intentionis IEſu in operando*	44
XXIX.	*Anima IESV fruitur viſione DEI*	45
XXX.	*Beatitudo animæ IESV*	47
XXXI.	*IESVS DEum adorat,*	48
XXXII.	*IESVS DEum amat.*	50.

XXXIII.

XXXIII. Gratitudo IEſu erga DEum 51
XXXIV. IESVS benedicit Deo 52
XXXV. IESVS videt Mariam 54
XXXVI. IEſus videt alios homines 55
XXXVII. IEſus offert ſe patri 56
XXXVIII. IESVS renuntiat Beatitudini Corporis & ſe ſacrificat 58
XXXIX. De merito operum Chriſti in utero Virginis 59
XL. Occupatio verbi incarnati circa ſe in utero Virginis 61
XLI. Obedientia IESV in utero Mariæ 62
XLII. Humilitas IEſu in utero Virginis 64
XLIII Manſuetudo IESV 65
XLIV. Amor paupertatis in IEſu intra uterum Virginis 67
XLV. Patientia IEſu in utero Virginis 68
XLVI. Incommoda, quæ IEſus paſſus eſt in utero Virginis 69
XLVII. Orat IEſus in utero Virginis 71
XLVIII. Silentium docet IEſus in utero Virginis 73
XLIX. Vita IEſu in utero Virginis, ſpeculum religioſi Seceſſus 74
L. IEſus in utero Virginis Rex Regum 75
LI. IEſus in utero Virginis eſt caput hominum 77
LII. IEſus in utero Virginis Divinus legislator. 78
LIII. IEſus in utero Mariæ ſacerdos, mediator & redemptor hominũ. 79
LIV. IEſus in utero Virginis exercet officium ſanctificatoris 81
LV. IEſus in utero Mariæ vera lux mundi 83
LVI. IEſus in utero Virginis princeps pacis 84
LVII. IEſus in utero Virginis Sponſus noſter, paſtor & Exemplum 86
LVIII. IEſus erga nos Mariæ charitatem accendit 88
LIX. IEſus optat exire ex utero Mariæ 89
LX. Optat Maria, ut IEſus prodeat in lucem & naſcatur 90
LXI. Maria diſponit ſe ad pariendum IEſum 91
LXII. Profectio Virginis in Bethlehem 93
LXIII. IESVS Virgini parturienti beneficium ſua præſentia cõpenſat. 94

Prima Dominica Adventus.

I. De Decreto Incarnationis Divinæ 96
II. De primo motivo incarnationis 98
III. De ſecundo motivo incarnationis 100
IV. De tertio motivo incarnationis 102
V. De alijs motivis incarnationis 104
VI. Pater æternus dat mundo filium ſuum 107
VII. Filius ſe dat hominibus 109
VIII. De Electione Mariæ Virginis in Matrem 113
IX. De promiſſione incarnationis facta à Deo hominibus 115
X. De antiquorum Patrum deſiderio adventus ſalvatoris 118

Medit. INDEX. Pag.

XI. De tempore incarnationis exequenda 120
XII. De conceptione ſacratiſſimæ Virginis 122
XIII. De ſponſalibus ſanctiſſimæ Virginis cum ſancto Ioſepho 125
XIV. Angelus Gabriel mittitur à Deo ad Virginem Mariam 127
XV. Quomodo Virgo ſe geſſit cum Angelo 130
XVI. Reſponſum Virginis ad Angelum 132
XVII. Incarnatur Verbum æternum 135
XVIII. Affectus trium divinorum perſonarum in incarnatione 138
XIX. Affectus Virginis in incarnatione 140
XX. Affectus Angelorum in incarnatione 143
XXI. De Doloribus Chriſti in ſua conceptione 145
XXII. IEſus coanguſtatus in utero materno 148
XXIII. Occupatio IEſu in utero Virginis 150
XXIV. Ab Angelo revelatur incarnatio S. Ioſepho 153
XXV. Quomodo S. Ioſeph ſe geſſit cum Virgine, circa miſterium incarnationis 155
XXVI. Expectatio partus Virginis 157
XXVII. De beneficijs à IEſu Virgini collatis, tempore novem menſiū. 159
XXVIII. Profectio Virginis Bethlehem 161
XXIX. De Nativitate Chriſti 163
XXX. Pretioſa inſtantia nativitatis IEſu 166
XXXI. Dolores Chriſti in nativitate 167
XXXII. Quid egerint Angeli in IEſu Chriſti nativitate 170
XXXIII. Annunciatur tribus paſtoribus Chriſti nativitas 172
XXXIV. Paſtores eunt in ſpeluncam ſalutaturi Chriſtum natum 176
XXXV. De modo quem tenuerunt Paſtores ad ſanctum preſepium 178
XXXVI. De Circumciſione Domini noſtri 181
XXXVII. De cauſis, propter quas Dominus voluit circumcidi 184
XXXVIII. De Virtutibus, quas IEſus exercuit in circumciſione 187
XXXIX. De ſanctiſſimo nomine IEſu 189
XL. De Eodem Argumento 191
XLI. De Vocatione Magorum ad ſtabulum Bethlehem 193
XLII. De Magis reſpondentibus vocationi 196
XLIII. De egreſſu Magorum è patria. 198
XLIV. De Adventu & ingreſſu Magorum. 200
XLV. Quid fecerit Herodes accepto nūtio de nativitate novi Regis. 203
XLVI. De egreſſu magorum Ieroſolymis, & eorum adventu in civitatem Bethlehem. 206
XLVII. De Adoratione & oblatione Magorum. 209
XLVIII. Digrediuntur magi, & alia via revertuntur ad ſua. 211
XLIX. IEſus in præſepio docere incipit. 214
L. IEſus in præſepio magiſter paupertatis. 216
LI. IEſus in præſepio magiſter humilitatis. 219

LII.

LII. Tractatur idem argumentum. 222
LIII. IEſus in præſepio docet mundi contemptum 224
LIV. IEſus in præſepio magiſter patientiæ. 227
LV. IEſus in præſepio manſuetudinem docet. 230
LVI. IEſus in ſtabulo docet obedientiam. 232
LVII. IEſus in præſepio docet amorem erga Deum. 234
LVIII. IEſus in præſepio magiſter amoris erga proximum. 237
LIX. IEſus in præſepio docet ſanctum erga nos ipſos amorem. 239
LX. IEſus in præſepio eſt imago, in qua reſplendet infinita Dei Sapientia. 241
LXI. IEſus in ſtabulo imago omnipotentiæ divinæ. 244
LXII. IEſus in præſepio imago liberalitatis divinæ. 246
LXIII. IEſus in præſepio ſpeculum fidelitatis divinæ in exequendis promiſſis ſuis. 248
LXIV. IEſus in ſpelunca imago divini erga hominem amoris. 250
LXV. IEſus in præſepio imago divinæ Iuſtitiæ. 253
LXVI. IEſus in præſepio ſpeculum miſericordiæ divinæ. 255
LXVII. Profectio Virginis Bethlehemo Ieroſolymam. 257
LXVIII. Virgo templum ingreditur ut purificetur. 260
LXIX. De præſentatione IEſu in templo. 263
LXX. De Adventu S. Simeonis in templum. 265
LXXI. Simeon admittitur ad ulnas ſuas IEſum & Deum benedicit. 268
LXXII. De verbis Virginis. 271
LXXIII. De eodem Argumento. 273
LXXIV. De teſtimonio, quod Anna dedit Mariæ. 276
LXXV. Virgo redimit filium ſuum & contendit Nazarethum. 278
LXXVI. Herodes inſidiatur Chriſto, & quærit modum occidendi illum. 280
LXXVII. IEſus ſubtrahitur ex inſidiis Herodis. 283
LXXVIII. Angelus nuntiat Ioſepho, ut ſecedat in Ægyptum. 286
LXXIX. Monetur Virgo de Iuſſione Divina, & cum Ioſepho Itineri ſe committit. 288
LXXX. De his quæ IEſus paſſus eſt in fuga ſua, & ingreſſu in Ægyptum. 291
LXXXI. Labores IEſu in Ægypto. 294
LXXXII. Quomodo IEſus in ſua Infantia ſe gerit erga patrem æternum. 296
LXXXIII. Quomodo IEſus ſe gerit in ſua infantia erga Virginem & S. Ioſephum. 298
LXXXIV. Quomodo IEſus in ſua Infantia ſe gerit erga homines. 300.

LXXXV. Quomodo Virgo & S. Ioſeph ſe gerunt erga IEſum Infantem. 303
LXXXVI. De reditu IEſu ab Ægypto ad civitatem Nazareth. 305
LXXXVII. IEſus duodecim annos natus remanſit in templo inſciis parentibus 308
LXXXVIII. Quid fecerit IEſus tunc temporis. 310
LXXXIX. Quid fecerit Virgo cum S. Ioſepho cognitâ IEſu jactura. 312
XC. Redeunt Ieruſalem & inveniunt illum in templo ſedentem in medio doctorum. 314
XCI. Virgo modeſtè conqueritur apud IEſum & IEſus illi reſpondet. 317
XCII. De IEſu proficiente ætate, gratia & ſapientia. 320
XCIII. De ſummiſſione & obedientia quam IEſus exhibebat Virgini & S. Ioſepho. 322
XCIV. De vita IEſu ad trigeſimum uſq; annum. 325
XCV. De vita IEſu ad annum uſq; trigeſimum. 327
XCVI. Pater æternus vult, ut IEſus ametur, cujus rei nobis exemplum præbet. 330
XCVII. IEſus amatus à Sanctis. 332
XCVIII. IEſus eſt amandus quod ſit nobis conſanguinitate conjunctus. 335
XCIX. IEſus amandus eſt quia nos amat. 338
C. IEſus amandus eſt quia cupit ſe amari à nobis. 340
CI. IEſus amandus eſt quia in eo continetur omne noſtrum bonum. 342
CII. IEſus amandus eſt quia nos à gravi malo liberavit. 345
CIII. IEſus debet amari propter ingens bonum, quod nobis procuravit. 347
CIV. IEſus eſt amandus, quia pro nobis tam multa paſſus eſt. 350

De Paſſione Domini Noſtri.

Circumſtantiæ ponderandæ in particularibus myſteriis Paſſionis Chriſti 353
I. De Conſilio Divino. 357
II. Cogitur concilium contra Chriſtum. 359
III. De Cœna facta in Bethania. 362
IV. Apparatus ingreſſus Ieroſolymitani. 365
V. Chriſtus ingreditur civitatem Ieruſalem. 368
VI. De Chriſti venditione. 372
VII. Quomodo Chriſtus cum Iuda ſe geſſerit. 375

VIII. De

VIII. De Cœna Paſchali. 378
IX. De lotione Pedum. 381
X. De inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti. 384
XI. Chriſtus proditorem indicat. 387
XII. De contentione orta inter diſcipulos, quis horum videratur eſſe major. 390
XIII. De Chriſti Colloquio poſt cœnam. 392
XIV. Chriſtus ſolatur Apoſtolos. 395
XV. De oratione Chriſti ad Patrem. 397
XVI. IEſus è cœnaculo & ex Vrbe Ieruſalem egreditur 400
XVII. IEſus prædicit Diſcipulis ſcandalum & hortum ingreditur. 402
XVIII. De triſtitia Chriſti in horto. 405
XIX. De eodem argumento. 407
XX. De oratione in horto. 410
XXI. De ſudore ſanguinis. 413
XXII. Chriſtus obviam it hoſtibus ſuis. 415
XXIII. De Oſculo Iudæ 418
XXIV. Ieſus ſe manifeſtat militibus, eoſq; in terram dejicit. 420
XXV. Petrus Chriſtum defendit & ab ipſo Chriſto reprehenditur. 423
XXVI. De captura Chriſti. 426
XXVII. Chriſtus primùm Annæ, poſtea Caiphæ præſentatur 429
XXVIII. Chriſtus interrogatus à Pontifice alapam accipit. 432
XXIX. Chriſtus interrogatur à Caipha & condemnatur. 434
XXX. De negatione Petri. 437
XXXI. De injurijs Chriſto illatis in domo Caiphæ per reliquum noctis. 440
XXXII. Continuatio ejuſdem materiæ. 442
XXXIII. Siſtitur Chriſtus Pilato. 445
XXXIV. Iudas deſeſperat. 448
XXXV. Chriſtus ducitur ad Herodem. 451
XXXVI. Barrabas prælatus eſt Chriſto. 453
XXXVII. Flagellatio Chriſti. 456
XXXVIII. Chriſti Coronatio. 459
XXXIX. Pilatus monſtrat Ieſum populo. 462
XL. Pilatus de novo agit de liberatione Chriſti. 464
XLI. Chriſtus condemnatur ad mortem. 466
XLII. Crux offertur Chriſto. 469
XLIII. Egreſſio Chriſti in montem Calvariæ. 471
XLIV. De præcedentibus crucifixionem. 473
XLV De Crucifixione Chriſti. 475
XLVI. De Virgine Cruci aſſiſtente. 477

XLVII. De primo Verbo Chriſti, de diviſione veſtium, de opprobriis. 480
XLVIII. De converſione boni latronis & damnatione mali. 482
XLIX. De tertio, quarto & quinto Verbo Chriſti. 484
L. De ultimis Chriſti verbis, & ſanctiſſima morte. 486
LI. De perfoſſo Chriſti latere. 488
LII. Chriſtus de Cruce deponitur. 490
LIII. Sepultura Chriſti & ſolitudo Virginis. 492

Dominica Reſurrectionis.

I. De vana Iudæorum diligentia impediendi Reſurrectionem Chriſti. 495
II. Anima Chriſti deſcendit ad lymbum. 497
III. Reſurgit Chriſtus. 499
IV. Quomodo Reſurrectio Chriſti fuerit convenientiſſima. 501
V. De qualitate corporis Chriſti Reſurgentis. 503
VI. De vulneribus à Ieſu retentis in corpore glorioſo. 506
VII. Chriſtus apparet ſanctiſſimæ Virgini. 508
VIII. Acceſſus ſanctarum mulierum ad ſepulchrum. 510
IX. Angelus nunciat ſanctis mulieribus Reſurrectionem Chriſti. 517
X. Mulieres viſa referunt Apoſtolis. 515
XI. Petrus & Ioannes eunt ad ſepulchrum. 517
XII. IEſus apparet Magdalenæ. 519
XIII. Continuatio Apparitionis Chriſti ad Magdalenam. 521
XIV. Chriſtus apparet aliis mulieribus. 524
XV. De Iudæorum Cura obſcurandi Reſurrectionem Domini. 526
XVI. Apparet Chriſtus Petro. 528
XVII. Chriſtus aſſociat ſe duobus Diſcipulis in Emaus euntibus. 531
XVIII. Interrogatio Chriſti & reſponſio duorum diſcipulorum. 533
XIX. Dominus manifeſtat ſe duobus diſcipulis. 535
XX. Apparet Apoſtolis, abſente Thoma. 538
XXI. Dominus manducat cum Apoſtolis. 540
XXII. Continuatur eadem apparitio Chriſti. 543
XXIII. Chriſtus dat poteſtatem remittendi peccata. 545
XXIV. De obligatione confitendi peccata ſacerdoti, à Chriſto conſtituta. 547
XXV. Thomas docetur ab Apoſtolis de reſurrectione Chriſti. 549
XXVI. Chriſtus apparet Apoſtolis præſente Thoma. 551
XXVII. Applicatio quinque ſenſuum ad quinque Chriſti vulnera. 553
XXVIII. Apparet Dominus Diſcipulis piſcantibus. 555

XXIX. *Manifeſtat ſe Dominus diſcipulis piſcantibus.* 557
XXX. *De eadem Apparitione.* 559
XXXI. *Confirmat Chriſtus Petro Vicariatum & principatum Eccleſiæ.* 561
XXXII. *Prædicit Dominus Petro Martyrium.* 564
XXXIII. *Apparet IEſus in monte Galileæ pluſquam quingentis diſcipulis.* 566
XXXIV. *Chriſtus Apoſtolos ad convertendum mundum deſtinat.* 569
XXXV. *Continuatur Inſtructio facta Apoſtolis.* 571
XXXVI. *Chriſtus promittit manere nobiſcum uſq; ad finem mundi.* 573
XXXVII. *De ultima Chriſti Apparitione Apoſtolis facta.* 575
XXXVIII. *IEſus conſolatur Apoſtolos.* 578
XXXIX. *IEſus adducit diſcipulos in montem Oliveti.* 580
XL. *De Aſcenſione Chriſti in Cælum.* 582
XLI. *De ſermone ab Angelis facto.* 584
XLII. *De reditu Apoſtolorum Ieroſolymam.* 587
XLIII. *De ingreſſu Chriſti in Cælum.* 589
XLIV. *De maieſtate, ad quam fuit exaltata humanitas IESV.* 591
XLV. *Quantum nos iuvet Aſcenſio Chriſti in cælum.* 593
XLVI. *Alij fructus, quos in nobis adducit Aſcenſio Chriſti.* 596
XLVII. *De noſtra aſcenſione ſpirituali.* 598
XLVIII. *De Apoſtolorum occupatione hoc tempore.* 600
XLIX. *De præparatione Apoſtolorum & aliorum ad adventum Spiritus ſancti.* 602
L. *De Adventu ſpiritus ſancti.* 604
LI. *De eodem Adventu Spiritus ſancti.* 607
LII. *De communicatione Spiritus ſancti Apoſtolis facta.* 609
LIII. *De effectis Spiritus ſancti in Apoſtolis.* 611
LIV. *De Apoſtolorum egreſſu ex cænaculo.* 613
LV. *Sermo S. Petri, & facta converſio.* 616
LVI. *De vita fervente primorum Chriſtianorum.* 618
LVII. *De unitate divinæ Eſſentiæ & perſonarum trinitate.* 620
LVIII. *De Perſona æterni Patris.* 623
LIX. *De Perſona filii.* 625
LX *De Perſona Spiritus ſancti.* 627
LXI. *De modo, quem Chriſtus tenuit in inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti.* 630
LXII. *De magno amore, quem nobis oſtendit IEſus in inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti.* 632
LXIII. *De Chriſti erga nos amore ſemper in hoc Sacramento præſentis.* 635

LXIV. *Quomodo Euchariſtia ſit magna Cœna juſtis animis à Chriſto facta.* 637

LXV. *De gratiis quas accipit dignè communicans.* 640

LXVI. *De familiaritate, quam monſtrat IEſus in hoc Sacramento.* 645

LXVII. *Sanctiſſimum Sacramentum exemplum eſſe virtutis.* 646

LXVIII. *Quomodo Sacramentum ſit memoriale paſſionis, pignus gloriæ, & compendium mirabilium.* 648

LXIX. *De dignitate Communicantis.* 651

LXX. *Quam damnoſum ſit indignè accedere ad SS. Sacramentum.* 653

MEDITATIONES LXIII.

Faciendæ per novem ſeptimanas ante Natalitia, de IESV in utero Mariæ Virginis incarnato.

NIhil Deus operatus eſt majus, quàm cum fecit, ut idem eſſet & homo, & Deus; & licet iſtud intra breviſſimum tempus impleverit, cum ex puriſſimo ſanguine B. Virginis, formato corpuſculo, & animâ creatâ utrumque univit perſonæ Verbi, opus tamen elaboravit ita magnificum, totque ornamentis ditavit, ut materiam laudis & admirationis per totam æternitatem beatis mentibus ſit ſubminiſtraturum, ſicque nobis miſeris mortalibus opus eſt longâ admodum, attentâ & profundâ conſideratione, ſi velimus illud utcunque cognoſcere non poſſumus uno oculi intuitu deprehendere divitias donorum & gratiarum, quibus Deus cumulavit animam JESU; non valemus levi cogitatione complecti gratitudinem animæ JESU, quâ divinis beneficiis reſpondit; imperia, quæ ſuſcepit implenda; tormenta, quibus noſtrâ cauſâ ſe obtulit. Nec primis illis novem menſibus defuerunt Jeſu dolores, quos illi peperit anguſtia loci, incommoditas ſitus, arcti carceris obſcuritas, in quâ vixit, propter plenitudinem ſcientiæ; quâ in re diſſimilis fuit aliis infantibus, quorum formam referebat. Quæ cum ita ſint, grati animi benevolentia poſtulat, ut ſi Deus paſſus eſt, nos ſaltem illi mente compatiamur, & ad illum adeamus cogitatione, dum in carcere materno

per novem menſes incluſus detinetur, ne poſſit jure conqueri de nobis,& unicuique noſtrum dicere, *In carcere eram, & non veniſtis ad me.* Ad renovandam igitur tanti beneficii memoriam tres & ſexaginta meditationes expoſui,quæ per novem ſeptimanas ante natalitia uberem hujuſce myſterii materiam animarum pietati ſubminiſtrant. Qui meditabitur,imaginari debebit,ſe verſari in domunculâ ſanctâ Nazarethi,ubi Virgo ab angelo ſalutata Verbum æternum concepit. Hæ meditationes incipient die 23.Octobris; ab eo enim die uſque ad 25.Decembris novem ſeptimanæ computantur.

Dies XXIII. Octobris.

Prima Septimana

MEDITATIO I.

Decernit Deus in ſua æternitate,creare & ſalvare hominem.

ORatio præparatoria hujus & reliquarum ſequentium meditationum eſt, quâ petimus gratiam à Domino,ut vires atque operationes noſtræ omnes ſincerè ad ejus gloriam & cultum tendant,& præſentem meditationi mentem applicemus.

Primum præludium per modum hiſtoriæ erit, breviter memoriâ repetere quomodo Deus, cum deliberaſſet creare hominem, eumque jam propter peccatum videret condemnatum,ipſius liberationem decreverit.

Alterum præludium erit, imaginatione conſpicere tres perſonas divinas de creatione & ſalute hominis deliberantes.

Tertium erit, rogare Dominum, nobis ut gratiam concedat, quâ tantæ & tam piæ ejus charitati amore noſtro & obſequio reſpondeamus.

Pun-

Punctum primum erit, mente perpendere, quomodo DEUS exiſtens trinus in perſonis, & unus in eſſentiâ, fruebatur ab æterno infinitâ beatitudine, quam in ſe ipſo continebat, affluens omnibus bonis, & à nullo dependens. Sed quid? ut utar noſtro loquendi modo, contenta non erat bonitas illa immenſa ſtare intra terminos hujuſce felicitatis interminatæ; quare, nec ullius egens, nec ambiens imperium ſuum exercere in creaturam, ſed flagrans deſiderio communicandi ſua bona, ſtatuit, extra hunc alveum exire, ripas illas exundando ſuperare, & condere geminam creaturam, alteram totam ſpiritum, nempe angelicam, alteram vero ex ſpiritu & corpore conſtantem, hoc eſt, humanam, eamque producere, ut poſt exhibita debitæ ſervitutis obſequia clarè gauderent divino conſpectu, & eadem, quâ DEUS ipſe, beatitudine perfruerentur. Quam animi grati teſtificationem debes tu DEO, qui nullâ habitâ ratione utilitatis ſuæ conſilium cepit, ex quo tanta utilitas, tantaque gloria redundavit in te? Quomodo cor tibi eſſe poteſt quod adeo liberali, benevolo & æterno benefactori æternum non mancipes? attamen quàm longè alio modo & operaris & vivis?

Punctum ſecundum. Attende quâ ratione Deus prævidit fore, ut multi ex angelis tot naturæ & gratiæ donis ditati ſponte ſe ſubducerent à debita ſuo Creatori reverentia; quare ſumma cum æquitate decrevit, ſupplicium ab illorum inobedientia ſumere, eosque quantumvis numeroſos multisque donis auctos ſine ſpe veniæ addicere flammis inferorum, ut cruciatuum æternitatem ſubirent, qui tam parvo labore noluerant ſibi gloriæ æternitatem comparare. Attende in-

ſipientiam iſtorum angelorum; certe tua non eſt minor, dum leviſſima de cauſa recedis à Deo, ſimulque ex primo iſto ſupplicio addiſce, quantum diſplicecat Deo peccatum; & tu illud tam parvi facis.

Tertium. Adverte pariter quòd poſtquam culpâ primi hominis poſteri omnes fuiſſent cœlo privati jamque juſtitia vindex injuriæ moliretur ſupplicium, quo ſatisfieret honori divino, patrocinante Miſericordia & cauſante miſeram luti noſtri conditionèm, & excluſionem totius naturæ humanæ à conſpectu divino, non tam ex propria uniuscujusque voluntate ſecutam, quàm ex alienâ, atque ex fraude maligni ſpiritus, qui per ſummum divinæ Majeſtatis opprobrium volebat ſui ſupplicii habere conſortes, decretum fuit in illo cœleſti conceſſu, ut homini remedium adhiberetur & ſatisfieret divinæ juſtitiæ. Quantum debeo huic decreto, tam miſericordi, tamque antiquo, quo Deus compatitur miſeriæ hominis, qui ſui creatoris conſpectu æternùm privandus erat. Quanto in pretio habere debeo amorem tam immenſum? quantum illi confidere? quam fideliter eidem reſpondere? & tamen quantum ego ab hoc officio recedo?

Colloquium erit, imaginari, ſe audire Deum has voces proferentem. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miſerans tui.* Te ſemper amore ſum proſecutus tibi compaſſus, ſtatui nunquam tibi deeſſe, te ad me traxi. Reſpondebis, quæ ſuggeret mens & affectus.

Pater. Ave.

XXIV. Octobris.

MEDITATIO II.

Decernitur, ut una è tribus divinis perſonis hominem liberet.

Præludia, ut in Meditatione præcedenti.

Pun-

PUnctum primum. Cum decreta eſſet hominis ſalus, venit in conſultationem, num remittendum foret Adami peccatum num homo reſtituendus in priſtinam amicitiam, & tot pœnæ poſteris condonandæ: Sed fuit rejectus hic modus, non quòd eſſe non poſſet, ſed quod minimè congrueret ſatisfactioni, quæ divinæ juſtitiæ debebatur. Attendes, iſtud demum peccatum non fuiſſe actuale, ſi ſpectes poſteros adhuc non exiſtentes, Deum tamen noluiſſe, ut ſine ſatisfactione hominibus condonaretur hæc noxa, quæ aliena potius erat, quàm propria: neque pariter tibi eſſe condonanda peccata, quæ tu ipſe admittis niſi Deo pro his ritè ſatisfacias cum tibi primum remiſſum non fuerit, in quo culpæ minoris es reus. Quid eſt igitur? quamobrem ſeriò non cogitas de ſatisfactione, te collige, luge errores, repete à te pœnas, ſine quibus peccata non delentur.

Secundum. Conſultarunt divinæ perſonæ, utrum expediret, condi puram aliquam creaturam, ex eaque multâ gratiâ & donis ornatâ nomine generis humani qualemcunque ſatisfactionem admittere? verùm hic modus à divina juſtitia non fuit acceptatus, quòd nimirum ſatisfactio minor eſſet offensâ, nec poſſet pura aliqua creatura tanto honore Deum afficere, quanta erat offenſa, quam illi mortalis intulerat. Cur pudore non frangeris, dum tecum cogitas, quàm exiguum ſit illud omne, quo ſatisfacis Deo? nihilominus illud màgnum quid tibi videtur. Huc accedit, quòd amor divinus hoc genere ſatisfactionis contentus non erat, cum nollet ut homini præberetur occaſio dividendi cordis affectum, quem ſibi totum reſervabat, & vocandi in partem creaturam illam, quæ pro homine ſatisfaciebat. Vide, quantâ zelotypia Deus accendatur erga cor tuum, & tu quàm avarè illud præbeas Deo, utque illo invito admittas alias creaturas,

& tuum amorem à Creatore removeas. Erubeſce ac ſtatue, ut in poſterum non deneges te totum, illi, qui te totum ſibi deſiderat.

Tertium. Conſidera decretum fuiſſe, magis congruere, ut DEUS uniretur naturæ rationali, & reddendo operationes hujuſce naturæ unitæ cum perſonâ infiniti valoris ſatisfaceret abundè juſtitiæ divinæ, & idem creator ſimul ac redemptor exiſteret. Attende, quàm neceſſaria fuerit ſatisfactio, quæ niſi DEUS interveniſſet, æquare non poterat injuriam illatam ab homine; & exiſtimas offenſam Dei nullius eſſe momenti? Ita leviter tangeris gravitate injuriæ, quæ tamen infinitatem participat: Attende præterea DEI charitatem erga hominem. Quod enim, amabo, majus beneficium poterat illi conferre, ſi fidem ſibi ſervaſſet, quàm illud, quod eidem contulit poſtquam fidem violavit, quando decrevit hominem per ſe ipſum liberare? Gratias ages tantæ clementiæ, & ſummopere cupies totum te eſſe illi, qui cæteris aliis beneficiis ſe ipſum in donum adjunxit.

XXV. Octobris.

MEDITATIO III.

Decernitur, ut una è divinis perſonis incarnetur.

Præludia ſunt eadem.

P*Unctum primum.* Conſidera poſtquam à tribus perſonis divinis eſſet decretum, ut una ipſarum uniretur naturæ rationali, deliberatum eſſe num illa aſſumere deberet naturam angelicam, cujus actiones meritoriæ ſatisfacerent pro genere humano, illudq; redimerent: Et licet Deus hac ratione potuiſſet hominis ſalutem afferere, eam tamen rationem abjecit; nolebat ſcilicet, Dæmonem, qui ſpiritus erat, per naturam æqualem & totam ſpiritum ſuperari, ſed per aliam

ordinis

ordinis inferioris quò majore ignominiæ notâ afficeretur. Vide, quoties omiſiſti victoriam reportare de Dæmone, toties Dæmonis ignominiæ pepercisti, dum ille graviter tuliſſet, ſe ab inferiore & viliore creaturâ fuiſſe proſtratum. Ab hac cogitatione animos ſume, quibus ſuperes tentationes omnes, quibus ille te oppugnat, & diligenter attende, ne à tuâ ſenſualitate vincaris. Inſuper non ſatis erat Deo, liberare hominẽ, niſi daret illi redemptorem viſibilem (qualis non fuiſſet, ſi naturam angelicam aſſumpſiſſet) ut poſſemus agere cũ illo, intueri ejus actiones, imitari exempla. O quantas, Domine, tibi debeo gratias rependere pro tam bono redemptore, inſtructore, præceptore! quanto debeo pudore ſuffundi, quòd actiones meas ad aliã regulã direxerim, easq; alterius, quàm tuo cõformarim exẽplo!

Secundum. Expende, quomodo fuerit ſtatutum, ut una è divinis perſonis uniretur naturæ humanæ, cum quâ Deus fieret homo, & beneficio iſtius unionis homines haberent Deum pro fratre, ſalvarentur per hominem DEUM, & actionibus humanitatis unitæ cum perſonâ divinâ plenè & integrè divino numini ſatisfieret. O conſilium, O decretum inexplicabile, & ante hunc diem inauditũ. Quis illud cogitare potuiſſet, quis ſperare? quàm aptè Sanctus Paulus dixit, *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos!* Ecqua tandem ratione poſſum ego dignas tibi gratias rependere, ô ſanctiſſima Trinitas, propter tam ſtupendam & amoris pleniſſimam inventionem? Tibi gratias agant creaturæ omnes; ſed quia totum hoc præ meritis tuis nihil eſt, admitte gratiarum actionem, quam iſte homo-Deus à te pro noſtro redemptore deſtinatus tibi aget nomine noſtro. O charitatem Dei inenarrabilem! ſi homo fideli animo ſemper fuiſſet in Deum, quo beneficio poterat Deus hominem devincire, quod majus eſſet eo, quod illi conferre decre-

vit,cum humanam naturam deſtinavit aſſumere? Tamen quantâ verecundia percelleris, ſi pauliſper attendis, quàm parvo in pretio habeas iſtud beneficium?

Tertium. Conſidera,quòd hac ratione Deo plenè ſatisfecerit eadem ipſa natura,quæ illum offenderat. Cogita, quàm formidare debeas juſtitiam divinam. Peccatum ferre noluit impune, tu ergo ſperare non potes,quod Deus nolit ſibi à te ſatisfieri pro vitiis & ſceleribus,quibus te contaminaſti.Nihilominus quàm parùm ad illud mentem advertis,quàm parum ſollicitùm animum geris de placandâ irâ Divinâ. Heu me miſerum, novis quotidie ſceleribus me obſtringo,& eorum non recordor; ſed recordatur Deus qui à te exiget vel in hac vitâ ſatisfactionem, vel in aliâ ſupplicium. Si ſcirem imitari decretum Dei! voluit,ut una natura humana ſatisfaceret pro hominibus, qui ipſum offenderant, & ego, qui illum offendo, omni ope eniti non debeo,ut ipſi ſatis faciam?

XXVI. Octobris.

MEDITATIO IV.

Decernitur incarnatio Divini Verbi.

Praludia ſunt eadem.

P*Unctum primum*. Cum ageretur in hoc divino conſeſſu,quænam è tribus perſonis deberet incarnari,verbum æternum,quod eſt ſapientia Patris,prævidens hominem affectaturum eſſe divinitatem,cupiditate nihil ignorandi, dixit ad ſe pertinere redemptoris officium,ut Patri redderet hominem, qui ſui quaſi occaſione perierat,hoc eſt,ſub ſpecie aſſimilandi ſe illi per cognitionem & ſcientiam; ſicque ſtabilitum fuit, ut filius incarnaretur, noſtramque ſecum humanitatem copularet.Ergo noſtrum remanſit verbum jam ab æternitate nobis datum; ergo jam ab æ-

terno,

terno lata fuit lex, ut Deo gloria aliquando concilia-retur, hominis non ſupplicio, ſed libertate, modoque tam ſublimi, ut illum verbis conſequi nullus queat. Quid non debes conſilio amoris pleniſſimo? ſi per totam æternitatem ſtares ſemper ore aperto, adorando, gratias habendo & te totum impendendo in benedicendo, & laudando cum omnibus creaturis, quæ ſuas tibi vires commodarent, cum omnibus cordibus, cum omnibus affectibus, quid hoc eſſet, ſi cum meritis Dei, & munere debito componeretur? nihil planè; quid jam erit de te, qui tam parcè agis cum Deo, & illi tam pauca largiris? erubeſces, & animum induces, reſpondere cum tuo exiguo amore, amori tam magno & conſilio tam antiquo, tamque noſtri ſtudioſo.

Secundum. Conſidera, quomodo vi iſtius decreti certum fuerit & deliberatum, ut Filius Dei fieret homo, & homo Deus evaderet, & ad tantæ dignitatis faſtigium promoveretur. Vide & attenta mente perpende, quodnam fuit illud conſilium, quamque honorificum omnibus nobis; ut una natura humana ſimilis noſtræ uniretur tam ſtrictè & copularetur cum Verbo æterno, & quod neceſſario conſequitur, humanitas noſtra ad Dei cognationem & affinitatem elevaretur. Nos igitur auĉti honoribus plusquam regiis, annon inire deberemus vitæ rationem tam ſublimi dignitati congruentem? annon abhorrere ab eo omni, per quod poſſemus à tàm illuſtri nobilitate degenerare? Attamen quàm parvi facimus amplitudinem illam dignitatis & generis, quantâ cum facilitate cor noſtrum ſe deprimit ad terreſtres affectus & ad deſideria minimè generoſa! *Agnoſce dignitatem tuam, divinæ conſors factus naturæ.* Vitam inſtitue dignam viro, cujus ſtirps, cujus ſanguis, cujus familia tam illuſtri affinitate nobilitatur.

Tertium punctum erit conſiderare, decretum fuiſſe, ut filius incarnaretur pro ſalute omnium hominum non generatim ſolùm atque universè, ſed pro omnibus & pro unoquoque privatim, imò pro quolibet, ac ſi foret ſolus, ut ajebat Apoſtolus Paulus. *Dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Igitur ab æterno te privatim amavit, & videndo te reum, in ſua æternitate decrevit, dare ſe totum tibi, & ſuum adventum, quemadmodum reliqua omnia, ad tuam ſalutem direxit, quaſi duntaxat res tuæ eum tangerent. Perpende, quantum debeas huic amori; perpende, ut ad diſſolvendum æs alienum, quod contraxeras, Deus ſe obſtrinxit ad id omne, quod ab æterno pro te præſtare decrevit, & poſtmodum executioni mandavit. Quod retribues Deo pro iſto amore? quàm tenue, quàm exiguum erit ſemper, quod præſtabis, & tamen magno in pretio habes, quicquid facis, quantumvis contemnendum: omnia ad circinum exigis, omnia metiris, omnia parcè & reſtrictè facis: ſi dando te totum nihil das, quid erit, hoc ipſum negando? Te collige, debitum agnoſce omni ope contende, ut tuo benefactori reſpondeas, non quod poſſis, ut par eſt, ejus meritis reſpondere, ſed ne omittas dare, quod habes & potes.

XXVII. Octobris.

MEDITATIO V.

Decernitur electio Mariæ Virginis in matrem Filii DEI.

Præludia erunt eadem.

P*Unctum primum.* Expende quomodo Verbum æternum cum poſſet uniri humanitati à DEO creatæ, qualis fuit Adamus, noluit tamen, & decretum fuit, ut ad noſtrum lutum illæ deſcenderet, ut eſſet filius hominis, ut is matrem haberet in terra,

Patrem habebat in cœlo, & liber à culpa Adami, ex Adami ſtirpe prodiret. Vide, quantum ſe abjecit, usque eò, ut veſtiret ſe ſacco noſtro, inſolitum quid videretur, ſi rex aliquis vellet poſt mortem efferri publicè ad ſepulchrum indutus veſte alicujus familiæ religioſæ. O profundiſſima abyſſus conſiliorum DEI, qui voluit aſſimilari nobis & inter ſuos avos enumerare peccatores homines & miſerabiles! Attende quantum ille ſe deprimat, ut te elevet, quantâ in culpâ ſis, quòd non ames Deum, qui non ſolum factus eſt tuus, ſed factus in *ſimilitudinem hominum*, adeò ſimilis tibi.

Secundum. Attende ex omnibus fœminis electam fuiſſe MARIAM à divinis perſonis, ut eſſet mater DEI, ex qua verbum carnem humanam aſſumeret, operâ Spiritus Sancti & in hunc finem decretum fuiſſe à divino illo conceſſu, ut illi diſtribuerentur omnes theſauri gratiæ, omnia dona ſupernaturalia, omnis innocentia & ſanctitas & gloria, quæ altiſſimum & quaſi infinitum Matris Dei titulum condecerent. Ita ut quemadmodum verbum humanatum omnium hominum pater eſſe debebat, ita illa foret eorum mater, & ſicut ejus filius futurus erat noſter ductor, ita illa eſſet ſollicita noſtram cauſam promovere, nosque ducere ad eumdem Deum. Tecum cogita, quanti facere debeas Virginem, quantum illi fidere, in eaque ſecundum Deum ſpes omnes tuas collocare. Quàm ſingulari beneficio obſtrictus ſis Deo, quod ſibi eligendo Matrem in terrâ, conſtituere voluerit pro te matrem miſericordiæ: ſummâ lætitiâ perfrueris, quod Maria electa ſit in matrem Dei, quod tot gaudeat privilegiis; totque donorum ſpiritualium theſauris ſit locupletata, optando ut te ſemper ſuæ miſericordiæ participem faciat.

Tertium. Conſidera decretum fuiſſe à divinis perſonis,

ſonis, ut verbum aſſumeret carnem humanam, ſed ſimul mortalem, paſſibilem, omnibus miſeriis humanis obnoxiam, & moriendo ſatisfaceret divinæ juſtitiæ pro offenſa, qua homo læſerat Deum, ita ut licet quælibet actio verbi incarnati infinitis mundis redimendis ſufficeret, non redimeretur tamen homo, nec cœlum aperiretur donec mortem ſubiret pro homine. Attende quantum hæc infinita majeſtas ſe abjecit. Ego peccabam, & Deus ſe peccatis meis debitas pœnas perſoluturũ ſtatuebat: ego ſuperbiebam, & ille ſe demittebat non tantum ad hominis conditionem, ſed etiam ad irriſiones hominum & opprobria, quibus objiceretur; ego nolebam obedire, & ille paratus erat obedienter mortem ſubire, cumque Mundus redimi poſſet ſine hac morte; ſtipulabatur tamen, ſe plenè non ſatisfacturum, niſi moreretur. Examina pariter quanti Deo conſtitit peccatum tuum, quod forte adeo leve exiſtimas. Illud deteſtare & ſtatue ſatisfacere Deo, & nunquam amplius peccare.

XXVIII. Octobris.

MEDITATIO VI.

Verbum expectat incarnationem.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo poſt incarnationis decretum tres perſonæ divinæ manſerint per totam æternitatem ſibi complacendo in hoc decreto tam liberali, tam utili, & honorifico homini, & tibi in particulari, ſibique ſemper complacuerint, contemplando verbum carne humanâ indutum, hoc eſt, JESUM, in utero MARIÆ tibi conceſſum. Vide, quanto beneficio te deberet obſtringere, non tantum bonum, quod tibi conferunt, ſed voluptas etiam æterna & nunquam intermiſſa, quam in eo tibi conferendo perceperunt. Gratias illis ages, quod te amo-

re

re tam ardenti proſequantur. Erubeſces, quòd pro Deo præſtes tam pauca, eaque admodum ægre. Propone, te deinceps cuncta emendaturum.

Secundum. Verbum æternum ſtetit per totam æternitatem in ſinu Patris, expectando hoc momentum, quo in utero Mariæ hominis formam indueret. Ergo per totam æternitatem Deus nihil aliud expectavit, quàm bene mereri de me, quàm dare ſe mihi, & per hoc deſiderium manſit ille mihi ab æterno conſecratus, &, ut ita dicam, obſtrictus. Te pudebit, quòd tam parum procuraris gloriam illius Dei qui per totam æternitatem tuam ſalutem deſideravit. Dolebis de præterito, & jam nunc firmiter ſtatues te deinceps per totam æternitatem fore totum Deo ejusque gloriæ conſecratum.

Tertium. Perpende quomodo condito mundo, cum verbum æternum cerneret tempus adventare conſilio exequendo deſtinatum, exultaturum eſſet, ſi novam voluptatem potuiſſet admittere: ita exæſtuabat deſiderio videndi ſe ſtrictiſſimè unitum cum homine nobis conceſſo. Quantum debes affectui adeo ſingulari & liberali. Quantum indies magis ac magis, ut huic officio ſatisfaceres, augere deberes deſiderium conſecrandi te totum Deo. Et tamen multiplicantur anni, tranſit tempus, & iſte affectus eo ſemper magis decreſcit. Erubeſce, & ora enixe Verbum æternum, ut tibi gratiam concedat, quà demum à te ſpiritualem languorem excutias.

XXIX. Octobris.

MEDITATIO VII.

Gabriel Archangelus mittitur ad Virginem.

Oratio præparatoria eſt eadem.

PRimum *Præludium erit.* Imaginari, ſe ingredi cubiculum Virginis, quæ preces fundit ad Deum oratque,

que,ut dignetur mittere Salvatorem. Attende modeſtiam Virginis & Angeli reverentiam.

Secundum erit, mente ponderare ingens beneficium, quod per incarnationem Deus homini contulit.

Punctum primum. Cum Pater æternus Incarnationem filii differret, ut mundus ſuam miſeriam agnoſceret, & remedium exoptaret, eò pejores evadebant mortales, cumque ex altera parte beatiſſima virgo tantopere ab eo dilecta gratiam ardentiſſimè poſtularet, *Recordatus miſericordiæ ſuæ* non amplius diſtulit & Virginis preces exaudivit. Vide, quantum debeas, hinc miſericordiæ divinæ, quæ totius mundi demeritorum torrentem creſcentem indies ſuperavit, illinc precibus Virginis enixè divinam bonitatem ſollicitantis. Utrique gratias habebis propter tam ſingulare beneficium.

Secundum. Ad exequendum decretum æternum Deus delegavit Archangelum Gabrielem, ad Virginem abjectam, pauperem, ignotam, nullius æſtimationis apud homines, habitantem in uno angulo Judeæ, domi concluſam, ſed theſauris cœleſtibus abundantiſſimè locupletatam, qui eam ſuo & totius mundi nomine invitaret ad volendum unà cum ſanctiſſima Trinitate cooperari exequendæ incarnationi DEI. Perpende quales ſint conditiones quæ Deo cor noſtrum commendant, non illæ quidem, quæ tanti fiunt ab hominibus, ſcilicet nobilitatis, divitiarum & hujusmodi, ſed humilitatis, paupertatis, ſanctitatis, ſeceſſus. O ſi cor tuum poſſet agnoſcere nugas inanes mundi fallacis, & illi, quod apud Deum eſt ſolidum, tibi comparando inſiſteres. Quid hactenus egiſti, in quo erraſti? erubeſce, & emendare.

Tertium. Cum Archangelus alloqueretur omnium creaturarum, quæ in cœlis terriſque verſantur,

nobiliſſimam, hanc modeſtè admodum & reverenter ſalutat, non ipſam compellat nomine proprio, ſed ornat eminentibus titulis, quos in ea agnoſcit, plenitudinis gratiæ ſupra omnes, ſingularis unionis cum Deo, quæ radix eſt omnis perfectionis, exuberantiæ benedictionis præ omnibus mulieribus præteritis, præſentibus & futuris, quæ Virginem conſtituent gratiâ & gloriâ ſuperiorem omnibus creaturis, & ſoli Deo inferiorem. O felicitatem animæ Mariæ quam *D*eus omnino replet & liberaliſſimè locupletat. Peculiari gaudio exulta, quòd Virgo, tam ſublimem dignitatis gradum obtineat coram *D*eo & intuendo cor tuum ita vacuum à gratia, ita remotum à *D*eo, luge deſolationem animæ tuæ, & convertendo te modo ad Deum, modo ad virginem, eos roga, ut omnino ceſſent in te graves miſeriæ quas pateris.

XXX. Octobris. Secunda Septimana.

MEDITATIO VIII.

Colloquium Angeli cum Virgine.

Oratio præparatoria & præludia eadem.

P*Unctum primum.* Conſidera quomodo Virgo ad ampliſſimas laudes quibus ornabatur non intumuit inani gloriâ ſed ſancto rubore ſuffuſa eſt, deinde filiali & reverentiali timore correpta erga Deum, ac profundiſſimam ſui nihili abyſſum ingreſſa turbari cœpit & ſecum cogitare quid ſibi vellet hæc legatio, ne forte ſub iſtis encomiis aliquid fraudis lateret, cum nihil eſſet à quo magis abhorreret modeſtia virginis quàm à laudibus ſuis. Vide quænam ſint affectiones cordis verè humilis ſpoliare ſe omnibus bonis coram Deo ex quo illa procedunt, & latere in centro nihili ſui. Gaudebis humilitate Virginis tam profundâ, & ad clariſſimi ſyderis radios melius detegens latebras ſuperbiæ tuæ, dolebis quod Deo toties ſuffureris glo-

riam

tiam quam ſtatim aura humanæ laudis exſufflat,& licet totus in miſeriis verſeris iniquo tamen animo fers quòd talis agnoſcaris qualis es,& jure reprehendaris.

Secundum. Attende quomodo Angelus ſignificat virgini quòd ſanctiſſima Trinitas exoptaret ut Meſſias in ejus viſceribus conciperetur: Quòd Pater ipſam elegerit ut ſit in tempore genitrix filii quem ille in æternitate generat: quòd ipſemet filius libenter acceptet illam in terris habere pro matre; quod Spiritus Sanctus hac occaſione velit illam ſponſæ ſuæ titulo decorare,& donis ſuis liberaliſſimè cumulare. Quid aget ad hæc Virgo? quomodo ut audivit ſibi offerri tam alta,ſtatim deſcendit ad abyſſum nihili ſui, ipſa quæ ambiebat eſſe ſerva dominæ quæ Deum erat paritura. O quam libenter exaltat Deus corda illa,quæ ſuarum gratiarum altitudini reſpondent profundiſſimæ humiliationis abyſſo? Lætaberis,quod Virgo ita ſe gerat cum Deo,dolebis quod tibi ſuperbia hujuſce divini fontis aquas exſiccet. Rogabis Virginem,ut in te inſerat ſurculum ex radice tam ſancta.

Tertium. Attende,quomodo Archangelus diſtinctiùs explicet, qualis futurus ſit filius, quem conceptura & paritura erat. Quòd nomen ejus erit JESU nomen, hoc eſt, Salvatoris,quòd futurus ſit magnus, propter ſuam divinitatem, magnus in ſua humanitate,propter titulos,quibus donabitur,ut caput hominum; propter officia, quæ exercebit Redemptoris & Magiſtri: magnus quia filius Patris æterni erit ejus filius quia erit rex ſupremus,qui regnabit per gratiam in cordibus, & per poteſtatem æternam imperium obtinebit in omnes,quod nullis temporum terminis circumſcribetur.Ecce tibi originem & fundamentum ampliſſimæ dignitatis in Virgine,nempè,quòd ſit mater hujuſce filii. Sanctiſſimæ Virgini gratulaberis oblatam dignitatem,Matris in filium tam potentem,

filio

filiò deferes ex animo obſequium & ſervitutem, acceptabis cum intimo cordis affectu Virginem in reginam, deſiderabis ut filius regnet in tuo corde per gratiam, & mater te in ſuam clientelam & fidem recipiat.

XXX. Octobris.

MEDITATIO IX.

Virgo acceptat eſſe mater DEI.

Oratio præparatoria & prœludia ſunt eadem.

P*Unctum primum.* Attende, quod Virgo poſtquam intellexit futuram filii potentiam & ampliſſimam matris dignitatem, non acceptavit extemplo ſingularem favorem, qui offerebatur, ſed prius audire voluit modum, quo myſterium tam altum executioni mandaretur; ſignificans angelo, ſe jam Deo puritatem ſuam irrevocabili dono conſecraſſe. O altiſſimum cordis virginalis affectum! cum damno ſuæ puritatis non ſtatuit admittere dignitatem prope infinitam, quam ſecum trahit maternitas Dei, niſi prius promiſſum accipiat, fore ut dignitas matris ſuam arctius Deo virginitatem addicat. Quantò majori in pretio haud dubiè habebat cordis puritatem, quæ ſine peccati labe maculari non poteſt, cum tanti faceret corporis virginitatem, & candidiſſimum illud lilium, quod ſine noxâ poteſt amitti. Cur non ad odorem puritatis pluſquam angelicæ totus rubore ſuffunderis, tu qui tam facile vitiis animam tuam inquinare non dubitas? Roga enixiſſime Virginem, ut impetret tibi tam conſtans firmumque propoſitum cuſtodiendi deinceps mentem & corpus cum majori cautione.

Secundum. Conſidera, quomodo ſanctiſſima Virgo certior facta de modo, qui tenendus erat in exequenda incarnatione, & jam datura conſenſum poſtulatum à Deo, expectatum ab Angelo, & mundo neceſ-

ſarium, vehementi Spiritus fervore ſuccenſa, profundisſima humilitate ſe ſummittens Deo, cujus ſervam ſe eſſe profitetur, exoptans divinam voluntatem implere, prompto & alacri animo cum omnimoda ſuæ voluntatis abnegatione reſpondendo altiſſimæ vocationi conſenſum præbuit & dixit, *Ecce ancilla domini fiat mihi ſecundum verbum tuũ.* Ecce ſuaviſſimos odores, quos exhalans cor Marię, eosq; transmittens ad ſinũ Patris, hinc filium ad ſe traxit. Vide, quomodo in ſuo cubiculo virginali ſtravit illa lectum Verbo æterno cum pretioſiſſimis liliis actuũ heroicorum: quanto libentius vellet Deus, ut in corde tuo ſimile quid hujuſce diſpoſitionis reperiretur. Gratulare Virgini tam nobile reſponſum. Diſce parere imperiis Dei vocantis. Vide inſuper, quomodo Deus quamvis vellet humanam carnem induere, id tamen exequi noluit ſine conſenſu Virginis, ut inde intelligeres, ipſum expoſcere, ut gratiæ ſuæ cooperemur; Quod forte gratis tua ingratitudo præcluſit.

Tertium. Perpende hilarem Angeli diſceſſum; obtento conſenſu, gaudentis ſummopere, quòd felicem exitum habuiſſet res illa, quam Deus expectabat, quam angeli optabant, quâ mortales indigebant, quodque operam ſuam ipſe impendiſſet in tranſigendo negotio tanti momenti ad ſalutem noſtram pertinente. Perpende inſuper, ut Spiritus omnes beati ſeſe in cœlis accinxerunt ad adorandum in utero Virginis Verbum humana carne veſtitum, & ad obſequendum ſanctisſimæ humanitati cum divinitate conjunctæ. Vide, quanto beneficio te obſtrinxerit Angelus in tranſigendo negotio, quod tanti tua intererat ad ſalutem: Huic gratias ages pro ſingulari ejus in te benevolentiâ, hunc rogabis, ut tibi impetret gratiam reſpondendi tanto beneficio. Gaudebis

pro-

profundis adorationibus, quas angeli exhibent Verbo naturam humanam aſſumenti, eidemque offeres tot amica venerantium obſequia, quibus ſuppleas tot irreverentias in tuis exercitiis ſpiritualibus erga Deum admiſſas.

I. Novembris.

MEDITATIO X.

De corpore JESU formato in utero Mariæ.

Oratio præparatoria eſt eadem.

P*Rimum præludium ſit.* Imaginari, ſe eſſe in cubiculo ſanctiſſimæ Virginis, quæ poſt Angeli diſceſſum ſtetit abſorpta in DEO per mentis exceſſum.

Secundum præludium. Poſtulare à Deo gratiam, quâ poſſis agnoſcere, quanta pro te ſit operatus, illique reſpondere.

Punctum primum. Conſidera, quomodo Virgo, ut DEI mater eſſet, acceptans optavit ex puriſſimo ſuo ſanguine materiam ſubminiſtrare, ex quâ Spiritus Sanctus ſua ipſe virtute formaret hoc corpus, quod Verbi æterni thronus eſſe debebat. O ſi ego poſſem mente ſubire cor Virginis! quam alacriter in hoc articulo temporis voluiſſet ſe totam impendere, ut placeret Deo. Libenter totum ſuum ſanguinem dediſſet, totum, inquam, libenter inſumpſiſſet, ut aliquid conferret ad opus, quod ad tantam divini numinis gloriam & hominum utilitatem redundabat. Gratias virgini rependes pro tanto ſtudio. Pudebit te lentitudinis tuæ & tarditatis in dando, quod datâ occaſione à te Deus exquirit. Rogabis Virginem, ut in poſterum hanc tibi gratiam obtineat.

Secundum. Attende, quomodo Virginis obtento conſenſu, quem ad æternum decretum executioni

mandandum expectabat cœlum & terra, Spiritus Sanctus implendo cor Mariæ peculiari gratiarum abundantiâ, illique altiſſimam inenarrabilis myſterii cognitionem communicando ; non angelorum miniſterio, ſed ille ipſe ex puriſſimo Virginis ſanguine formavit corpuſculum JESU, parteſque omnes aptiſſima organorum diſpoſitione compoſuit, ſicque Virgo & mater evaſit, & ſimul virgo permanſit. Ecce Domine, illud exequeris, quod noſtri emolumenti causâ præſtare decreveras, neque obliviſceris executioni mandare, quod ante æternitatem tibi agendum perſcripſeras. Non ſic ego, non ſic, toties propono, & haud ſcio, an ſemel exequar quod ad Dei gloriam redundaturum intelligo. Dolor de præterito, & emendationis propoſitum.

Tertium. Perpende, quomodo beatiſſima Virgo in illo inſtanti in quo præbuit illa conſenſum, & per puriſſimum ſanguinem ſuum cooperata eſt formationi corporis JESU, ſummum accepit gratiæ incrementum, nec non ſingularem ac perfectam ſanctificationem, quæ congrueret dignitati quaſi infinitæ matris DEI, quam hoc tempore lucrabatur. Cæteras omnes ſimul creaturas meritis ſuperavit ; ita ut Virgini dici poſſit. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Vide, quomodo Virgo pro ſanguine, quem DEO dedit, tot gratias, tot ſingularibus donis eſt cumulata. O felicem illum, qui rem habet cum Deo: hic ab illo pauca recipit, & hinc occaſionem arripit eidem multa largiendi. Deberes certe, ſi tuæ utilitati conſuleres, eſſe liberalis erga Deum, & tamen tam avarè te geris. Erubeſce, & ſtatue mutare agendi modum. Gratulare Virgini cœleſtes divitias, quas tunc pleno ſinu recepit, & opta, ut ex ſuorum bonorum exuberantia tuam ſublevet paupertatem.

II. No-

II. Novembris.

MEDITATIO XI.

Quale ſit corpus JESU.

Oratio præparatoria & præludia eadem.

P*Unctum primum.* Attende, quomodo Verbum divinum,cum poſſet ſibi aſſumere corpus perfectum & virili jam ætate robuſtum, formavit tamen exiguum ac debile, ut jam inde à primo ſuæ conceptionis exortu inciperet nobis aſſimilari, præbensque exemplum humilitatis & patientiæ, majorem ſui in animis noſtris amorem accenderet. Tui igitur amor, O Domine, eſt ita utilis & neceſſarius,ut explores rationes omnes,quibus te diligamus. Intra breviſſimum corpuſculi ſpatium immenſitatem tuam contraxiſti,ut tui in me amoris magnitudinem eò clariùs agnoſcam,quò minorem pro me & abjectiorem formam ſuſcepiſſe te video. Agedum,diſce ex JESU tu, qui ad dignitates aſpiras,qui nihil non agis, ut potentior evadas, qui nihil refugis magis, quàm ne vilis & abjectus videaris,& tamen nihilum es. Erubeſce,quòd poſt tot annos, quos vixiſti, non incœperis adhuc in praxim redigere lectionem humilitatis & patientiæ,quam tibi tradit infantulus JESUS in primo ſuæ conceptionis articulo.

Secundum. Conſidera,quomodo Spir.S.dedit huic corpuſculo quàm nobiliſſimum & quàm delicatiſſimũ temperamentũ.Si arca illa,in quâ lex aſſervabatur,compacta erat ex lignis tam pretioſis,quàm aptè temperatũ erat hoc corpus, quod veluti arca divino legiſlatori inſervire debebat; quale erat hoc caput, quod agitabat cogitationes tam nobiles; quale hoc cor, quod tam ſanctis affectibus exæſtuabat, quale demum hoc corpus,cui tam atrocia tormenta parabantur.Attende

ſtùpenda divinæ charitatis indicia ; quò acerbiora forent tormenta , quò dolor acrior, voluit, ut corporis habitudo delicatisſima foret ; quantò enim delicatior eſt , tantò etiam acriorem in ſe morſum doloris admittit. Ut paucis multa complectar , illuc omnia dirigebantur, ut JESUS plura pateretur pro me. Hanc ego regulam non obſervo, ſubduco me doloribus, quam maximè poſſum & labores omnes ſummâ diligentiâ præverto; ſaltem, Domine, puderet me mei, imitarer exemplum tuum, & demum intelligerem, me tot peccatorum reum incurrere in mala tantò majora, quantò diligentius ab omni dolore me ſubtraho.

Tertium. Tecum reputa quomodo corpus Filii DEI debebat eſſe glorioſum & immortale ; cum enim copulandum eſſet cum animâ glorioſâ & beatâ, res exigebat ut corpus pariter gloriâ & immortalitate gauderet ; ſed quia hujuſcemodi corpus pati non potuiſſet & mori, in quo noſtra ſalus continebatur, corpus JESU veluti noſtrum formatum fuit pœnis & morti obnoxium. Mentem adverte quàm parùm novis exuere te commodis tuis , ſpernere honores & glòriam pro Domino illo, qui honori duxit & gloriæ, ſibi debitos honores abjicere, quòd ita expediret pro bono tuo. Gratias ages pro clementia tam ſingulari; Ecquid deinceps ages? num tui muneris eſt, non tuo ſed divino honori ſervire, & libenti prolixoque animo dolores amplecti pro eo, qui pati elegit pro tua ſalute?

III. Novembris.

MEDITATIO XII.

De Creatione animæ Chriſti.

PUnctum primum. Ubi primum Spiritus Sanctus corpus formavit organisque inſtruxit , animam crea-

creavit ſimilem noſtræ, quæ membris vitam infunderet, & animaret hominem, qui ſimul eſſet & *Deus*. Gratulare huic animæ ſortem tam proſperam, per quam fit forma hominis *Dei*. Quanti debes facere animam tuam, cum anima ſimilis tuæ evaſerit anima hominis, qui eſt *Deus*, ita ut peculiarem cum *Deo* cognationem contraxeris. Attamen, ut dicam, quod res eſt, quanto rubore ſuffundi debes, quòd tam parvi feceris animam tuam, tantaque infamiâ affeceris Chriſtum, qui ſe fratrem noſtrum & affinem vocat, excita animam tuam, ut *Deo* laudes rependat pro tam illuſtri cognatione, ad quam evehitur, & advertens ſe peculiari vinculo conjunctam eſſe cum *Divinitate*, beneficio JESU, non ſe libidinis ſuæ & cupiditatis ludibrio velit exponere.

Secundum. Attende, datas eſſe à Deo animæ, quæ creabatur, omnes gratias & dotes, quæ congruebant animæ uniendæ Verbo æterno, & mundum redempturæ. Gaudebis abundantiâ donorum, quibus anima JESU fuit cumulata; gratias Deo rependes, eò lubentiùs, quòd ea dona ſint illi conceſſa, ut impendantur pro bono tuo: quæ cum ita ſint, acceptum refer Deo, ut tibi ipſi conceſſum, quicquid animæ Jeſu liberalitas divina conceſſit.

Tertium. Conſidera, animam illam tot gratiis ornatam ſummopere Deo placuiſſe, & quidem præ reliquis, quæ creandæ erant, vel fuerant jam creatæ, imò præ omnibus ſimul junctis. Gratulaberis animæ Jeſu, quod ita Deo placuerit, gaudebis quòd iſta anima ſit ad tantæ dignitatis gradum evecta, Deum enixè rogabis, ne tuam ſpectet tot vitiis & ſceleribus inquinatam, ſed animam JESU, cujus excellentia moveatur, ut tuam mundet & ornet.

IV. Novembris.

MEDITATIO XIII.

De unione animæ & corporis cum Verbo æterno.

Oratio præparatoria & præludia ſunt eadem.

ATtende, quòd in eodem inſtanti in quo formatum fuit corpus & anima creata, ambo unita ſint Verbo, nec per unum quidem momentum fuerint ab illo ſeparata; ita ut beneficio hujus unionis corpus illud eſſet corpus DEI, anima illa eſſet anima DEI, & Virgo eſſet DEI mater. Vide, quomodo DEUS non inchoet ſolùm, ſed impleat, quicquid pro tua utilitate promiſit; At tu (Heu miſero tibi) quoties incœpiſti ſervire Deo, & quoties tuus omnis fervor elanguit & promiſſa violaſti? pudebit te inſtabilitatis tuæ, & emendationem propones. Inſuper attentè perpendes felicitatem hujuſce animæ & corporis, quòd ne per unum quidem momentum hanc unionem unquam amiſerint. Hinc animi voluptatem percipies, ſimulque tuam infelicitatem dolebis, quod majorem vitæ tuæ partem procul à Deo traducas, ſive quid cogites, ſive quid ames, ſive quid opereris. Optabis vitæ emendationem & hanc gratiam Deum rogabis.

Secundum. Perpende, quòd tunc beneficio hujus unionis DEUS perfecerit ſuorum omnium operum longè maximum, per quod & naturam humanam aſſumpſit, & ſe totum dedit nobis. Mentem reflectes ad tantam liberalitatem, per quam DEUS voluit totus noſter exiſtere, ſimulque ad ingratitudinem tuam reſpicies per quam adeo alienus es, ut te tuaq; omnia conſecres Deo. Gratias quàm maximas ages Deo, qui ſe erga te tam miſericordem exhibuit; indues animum liberalem, nec officia divino numini præſtita numerabis.

Tertium. Conſidera, quòd licet ſecunda tantum perſona uniatur humanitati, quia ſola ſecunda perſona humanam carnem aſſumpſit, tamen in hac humanitate divinitas, Pater & Spiritus Sanctus, peculiari modo reperiuntur. Divinitas, utpote quæ ſeparari non poteſt à perſona Filii, nec Pater & Spiritus Sanctus à divinitate, unde fit ut hæc humanitas cum omnibus tribus perſonis peculiari cognationis vinculo conjungatur, quoniam hic homo eſt Filius Patris naturalis, non adoptivus, hæc humanitas per perſonam Verbi ſubſiſtit, & Spiritus Sancti opus eſt ſingulare. Adorabis Divinitatem & totam ſanctiſſimam Trinitatem in humanitate. Studebis habere magno in pretio hanc ſanctiſſimam humanitatem: Hæc eidem gratulaberis, optabis eſſe particeps tanti boni, dicente Apoſtolo. Qui adhæret Deo, unus ſpiritus fit cum eo.

V. Novembris.

MEDITATIO XIV.

De Excellentia & perfectione humanitatis JESU.

P*Unctum primum.* Conſidera, quòd Verbum divinum deprimendo ſe ad humanitatem, quam aſſumpſit, hanc extulerit ad altitudinis gradum tam ſublimem, ut creaturas omnes præſentes, præteritas, futuras, poſſibiles ſuperarit, adeo ut licet Deus poſſit producere creaturas alias magis ac magis perfectas in infinitum, illæ tamen omnes forent inferiores humanitate, quam JESUS ſibi unitam ad ſublimitatem divinitatis evexit. Mirare amplitudinem dignitatis, ad quam humanitas eſt evecta; gaude, quòd illa nacta ſit ſortem tam felicem. Agnoſce, quanta pariter nobilitas derivetur ad tuam humanitatem, poſtquam humanitas JESU, noſtræ ſoror, tantopere fuit nobilitata.

ctiſſimæ. Vide, quantum Deo cordi ſit ſanctitas, qui non contentus uno genere ſanctitatis, aliud adjungit, & tecum reputa, quàm parùm ſollicitus ſis de ſanctitate acquirenda; ſemper tibi videtur ſatis eſſe; pudeat te iſtius languoris; ſtatue non ampliùs dicere, ſufficit; ſed proficiendo indies, ubi aliquid lucratus eris, ad majus lucrum aſpira. Pete à JESU hanc firmam voluntatem.

VII. Novembris.

MEDITATIO XVI.

Impeccabilitas JESU in utero Mariæ.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Anima JESU jam inde à primo inſtanti fuit adeo pura, ut nulli peccato ſubjacere potuerit, quia cum eſſet unita perſonæ divinæ, hæc illam regebat in omnibus quæ agere & dicere debebat; unde fiebat, ut admittere non poſſet peccatum quantumvis leve; ſiquidem perſona quæ illam dirigebat, peccato ſubjacere non poteſt; propterea dicit Sanctus Joannes, *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Gaudebis & voluptatem percipies ex tantâ perfectione animæ JESU, mentem reflectes ad te omnino diſſimilem. Jeſus peccato non ſubjacet, & tu miſer es, intritus, conceptus, natus, educatus inter peccata. Deſiderabis, loco impeccabilitatis Chriſti, donari gratia, cujus præſidio non pecces amplius, ſaltem quantum fragilitas humana patietur. Rogabis, ut ad imitationem odii, quo ille ferebatur in peccatum, tu abhorreas ab omni genere peccati, præſertim cum elegerit ſibi matrem, quæ gratiæ peculiaris præſidio munita, nec peccavit unquam, nec peccare potuit; optabis eſſe ſervus & filius hujus matris, quæ nullam peccati labem contraxit.

Se-

Secundum. Conſidera, alios quidem infantes in inſtanti ſuæ conceptionis contrahere noxam primi parentis, hanc verò humanitatem ab ea fuiſſe omnino immunem, utpote conceptam virtute Spiritus Sancti, & propter hanc cauſam Sanctus Paulus dicere potuit de JESU, quod fuerit *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cœlis factus.* Sanctus Sanctorum, ſine noxâ, ſine maculâ, ſine peccato, & purior radiis ſolis. O quantum abſum ab hac puritate! At certe eò ſemper purior evadam, quò ardentius amabo, & ſequar humanitatem JESU, quæ tanta puritate enitiut.

Tertium. Attende quòd ex ſumma JESU puritate tanquam ex fonte emanet in homines puritas omnis, quæ in ipſis reperitur, adeo ut qui velit illius particeps eſſe, debeat ad JESUM accedere. Gaudebis, quòd à JESU expectanda ſit puritas. Erubeſces, quòd tam ſæpe ad illum accedendo tam exiguam puritatem inde retuleris culpâ tuâ. Illum rogabis, ne rationem habeat indignitatis tuæ, ſed neceſſitatis, quæ cum ab alio præterquam ab ipſo nequeat ſublevari te adigit ad illum confugere, qui pro ſua charitate ſubſidium non denegabit.

VIII. Novembris.

MEDITATIO XVII.

Anima JESU plena gratiâ.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Anima JESU cum eſſet carior omnibus creaturis & ſponſa Verbi divini, accepit à ſuo ſponſo ornamenta omnia ſuo ſtatui conſentanea, ac proinde fuit gratia ſanctificante abundantiſſimè cumulata; unde Sanctus Joannes illam vocat plenam gratiæ; & capite 3. *non ad menſuram dat pater Spiritum.* Gratulaberis animæ ſanctiſſimæ JESU, quòd

tam

tam copioſe ſit à Deo locupletata, illi commendabis e-geſtatem animæ tuæ. Erubeſce, quòd tuâ culpâ tam inops ſis gratiæ; advertes, animam Chriſti fuiſſe cœleſtibus donis cumulatam, quia cum Verbo gratiarum fonte uniebatur; deprehendes, quàm parùm ſtudeas uniri cum Deo, & inde oriri in te inopiam omnis boni. Te pœnitebit inertiæ tuæ, emendationem promittes, cum firmo propoſito accedendi ad *Deum* quàm proximè poteris, mente, affectu, deſiderio.

Secundum. Hæc gratia immenſa data fuit animæ Chriſti, non tantùm ut ejus decore veſtita pulchrior appareret, ſed etiam ut tanquam caput hominum & Angelorum, eam aliis communicaret copiosè; ita ut quilibet acceptam deferre debeat Chriſto gratiam, quam optat & recipit. Vide, ut *Deus* munificus fuit erga Jeſum ut in te eſſet liberalis. Gratias repende divino amori qui tibi in Chriſto fodinam omnium gratiarum aperuit. Ingredieris in ſpem certam obtinendi quod petis, induces animum accedendi ad Chriſtum quàm ſæpiſſime poteris, ut ab eo tua inopia ſublevetur, & eidem in ſanctiſſimo Sacramento unitus cordis affectu, gratiarum abundantia doneris.

Tertium. Jeſus magnam animi voluptatem percepit, quòd tantas in ſe divitias agnoſceret, cum onere, ut eas mortalibus communicaret. *D*iſce, non ſolum lætari bono proximi tui, ſed quantum in te erit, libenter illi cooperari. Dolebis, quod te aliter geſſeris, & ſtudebis excitare in te ſpem obtinendi à Chriſto illud omne, quo indigebis, cum tantopere tuo bono lætetur. Gratias illi age, confuge in illius amplexus, & quò moneatur, offer illi perſæpe voluptatem, quam percepit in illo inſtanti, cum adverteret ſe gratias habere ea conditione, ut eas communicaret etiam tibi; roga ut te diſponat: ſcilicet quantò quis aptior reperitur, tantò uberiore gratia locupletatur.

IX. No-

IX. Novembris.

MEDITATIO XVIII.

Anima JESU ornata omnibus virtutibus.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Unà cum gratiâ Jeſum comitatæ ſunt reliquæ virtutes, quæ illius amplitudini & excellentiæ congruebant. O quam gratum oculis *D*ei ſpectaculum fuit anima tot donis ornata! ſi cœlum ſerenum micantibus ſtellis diſtinctum tantam oculis intuentium pulchritudinem exhibet, quam formoſa erat illa anima, quæ tot ſplendentium virtutum choro circumdabatur? Lætaberis pulchritudine animæ illius tam formoſæ oculis *D*ei. Mentem advertes, quantum placeat *D*eo anima virtutibus dives. Erubeſces, quòd hactenus *D*eus non habuerit occaſionem lætandi magnopere virtutibus, quibus ornatur anima tua. Te pœnitebit negligentiæ tuæ in illis virtutibus tibi comparandis, ſtudebis & omni ope contendes in poſterum ornare animam tuam, quò placeat *D*eo.

Secundum. Virtutes animæ Jeſu non fuerunt ſteriles & otioſæ, ſed fœcundæ, ita ut virtutes omnes, quibus prædi̇ti ſunt homines, deriventur à virtutibus JESU, ut rivi à fonte. Tecum reputabis, quantum hactenus ingratitudo tua obſtiterit, ne virtutes animæ Jeſu producerent alias ſimiles virtutes in animâ tuâ, & iſta tam male reſpondendo gratiis cœleſtibus, clauſerit aditum radiis virtutum illius ne te inſtar ſolis illuminarent & calefacerent. Erubeſce coram Jeſu, illum roga, ut obices rumpat, duritiem emolliat, & demum cor tuum è terreſtri & ſterili, cœleſte & virtutibus fœcundum efficiat.

Tertium.

Tertium. Ex utero Mariæ ſpirabat odor cœleſtis virtutum Chriſti, qui odor aſcendens usque ad empyreum beatos omnes ſpiritus jucundisſimè recreabat, adeo ut ſummopere exoptaſſent ſi ipſis liberum fuiſſet currere per imitationem in odorem unguentorum tam ſuavium. Attendes, quàm hactenus fueris negligens in ſequenda fragrantia virtutum Chriſti ; non multum laborans de illius imitatione. Erubeſce & humiliter ſupplica JESU, ut te trahat. *Trahe me, curremus in odorem unguentorum tuorum*; & animo finge, te audire vocem Patris æterni monſtrantis tibi animam JESU virtutibus pulcherrimis exornatam *& dicentis*, *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni* ; ſpem certam tene, te in illo cuncta reperturum.

X. Novembris.

MEDITATIO XIX.

Anima JESU plena ſcientiæ.

PUnctum *primum*. Conſidera, JESUM non fuiſſe ſicuti reliquos infantes, privatum uſu rationis, ſed in primo illo inſtanti repletum fuiſſe theſauris ſapientiæ & ſcientiæ Dei, modo tam ſublimi, ut in carcere amoris ; in quo vitam eſt orſus, res præteritas, præſentes & futuras ſua ipſa cognitione complecteretur. Mentem reflectes ad felicitatem animæ JESU, quæ in ſe theſauros ſcientiæ divinæ continuit ; hanc illi gratulaberis. Gratias Deo ages pro hoc favore, & advertes quàm parum verſatus ſis in ſcientiis rerum divinarum, cœleſtium & æternarum, quàm cæcus, quam ignarus eorum quæ pertinent ad ſalutem animæ tuæ. Veniam petes à Deo, optabis ſeriò cognoſcere quàm viles ſint res omnes terrenæ, quam magnus ſit Deus ; illum rogabis ut tibi ſuæ majeſtatis & gloriæ notitiam non ſubtrahat, per merita JESU, & dices cum ſancto Job. *Ignorantias meas ne memineris*.

Secundum. In illo inſtanti non fuit angelus ullus neque erit ulla creatura cujus cogitationes deſideria & reconditiores affectus intimè Chriſtus non penetrarit, ita ut omnia patuerint oculis Jeſu, qui cum futurus eſſet judex univerſorum, ignorare non debebat, quæ perpetrantur, ut malos ſuppliciis, bonos autem præmiis afficeret. In te mentem reflectes, quanto pudore ſuffundereris, ſi creaturæ intueri poſſent intimos receſſus cordis tui tam malè compoſiti: quanta cum animi modeſtia te gerere debes, expoſitus oculis & ſcientiæ Jeſu in te ſemper intuentis; quàm humiliter accedere ad eum deberes in ſanctiſſimo Sacramento. Jeſu precaberis, ut pro ſua clementiâ tuas levet miſerias, tuis imperfectionibus medeatur, ut ſancto inceſſu poſſis ejus oculos oblectare.

Tertium. Quam Jeſus habuit ſcientiam & cognitionem, hanc totam ille direxit ad gloriam patris ſui ſimulque ad noſtram utilitatem, hac uſus, ut illum honoraret, & nobis prodeſſet. Attendes, quantum ipſe abfueris à dirigendis cognitionibus tuis dotibusque animi ac corporis ad gloriam divino numini procurandam: quàm parùm lumini mentem illuſtranti reſponderis. Dolebis quòd Domini abuſus ſis donis. Rogabis Jeſum ut te ſic demum illuminet, ut *lumen, quod in te eſt, tenebra non ſint.*

XI. Novembris.

MEDITATIO XX.

De ſeptem donis Spiritus Sancti communicatis ſanctiſſimæ animæ JESU.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo juxta prophetiam Iſaiæ ſuper flore naſcituro ex radice Jeſſe requietatus erat Spiritus Domini, hoc eſt, ſuper humanitate Jeſu veri floris, ſicque ſedem in eo ſtabilem fixurus, ut à primo conceptionis inſtanti repletu-

rus illum eſſet donis ſuis, primò illi communicando donum ſapientiæ, quod eſt altiſſima & amoris pleniſſima contemplatio divinorum myſteriorum, per quam anima Jeſu ſpeculabatur perfectiones infinitas Dei, ejusque judicia, conſilia, & profundiora ſecreta penetrabat, plena amore, plena gaudio, plena admiratione. O quàm dulces radii, ó quales & quàm inæſtimabiles torrentium delitiæ ex hoc ſapientiæ dono deducti ſanctiſſimam Jeſu animam irrigabant! Ah! ſi vel unica guttula ex hac torrentium exuberantia caderet in animam meam, quos illa effectus non experiretur, contemplando myſteria Dei? Sed, heu me, qui factus ſum *ſicut terra ſine aqua*. Gero cor exſiccatum, quod molliri nequit conſideratione mirabilium Dei. Opta hanc gratiam, eamque flagita ſanctiſſimam humanitatem.

Secundum. Conſidera, quomodo anima Jeſu inſtructa intellectus dono, quod altiſſimas atque abſtruſiſſimas veritates mentibus aperit, clarè cognovit, quæ Spiritus Sanctus ſcripſerat de ipſa, de circumſtantiis ortus ipſius, de genere vitæ, de tormentis. Quos effectus in Jeſu non peperit hoc vivum & penetrans lumen? cum quanta animi alacritate acceptavit imperia omnia? ut ſeſe accinxit ad illa diligenter & accuratè executioni mandanda! Ego non ita me gero; quæ ſcio ea executioni non mando, actiones vix cognitioni reſpondent, cognoſco, & congruenter muneri meo non operor. Erubeſcam & poſcam à Jeſu gratiam, ut ipſum imiter.

Tertium. Conſidera donum conſilii, quod communicat menti notitiam rerum omnium quæ qualibet hora faciendæ ſunt, utque in particulari quis gerere ſe debeat; donum autem fortitudinis exequitur, quicquid donum conſilii præcipit & ſuggerit. Quam altè elevata fuit humanitas Ieſu his donis conſilii & fortitudi-

nis

nis! Habuit cognitionem clariſſimam omnium, quæ ſingulis momentis operari debebat; quare S. Ioannes dicebat. cap. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me*; & ſimul accepit fortitudinem quâ paſſibus gigantis *Exultavit ad currendam viam*, & inter tot difficultates, quæ occurrerunt, cum incredibili fidelitate ſe geſſit. O ſi ego ſcirem ad hoc exemplum verecundari! Quàm cæcus ſum in cognoſcendo! quàm languidus in operando! quàm cito perturbatio animi tenebras offundit lumini rationis, utque vel minima difficultas nervos virtutis elidit meque dejicit! Quin ſaltem meam calamitatem deploro? Cur non recurro ad Jeſum, qui mihi poteſt eſſe ſubſidio?

XII. Novembris.

MEDITATIO XXI.

Tractatur idem argumentum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo humanitas Chriſti cumulata fuit ſcientiæ dono, quod æſtimamus res creatas ex fine, quem Deus ſibi propoſuit ad gloriam ſui nominis & humanam ſalutem procurandam. O quàm eminens fuit ſcientia Jeſu! ut loquitur Sanctus Paulus, ô quàm bene novit pretium & valorem rei uniuſcujuſque! Hinc eſt, quòd honores contempſit, amavit eſſe deſpicatui, prætulit inopiam bonorum temporalium abundantiæ, paupertatem divitiis, incommoda vitæ delitiis; quia nimirum vidit iſta (licet ſenſus aliter judicet) eſſe magis accommodata & conſentanea ſaluti animæ & gloriæ Dei. Quàm rara eſt hæc ſcientia apud mortales, qui ſecus omnino cognoſcunt & judicant? cujus partes ſequeris tu? qualis eſt opinio, quam animo imbibiſti de rebus terrenis? poteſne dicere cum Sancto Paulo, *omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut*

Chriſtum lucri faciam? Te colligé, cave à fraudibus, & ſcientiam Jeſu tibi compara.

Secundum. Conſidera pietatis donum, quod nobis largitur cor filii erga Deum cum illa teneritudine, quâ Patrem & matrem proſequimur, affectu extendendo ad creaturas, quatenus ſunt Deo viciniores eique cariores; conſidera, inquam, pietatis donum, quàm magnum fuerit in Jeſu; qualis fuit teneritudo, quam in primo illo inſtanti humanitas ſenſit erga Patrem æternum, & genus humanum; hæc eſt illa pietas, quæ illum movit ad amandas animas, ad blandiendum parvulis, ad compatiendum miſeriis noſtris. O bone Jeſus, converte oculos ad meas, cum affectu & teneritudine cordis: *non enim amas, & deſeris*. Sine, te tangi compaſſione, quæ haud dubiè te inducet, ut mihi opem & ſubſidium feras.

Tertium. Conſidera, quomodo donum timoris, quod ultimum eſt è ſeptem donis, & dono pietatis ſuperaddit ſenſum venerationis & reverentiæ, quam in animis noſtris parit infinita Dei majeſtas, fuit abundantiſſime conceſſum humanitati Chriſti, cujus anima in ſe continebat profundam venerationem & magnum timorem, qui ſanctum illi ſtuporem incutiebat, quoties ipſa cogitaret ſe dependere à divina potentia, & nihilum humanitatis ſuæ cum infinita Dei natura conferret, cujus gratiâ Iſaias dixit, Et replebit eum Spiritus timoris Domini. Lætabor, quòd humanitas Jeſu tot donis ſit cumulata; Statuam, ſemper ambulare coram Domino cum ſanctâ tantæ majeſtatis obſervantia ac timore, habens continuò ſub oculis meis, hinc nihilum meum, illinc infinitam ſupremi numinis naturam.

XIII. No-

XIII. Novembris.

Quarta Septimana.

MEDITATIO XXII.

Jeſus in utero Mariæ, lætitia Patris æterni.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Attende, quomodo pater æternus videndo immortalitatem filii ſui noſtrâ mortalitate veſtitam, & cognoſcendo gloriam, quæ ex dato nobis filio ad ſe redundatura erat, gaudio exultavit, quòd hinc ſuus in nos amor & deſiderium noſtræ ſalutis clariùs eluceret. Erubeſces, quòd actionibus tuis tam parum Patri æterno glorioſis hanc illi lætitiam imminueris, nec non ingratitudine tuâ erga eum, qui præ amore tibi tradidit filium. Rogabis patrem æternum, ut tibi infinitas ſuæ charitatis divitias explicet, quò poſſis ipſum afficere omni lætitia.

Secundum. Attende quibus gaudiis exultavit idem pater æternus, ubi vidit non tantum Verbum hominem factum, ſed Mariam evectam ad dignitatem matris ejusdem filii, quem ipſe genuit. Lætaberis dignitate Virginis tam ſublimi, nec minorem voluptatem percipies, quod illa tantopere patri æterno placuerit. Pudore frontem velabis, quod occaſionem præbeas patri, tam parum ſe exhilarandi, quando videt filium ſuum ingredi pectus tuum. O ſi ſcires digne tractare eum ejus filio, ut Jeſu ingreſſus animam tuam, patri ſuo lætitiæ materiam exhiberet! roga illum, ut tibi hanc gratiam indulgeat.

Tertium. Attende, quantam æternus pater lætitiam percepit ex illa gloria, & theſauris, qui à filio ſuo Naturam humanam aſſumente communicandi erant omnibus hominibus, & privatim animæ tuæ, ita ut tuo bono lætatus ſit maximè. O ſi tu ſcires ejus exemplo lætari bono tuo, ad Dei gloriam & tuam utilitatem! Erubeſce, quòd gloriam & lætitiam æterni

Patris tam parum ipſe promoveas. Illum roga, tibi concedat gratiam, quâ deinceps in omnibus gloriam ejus ſpectes.

XIV. Novembris.

MEDITATIO XXIII.

Lætitia Verbi de humanitate ſibi unita in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Verbum, ubi vidit ſe eſſe cum humanitate conjunctum, ſingularem inde lætitiam percepit, impleto ſcilicet, quo jam ab æterno exarſerat, infinito deſiderio aſſumendi naturam humanam, & ſuam majeſtatem deprimendi pro homine. Attende, quantum recreetur Verbum, quòd executioni mandarit quæ tuâ causâ decreverat; quàm libenter, quàm alacriter deberes tu exequi ea, quæ pro divino cultu decreviſti. Erubeſce, quòd tam ægre id exequaris. Gratias age Verbo, quod ita lætetur, tam multa præſtitiſſe pro te. Opta, illi reſpondere; roga eum ut hoc favore te dignum efficiat.

Secundum. Conſidera, quantâ lætitiâ Verbum divinum exultaverit, quod ſecum copulaſſet humanitatem vinculo nunquam diſſolvendo, cujus beneficio communicaret amplitudinem ſuam & perfectiones, efficiendo, ut homo eſſet Deus, & conſequenter æternus, immenſus, infinitus. Attende, quâ re gaudeat, quòd communicetur, quòd uniatur, & ita uniatur, ut à nobis ſeparari non poſſit. O ſi mihi hæc gratia concederetur, quâ ego ſemper unirer cum Deo, nec ab eo unquam ſepararer! Roga dominum, ut te ſecum indiſſolubili nexu conjungat.

Tertium. Perpende Verbum divinum non duxiſſe dedecori, ſed honori potius & gloriæ, videre ſuam infinitam majeſtatem cum tanta utilitate conjunctam,

quia ſic implebat voluntatem patris,in quâ implendâ viliſſimam quamque abjectionem gloriæ loco reputabat. Vide,quomodo Verbum honori vertat, pro te contemni,tu contrà refugis pro illo deprimi; quomodo te pudeat illius causâ tantulum tuæ exiſtimationis amittere. Erubeſce, quòd tam malè reſpondeas. Sume animos,& ſtatue,tibi glorioſum arbitrari quicquid ad obſequium & gloriam divini numinis conducit, tametſi res abjecta tibi & ignobilis eſſe videatur.

XV. Novembris.

MEDITATIO XXIV.

Spiritus Sanctus ſibi complacet in Jeſu.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Spiritus Sanctus cum abſolviſſet opus incarnationis,& executioni tradidiſſet, quæ ipſe cum aliis perſonis ab æternitate decreverat,ſibi in eo opere infinitè complacuit. Vide,ut tres ſimul perſonæ divinæ ſingularem percipiunt voluptatem in exequendis operibus,in quibus ipſarum amor in homines magis elucet; quantum debes non pro beneficio ſolùm,quod Spiritus Sanctus contulit,ſed pro ipsâ etiam voluptate, quam in illo tibi conferendo percepit? O ſi res eò tibi foret gratior,quo illa magis gratificaretur Deo! & ibi ſita eſſet alacritas tua, ubi ſeſe daret occaſio declarandi operibus tuum erga Deum amorem! Agnoſce,non ſine frontis rubore,te ab hoc ſigno tam procul abeſſe. Roga divinum hunc Spiritum, ut tibi gratiam largiatur , qua DEO reſpondeas.

Secundum. Lætabatur Spiritus Sanctus,quod produxiſſet hanc humanitatem,in quam poterat copioſiſſimè omnia ſua dona effundere,ejusq; miniſterio nobis

eadem communicare. Attende, nihil æque Deo gratum eſſe, ac cum ſibi offertur occaſio bene merendi de nobis; quantam igitur moleſtiam illi creas, quando ingratitudine tuâ viam occludis beneficiis? Tecum cogitabis, quanta lætitia prives Spiritum Sanctum, cum te ejus favoribus indignum præbes. Pudeat te tuæ negligentiæ; Hunc Spiritum roga, ut tibi non denoget gratiam, qua non arceas ab animâ tuâ ejus miſericordias.

Tertium. Ut filius carne aſſumpta ſe dederat nobis, ita pariter Spiritus Sanctus viſibili formâ comparens, ſuo tempore communicandus erat Apoſtolis, & inviſibiliter tot cordibus, quæ ipſe ſuis flammis purgaret & ſanctificaret, & hinc ille ſingularem hauſit lætitiam, quòd jam appropinquaret tempus ab ipſo tam ardenter expetitum. Gratias ages illi pro charitate tam ſingulari & amore verè immenſo, qui nihil aliud habebat in votis, præterquàm dare ſe cordibus noſtris. O ſi tu dignus eſſes, qui locum haberes inter illas animas, quibus copioſe ſua dona largitur! Hoc opta, hoc roga, ut tuorum demeritorum rationem non habeat, ſed ſuas in te miſericordias pleno ſinu profundat.

XVI. Novembris.

MEDITATIO XXV.

Jeſus incipit vivere in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo poſtquam humanitas fuiſſet unita divinitati, Verbum, quod per æternitatem vixerat in ſinu patris, inchoavit ut homo in utero Mariæ vivere vitam temporalem, eamque tanti valoris, ut hoc ſolùm primum momentum omnium angelorum ſimul & hominum vitis ſit anteferendum. Incipit nunc demum homo vitam ducere Deo gratiſſimam. Si hactenus, dicebat David, *non eſt,*

qui faciat bonum, inchoat quidem certe vitam, qui non poterit non operari perfectiſſimè, etiam in primo inſtanti; & tu quam vitam agis qui per tot annorum ſpatium ne uno quidem momento vixiſti, cum Dei plenâ ſatisfactione? Te pudebit tantæ miſeriæ; omnes annos tuos cum hoc primo vitæ Jeſu inſtante conjunges, illum rogabis ut emendet vitam tuam meritis ſuæ, & iſtam offeres patri æterno, quâ ſatisfacias pro totâ tua vita vitiis & ſceleribus contaminata.

Secundum. Attende, quomodo in primo illo inſtanti Jeſus duxit vitam omnino divinam, quam totam ad gloriam Deì direxit, eaque tanti meriti fuit, ut infinitis mundis redimendis ſufficeret. Mentem reflectes, tecumque cogitabis, quod dedecus tibi foret, ſi ſub oculis Jeſu, qui totam vitam ſuam direxit ad Deum, tu ageres vitam terreſtrem & imperfectam; Erubeſces, quòd hactenus talis extiteris, & Jeſu offeres vitam tuam, ut eam emendet & virtutibus exornet.

Tertium. Perpendes animo, Jeſum in primo illo inſtanti inchoaſſe vitam non tam ſibi, quàm nobis, utpote quam pro nobis obtulerat, & noſtram eſſe voluerat. Attendes beneficium, quo manes obſtrictus Jeſu, & obligationem vivendi non tibi, ſed Deo, & totam vitam tuam conſecrandi tuo benefactori, gratitudinis causâ & tamen quàm parum attendis, ſi vixeris Deo, quantum tibi, tuis commodis & voluptatibus indulgendo? Gratias rependes Jeſu, quòd tàm cito voluerit vivere tibi; illi offeres vitam tuam, cupidus, te totum deinceps impendendi ejus obſequio, & iniquo animo ferens, quod omnium hominum vitas non habeas, quas ei ſacrifices. Optabis beneficii memor, ſingulis momentis, ſi poſſes, elevare mentem ad Deum, & recordari hujus horæ tam felicis & tibi & omnibus, quæ vitæ Jeſu dedit initium. Rogabis beatiſſimam Virginem, ut impetret tibi gratiam, qua ſcias co-

lere hunc diem, & momentum illud, in quo illa Dei mater evaſit, & tu Jeſum recepiſti.

XVII. Novembris.

MEDITATIO XXVI.

Lætitia humanitatis ſanctiſſimæ in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Agnovit ſanctiſſima humanitas ſe eſſe tot donis ornatam & ſimul unitam perſonæ Verbi æterni inenarrabili & per totam æternitatem indiſſolubili nodo, ita ut ne per unum quidem momentum ſolvenda ſit unio; unde ſingularem voluptatem percepit. Gratulaberis humanitati ſanctiſſimæ, quòd æternum victura ſit tam ſtrictè cum Deo, & conſors futura divinorum attributorum. Attendes, hanc eſſe veram & unicam occaſionem lætandi, poſſe uniri cum Deo, & nunquam ab eo ſeparari, ſimulque eisdem gaudere ſupremæ majeſtatis honoribus. Erubeſce, quòd hactenus non tanti feceris hunc honorem, quanti debebas; ſcias velim, non aliam tibi eſſe præcipuam gaudendi materiam, præterquam unionem cum Deo.

Secundum. Non ſolùm humanitas Jeſu lætitiam percepit ex ſublimi potentiâ, ad quam ſe videbat evectam, ſed præterea ex donis & privilegiis ſuæ matri conceſſis, quæ ſua eſſe reputabat. Vide, quantum tu quoque exhilarari debes propter dona ſanctiſſimæ matri conceſſa, cum tantopere filius exhilaretur. Gratias ages Jeſu pro tanta liberalitate erga Virginem exhibita. Lætaberis ejus bonis quaſi tuis, hanc rogabis ut te participem faciat gratiarum, quibus ipſius anima fuit copioſiſſimè locupletata.

Tertium.

Tertium. Vidit humanitas ſanctisſima, gratias omnes, favores omnes, dona omnia & privilegia, quæ per merita ſua concedenda erant omnibus aliis creaturis, & privatim animæ tuæ, & ea omnia rata habuit, his lætata eſt, & quæ nobis concedenda erant, quaſi ſibi ipſi conceſſa reputavit. Gratias rependes humanitati ſanctisſimæ, quòd noſtro bono tantopere lætaretur & res noſtras inter ſuas numeraret. Erubeſces, quod tuum non reputas, quod ſapit Jeſu; optabis habere loco beneficii tibi collati, totum id quod fuit Jeſu conceſſum, ut ille ſibi beneficii loco habuit, quicquid nobis fuit divina liberalitate conceſſum.

XVIII. Novembris.

MEDITATIO XXVII.

Jeſus incipit operari.

Oratio præparatoria & præludia ut ſupra.

PUnctum primum. In illo primo inſtanti Ieſus cœpit operari, & ita operari ut nihil fuerit quod non operaretur, neque ullum momentũ elabi ſiverit operationi deſtinatum. Tanta ſedulitas tibi ruborem injiciet, qui poſt annos vitæ transactæ adhuc non incœpiſti operari pro Deo. Tibi dolebit, quòd tantum temporis tribueris mundo, creaturis & voluptatibus terrenis, non autem Deo. Optabis, te incœpiſſe jam inde à primo inſtanti uſus rationis: Saltem cum firmo propoſito emendandi negligentiam præteritam dices, *nunc cœpi.*

Secundum. JESUS diligentiæ fervorem adjunxit in operando, ita ut ab illo primo inſtanti quàm maxima poterat perfectione incœperit operari. Mentem reflectes ad teporem tuum; forte hactenus non elicuiſti actum pro viribus tuis; circumſpice operationes tuas, ecquam invenies æquantem vires tuas? quam

quam non ſignatam imagine teporis & notatam charactere negligentiæ? & ſtatue, mentem applicare obſequio domini, qui dignus eſt infinita obſervantia.

Tertium. Subito Jeſus incœpit operari cum fervore, quem toto vitæ ſuæ tempore continuavit. Attendes ad tuam miſeriam; ſi enim aliquoties mentem applicuiſti aliquantulum obſequio divino, quàm cito animum remiſiſti? quàm facile incœptum opus defatigatio retardavit, & quælibet obvia difficultas te ab operando deterruit! Erubeſces, quia in iis, quæ tibi ſunt grata, facile perſeveras, nec defatigaris. Optabis perſeverare in tuo propoſito, aſpirabis ad cœlum, ubi continuò Deum amabis. Interea pro tuorum ſatisfactione defectuum offeres operationes Chriſti promptas atque ferventes.

XIX. Novembris.

MEDITATIO XXVIII.

Puritas intentionis JESU in operando.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

PUNctum primum. Ab illo primo inſtanti Jeſus cœpit operari cum intentione puriſſimâ gloriæ & honoris Paterni, ad quem tanquam ad ſcopum ſemper collimabat, & ab eo temporis articulo omnes ſuas actiones patri obtulit, quibus ipſius gloriam quàm latiſſimè dilataret. Et tu forſan hactenus è tot actionibus tuis, ne unam quidem direxiſti, quæ purè & ſine alterius finis admixtione divini nominis gloriam ſpectarit; tametſi eam ſæpius in ore habueris. Te pudeat, quòd tibi fines tam abjectos & indignos propoſueris, quibus tot egregiorum operum pulchritudinem & venuſtatem maculaſti. Optabis purgare intentionem tuam, eamque omni alio affectu ſpoliatam unicâ Dei voluntate veſtire.

Se-

Secundum. Cum patri ſufficeret gloria, Jeſus obtulit pro nobis fructum & valorem operum ſuorum, quæ toto vitæ ſuæ tempore acturus erat, & quò majori beneficio nos obſtringeret, obtulit actiones ſuas unà cum noſtris, ut iſtæ ex ſuis valorem & dignitatem mutuarentur. Attende liberalitatem Jeſu largientis tibi omnia ſua, hoc eſt, theſaurum infinitum, idque præſtitit. Subito, & ſemper; & tu quam avarè, quàm ſtrictè agis cum illo? quàm negligenter offers opera tua Deo, conjunctim cum operibus Chriſti? Pœniteat te negligentiæ tuæ, & ſtatue, te nihil operaturum deinceps, quod non ſit operum Jeſu valore & dignitate nobilitatum.

Tertium. Non ſatis fuit Jeſu, operari ex fine gloriæ divinæ & utilitatis humanæ, ſed inſuper adjunxit omnes illos fines, qui poterant actibus ſuis majorem dignitatem afferre, operando ex motivo virtutum, quas exercebat. Vide Jeſum operari cum omni perfectione, quâ poteſt. At verò quàm languet in te ſanctiſſimum hoc deſiderium, quàm parùm accuratè te geris quàm temere & caſu, ut ita dicam, operaris! adeo ut ſi exterius obedias, interioris tamen obedientiæ perfectio deſideretur. Luge errores præteritos, Agnoſce ne unam quidem virtutem poſt tot annos vitæ Chriſtianæ te fuiſſe aſſecutum, quia non elicuiſti actus cum intentione te exercendi in virtute. Propone emendationem.

XX. Novembris.

Quinta ſeptimana.

Occupatio Verbi incarnati circa Deum.

MEDITATIO XXIX.

Anima Jeſu fruitur viſione Dei.

Oratio

Hac eſt vita æterna ut cognoſcant te. Et tamen quantum hactenus abfuiſti ab hac notitiâ & lætitiâ? cor tuum eximes ab omni alio affectu, deſiderando & rogando ſemper cum Prophetâ, ut cognoſcamus in terrâ viam tuam.

Tertium. Contemplaberis excellentiam Virginis, quæ tunc evaſit nobilior cœlo empyreo, ubi Deus videtur, dum Jeſus in ipſius utero exiſtens vidit Deum perfectiùs, quàm Beati ipſum videant in cœlis. Lætaberis, quòd uterus Virginis fuerit cœlum, in quo prima anima Deum vidit. Gratulaberis Virgini hanc gratiam, & animos ſumes ad ſerviendum illi ſynceré, & devotè famulandum, cum Maria tantopere conferat ad Dei viſionem conſequendam.

XXII. Novembris.

MEDITATIO XXXI.

Jeſus Deum adorat.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Jeſus in illo primo inſtanti videns clarè & intuitivè majeſtatem Dei cum omnibus ejus infinitis perfectionibus, & tam nobilis objecti excellentiâ oppreſſus, ſtatim illum adoravit actu tam perfecto, ut perfectiore nunquam fuerit Deus adoratus, eique ut ſuo creatori & glorificatori ſe ſubjecit. Lætaberis eo honore, qui delatus eſt Deo in illo inſtanti, fuitque longè major contemptu, quem Lucifer exhibuit, nolens ſe illi ſummittere; major etiam quàm reverentia, quâ Seraphim eum continuo proſequuntur, faciem ſuam velando, & dicendo, *Sanctus &c.* Ab eo temporis articulo cœpit Deus adorari, quantum merebatur, hoc eſt, honore infinito; tunc ſiquidem homo-Deus adoravit Deum actu adorationis infiniti valoris. Si tu ſaltem ſcires, ſæpius Deum adorare

orare cum reverentiâ ; quàm rarò hactenus id præſtitiſti ex corde? Enitere in poſterum illud facere ex toto animi affectu, ſæpiſſimè tecum repetendo, *Benedictio, & claritas, & ſapientia & gratiarum actio & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum.*

Secundum. Actus iſte adorationis adeo ardens in hac anima ortus eſt ex clariſſima cognitione, quam habuit de perfectionibus infinitis Dei; ita ut quò quis clariùs Deum cognoſcit, eò illum pluris faciat & majori reverentia proſequatur. Attendes, hinc oriri tuas miſerias, cordis diſſipationē, mentis evagationes, languorem circa Dei cultum, quia vix illum cognoſcis. Optabis veram hanc cognitionem, hanc poſtulabis, intuitu illius cognitionis ; quam habuit anima JESU.

Tertium. Hæc eadem adoratio principium habuit in animâ JESU ex ſui cognitione, per quam deſcendendo ad abyſſum ſui nihili longè profundiùs, quàm ullus intellectus humanus, vel angelicus unquam deſcenderit, tantò altiùs ſupra ſe extulit divinam majeſtatem, quam ab humanitate ſuâ infinitè diſtare cernebat. Vide, quantum proſit notitia nihili ſui, quæ viam ſternit ad majorem Deo honorem deferendum. Et tu quàm parùm laboras in cognoſcendo & deprimendo te? multò minus deprimi & juvari ab aliis exoptas, ut diſcas animi moderationem atque ſubmiſſionem. Statue, altiùs in nihili tui fodinam penetrare, unde magnam Dei cognitionem extrahes; pro cultu quem neſcis Deo exhibere, offer illi actum adorationis, quem JESUS elicuit infinitè perfectum, utpote Verbo unitum ; ſic enim Deus adorari merebatur. Hunc ora continuò cum ſancto Franciſco, *Noverim te, noverim me.* Et ſimul diſcas coram Deo te nihilum reputare ; dicendo cum ſancto Davide, Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.

XXIII. Novembris.

MEDITATIO XXXII.

JESUS Deum amat.

Oratio preparatoria & preludia, ut ſupra.

PUnctum primum. Vidit clarè JESUS in illo inſtanti infinitam Dei bonitatem, eamque tam ardenter amavit, lætando de bono infinito, quod Deo ineſt, ut ardentiſſima Seraphim glacie congelata videantur, ſi ea componas cum actu iſto amoris. O Domine, nunc demum amaris juxta merita tua. Gaudebis, quod in noſtra naturâ reperiatur, qui Deum amando plus ei placuerit, quàm alii eidē diſplicuerint, ipſum offendendo. Erubeſces, quòd inter eos numereris, qui Deū parcè & languide diligunt, dum ille à te expectat, tibique imperat, ut ſe, prout meretur, diligas ex totis viribus tuis, & ex totâ animâ tuâ; optabis, iſtud inpoſterum exequi, & ad reparandos omnes tuos defectus, quos in Deo amando admiſiſti, offeres illi amorem JESU.

Secundum. JESUS in hoc inſtanti amando Deum, amavit omnes creaturas in eo, videns eas eſſe bona illius, ab ipſo dependere, & cum eodem eſſe connexas. Attende, proprium eſſe veri amoris, amare omne id, quod amat Deus; & tu quàm alienum animum oſtendiſti ab amore ſincero erga proximum tuum à *Deo* dilectum; & contrà complexus es ea, quæ *Deo* diſplicebant? Erubeſce coram illo, quòd amor tuus in verbis tantum conſiſtit, ſine medullâ, quo vegetetur, ſine calore, quo ea, quæ tibi in proximo diſplicent, concoquat. Roga JESUM, ut hanc veram legem inſculpat in corde tuo, qua aliis poſthabitis cuncta ames in *Deo* & propter *Deum*.

Tertium. Cum cerneret JESUS naturam humanam ad dignitatem unionis cum Verbo eſſe elevatam, mortales omnes agnovit, ut fratres ſuos, & quò altiore ſe

vi-

vidit in dignitate conſtitutum, eo ardentiori deſiderio proſecutus eſt bonum fratrum ſuorum ac noſtram dilexit ſalutem. Adverte effectũ veræ charitatis, quæ ut bonis abundantiſſima eſt, ita liberaliſſimè ea communicat; & quò minus in ſe egena eſt, eò magis eget pro aliis. Mentem in te reflectes, quàm parum ſollicitus ſis de bono alieno, & quantumvis bene tibi ſit, neſcias tamen compati miſeriis proximi tui, eaſque opere ſublevare. Erubeſce, quòd re ipſa tui tantùm ſis amans. Roga JESUM, ut ejus exemplo diſcas aliis velle, quæ tibi vis.

XXIV. Novembris.

MEDITATIO XXXIII.

Gratitudo JESU erga Deum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo anima JESU, cum ſe videres ad gradum tam ſublimis dignitatis evectam, totque muneribus cumulatam, ardentiſſimum gratitudinis affectum concepit erga benefactorem ſuum. Hîc quàm negligenter te geris tu, qui adhuc non noris beneficia & miſericordias à Deo acceptas æquâ lance penſare? Erubeſce tu qui accepiſti, & accepti memorẽ te non præbuiſti, ita ut Deum quaſi projectum & ſibi perditum duceret, quicquid tibi conferret. O ſi demum in tuo corde conciperes hunc ſpiritum gratitudinis, & nunc inciperes miſericordias domini *in æternum* cantare! Hoc opta, hoc Jeſum roga, offer Patri æterno gratitudinem JESU quâ ſatisfacias pro ingratitudine tuâ.

Secundum. Conſidera, quomodo Jeſus grato affectu complexus eſt dona & beneficia omnia, quæ tunc temporis acceperat, & per totam æternitatem accepturus erat, attendens ad dignitatem dantis, ad vilitatem naturæ humanæ recipientis, ad excellentiam

doni oblati ad exceſſum amoris donum comitantis, denique ad modum, quo dabatur, hoc eſt, gratiosè, ſponte, & merè liberaliter. Vide, quàm eximia & ſolida eſt hæc gratitudo. Quantum tu differs à Jeſu? nec reſpondes præteritis aut præſentibus beneficiis, nec quicquam agis, quo ea gratus agnoſcas. Non te pudet ſiccare ingratitudine tua divinæ liberalitatis fontem, ex quo continui ac perennes in te beneficiorum rivi manarent. Propone emendationem, explica cordis ſinum, ut Deus manum explices beneficiis.

Tertium. Conſidera gratitudinem cordis Jeſu non complexam eſſe tantum dona ſibi collata, ſed gratias etiam omnes & favores quos Deus aut contulerat aut collaturus erat cuilibet creaturæ. Vide, quantum creſcat & dilatetur gratitudo in corde Jeſu. O ſi noſſes hujuscemodi gratitudinem imitari, crebras divinæ bonitati gratias rependendo pro omnibus gratiis ſingulis creaturis conceſſis! ſi beneficia aliis collata reputares tibi conferri, longè abeſſes à periculo vel invidiæ, vel murmurationis. Erubeſce, quòd iſtud non præſtes. Gaude, quòd cum tu neſcias teſtari gratitudinem tuam pro beneficiis tibi aliisque collatis, huic officio abundè ſatisfecerit Jeſus pro te & pro aliis. Offer Deo hunc actum gratiarum actionis. Propone, ad imitationem Jeſu ſæpius gratias agere Deo pro beneficiis, quæ tibi & reliquis omnibus contulit.

XXV. Novembris.

MEDITATIO XXXIV.

JESUS benedicit Deo.

P*Unctum primum*. Cum in illo inſtanti cognoſceret Jeſus, Deum eſſe dignum, cui infinitè benediceretur, cœpit ſtatim illi benedicere perfectiſſimo modo, tum pro ſe, cui divina liberalitas tot dona contulerat, tum pro his, quæ tam ſuo, quàm creaturarum

omnium nomine erat vel operatus, vel operaturus. Tecum cogitabis, quàm negligenter, quàm tepidè pro te benedixeris illi Domino, quem infinitis laudibus ornare debebas. Gratias JESU repende, quòd tuos defectus ipſe ſuppleverit. Offer Patri æterno benedictioné, quam illi Jeſus impertivit, in ſupplementũ tuæ, & propone, te deinceps majorem diligentiã adhibiturum in hoc munere explendo pro te & pro omnibus.

Secundum. Non ſatis fuit JESU, benedicere divinæ liberalitati cum tanto affectu, niſi Virginem, in cujus utero latebat ad idem præſtandum excitaret, gaviſus habere ſocios, qui ſimul benedicerent *Deo.* O ſi tu arderes hoc ſancto deſiderio cooperandi, quantum in te foret, ut omnes benedicerent *Deo*, eumque laudibus proſequerentur! Vide, quàm remiſſè te geras quã negligenter eos, quibuſcum verſaris aut negotia tractas, ad id faciendum hortaris. Statue, pro viribus rem exequi, exemplo trium puerorum, qui cum tanti animi affectu res omnes creatas invitarunt ad laudes ſecum divino numini tribuendas. *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

Tertium. Conſidera, quomodo benedictioni internæ adjunxerit JESUS aliam, quæ oritur ex vitâ ſanctâ & divinâ, quam agere cœpit, & deinceps continuavit. Attendes, veram benedictionem Divino numini gratam non conſiſtere ſolùm in animi affectu, qui cito tranſit, ſed in vita ſancta atque laudabili; & tu hac in parte quàm parum benedixiſti *Deo* tuo, non amplectendo vitam verè ſanctam & ſeriam in ejus obſequio, ſed tepori te dando? Miſeriam hanc tuam coram Deo deteſtaberis. Induces animum, mutare mores; offeres Patri vitam JESU, cujus meritis in ſpem venies melioris vitæ.

XXVI. Novembris.

Occupatio Ieſu circa homines.

MEDITATIO XXXV.

JESUS videt MARIAM.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* In illo inſtanti vidit Jeſus ſolam Mariam inter omnes homines, veluti candidiſſimum lilium ſine maculâ, ſine culpâ peccati originalis, ſine ullâ noxâ actuali, nunquam Deo exoſam, ſed illi ita acceptam, ut quamlibet puram creaturam gratiâ ſuperaret. Conſiderabis, quantam voluptatem perceperit Jeſus, quòd Deus tam gratum haberet obſequium Mariæ, & Maria tam ſingulari amore Deum proſequeretur. Lætaberis pariter honore, quem ſumma puritas Mariæ Deo conciliabat, & bono, quod inde in Mariam redundabat. Te colliges, & videbis, quàm exiguum honorem attulerint hactenus Deo tui mores minus cum virtute Chriſtianâ congruentes. Offeres Deo puritatem Mariæ, & flagitabis gratiam, per merita Mariæ, ut poſſis vitam emendare.

Secundum. Animadvertit Jeſus ſe eſſe filium matris puriſſimæ atque ſanctiſſimæ, utque habuit in cœlis ſinum Patris, ita ſe habere in terris mundiſſimum ſinum Virginis, in quo ſanctè requieſceret. Conſiderabis lætitiam, quam ille percepit, quòd matrem haberet ita Deo acceptam, & quæ illi ſanctitate plus placuit, quàm antiquiſſima regii ſanguinis nobilitate. Tecum ipſe diligenter attendes, Deum nihil aliud in pretio habere, præter ſanctitatem; tu contrà, quàm parvi feciſti virtutem, captando interdum inanem gloriam ex nobilitate aliiſque naturæ muneribus! dolebis præteritum, & optabis, te in poſterum nihil aliud curare, quàm ſanctè vivere, & Deo placere.

Tertium.

Tertium. Vidit Jeſus omnia dona, quibus ornabatur Maria, fuiſſe illi ut matri Jeſu conceſſa à Deo, ſumque eſſe eidem alia dona largiri. Attendes, gratisſimum fuiſſe JESU, quod matri ſuæ tot gratias meruiſſet, & ſubito promptisſima voluntate ipſum concurriſſe ad eam amplioribus donis locupletandam, maximè hoc tempore, cum in illius utero manſurus erat. Gaudebis de ſtudio JESU erga Mariam; illi ages gratias pro omnibus donis, quæ largitus eſt Dominæ tuæ. Seriò perpendes, quot favoribus fuiſſes cumulatus à JESU, ſi ad ſacram menſam accedens mundi cordis receptaculum illi præbuiſſes. Lugebis teporem tuum, & eniteris, cor illi quàm puriſſimum præparare.

XXVII. Novembris.

Sexta Septimana.

MEDITATIO XXXVI.

Jeſus videt alios homines.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

PUnctum primum. In illo inſtanti vidit Jeſus homines præteritos, præſentes & futuros, eosque in pœnam peccati originalis excluſos è cœlo, perpetuo damnari exilio, niſi eorum miſeriæ ſubveniretur; tum infelicem hunc ſtatum cum ſua beatitudine comparando, mortalibus, quos reſpiciebat ut fratres ſuos, fraterno verè affectu compaſſus eſt: ita ut illi poſſit iſtud jure adaptari, *videns turbas, miſertus eſt eis.* Attentâ mente conſiderabis, te inter tot homines non effugiſſe oculos Dei tibi compatientis. O bone JESU *quid eſt homo, ut in primo illo inſtanti apponas erga eum cor tuum?* licet ſit miſeriis & peccatis oppreſſus, in illum tamen dignaris intueri. Gratias ages Jeſu, quòd tibi compatiatur, & tuo malo tangatur.

Conſiderabis, quàm parùm tu miſeriis animæ tuæ & proximi compatiaris. Propones induere inpoſterum affectum teneriorem, quo alienis non ſecus ac tuis calamitatibus commovearis.

Secundum. Tunc cognovit peccatum non ſolùm ut noxium nobis, ſed etiam ut contumelioſum & injúrium Deo infinitè amabili, & repente ſanctiſſimo divini honoris zelo ſucceпſus, moleſtè admodum tulit tantàm majeſtatem fuiſſe offenſam, artisque ingenti deſiderio exterminandi peccatum divino honori contrarium, & hominibus manifeſtandi infinitas divini numinis perfectiones, quò noſtras voluntates illi ſuaviſſimè conciliaret. Attendes, quàm parùm tangaris offensâ divinâ, ſive à te ſive ab aliis admiſsâ; optabis tantum gloriæ Deo tribuere, quantum fuit opprobrium, quo illum peccatores affecerunt, & rogabis animam Jeſu, ut in te ſancti hujus zeli ſcintillam accendat.

Tertium. In eodem pariter temporis articulo Jeſus notitiam habuit ſcelerum, quæ patranda à te erant; moleſtiæ, quam Deo allatura erat ingratitudo animi tui beneficiorum immemoris, & damnationis æternæ, quam per ſummam infelicitatem poſt tot admiſſa gravia peccata merebaris. Hæc ipſe maximè doluit & te emendari ac Deo honorem reſtitui deſideravit. Et tu quàm parum doles & doluiſti peccata tua, & tamen tuâ potius intereſſet, quàm illius peccata dolere? Gratias habebis Jeſu, quòd doluerit peccata tua. Hunc dolorem offer patri æterno, eumque roga per merita Jeſu, ut tibi concedat gratiam, quâ poſſis in partem doloris venire, quem jure à te exigunt peccata tua.

XXVIII. Novembris.

MEDITATIO XXXVII.

Jeſus offert ſe Patri.

Pun-

P*Unctum primum.* Anima JESU cum adverteret in illo inſtanti ſe eſſe tot gratiis & privilegiis cumulatam, nullatenus voluit eſſe ſua, ſed totam ſededit illi cui totum debebat. Vide, quod voluerit tota eſſe Dei, quia totum habebat à *D*eo, & tu qui totum habes id habes à *D*eo, quàm negligens es in dando te *D*eo! imo poſt tot annos nihil ei dediſti, quod ab ejus manibus non retraxeris. Pudeat te negligentiæ tuæ & inconſtantiæ, offer te totum *D*eo unà cum JESU, roga illum, impertiat tibi lucem & firmam voluntatem dandi te totum illi, cui tot nominibus addictus es totus.

Secundum. Oblatio JESU fuit omnium perfectiſſima, utpote oblatio rei gratiſſimæ, valoris infiniti, & facta ex intimo cordis affectu, ſicq; conſiderans omnia quæ Pater de ſe, de matre ſua, deque aliis decreverat, totum ſe paternæ voluntati permiſit. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Conſidera tui muneris eſſe, cum non poſſit dare, niſi miſeram animam & corpus corruptioni obnoxium ſupplere ſaltem oblationis vilitatem, affectu, ſi poſſet infinito: attamen quàm frigidè te offers *D*eo, quàm parùm firmum eſt propoſitum tuum? Roga JE*S*UM, tibi concedat aliquid ex eo affectu, quo ſeſe obtulit Patri; animos addat tibi, quibus generoſè, & ſine exceptione ulla illi te tradas.

Tertium. Conſidera quomodo hæc oblatio animata fuit deſiderio ſinceræ divini numinis gloriæ & ſalutis humanæ, dum JES*U*S ſe totum paternæ gloriæ & ſaluti noſtræ procurandæ devoveret: Attendes, quantum ab eo diſceſſeris, & ſiquidem oretenus dixiſti, te *D*ei gloriam ſectari, operibus tamen probaſti, te tuæ duntaxat gloriæ & propriis commodis inſervire. Roga Deum, ut cor tuum amore proprio liberet, tibique gratiam largiatur, quâ gloriæ divinæ ſtudendo illud expleat opere, ad quod obligaris tuæ profesſionis officio.

XXIX. Novembris.

MEDITATIO XXXVIII.

JESUS renuntiat beatitudini corporis, & ſe ſacrificat.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus cum agnoſceret hanc eſſe voluntatem Patris, ut juſtitiæ divinæ ſatisfaceret, & genus humanum cruentâ morte redimeret, cumque ipſe poſſet eligere genus vitæ valde illuſtris & congruentis divinitati ſuæ, ne perires, ceſſit gloriâ corporis ſui, vitæ genere apud homines honorifico, & opulento, omnique pompa famulantis aulæ, quæ ſupremum totius mundi imperatorem deceret. Attendes quòd in tuum bonum cedit, quicquid Chriſtus ſibi debitum recuſavit. O ſi tu poſſes ingratitudinum tuarum mare profundum intrare, ſi vitæ omnium creaturarum eſſent tuæ, easque pro JESU immolares! infinitis tamen nominibus reſtares obſtrictus: quid erit, ne vitam quidem tuam pro illo impendiſſe? quid erit, voluiſſe ſibi vindicare, quod tibi non debebatur? Licet merearis, ô pulvis, ô lutum, propter peccata tua contemni, deprimi, deſeri, tamen paſceris inanis gloriæ fumo, vis honore augeri, & ſimulatione divini ſervitii honori tuo & propiis commodis ſtudes. Erubeſce, quòd hanc vitæ rationem inveris. Gratias age Jeſu pro his, quæ tuâ cauſâ egit, ſtatue illum imitari, roga Patrem æternum, ut tibi ſemel veram tui notitiam impertiat.

Punctum ſecundum.

Jeſus non ſolum in illo inſtanti ceſſit his quæ ipſi ut Filio *D*ei congruebant, ſed illa etiam quæ non merebatur, amplexus eſt, ærumnas, labores, paupertatem, ludibria, vituperia, & arctè crucem amplectendo ſe ipſe ignominioſæ morti devovit. *Pater ſanctifico*

me

me ipſum. Vide, Jeſum ne per unum quidem momentum vivere ſine cruce, idque tuâ cauſa. Vide, idem ei eſſe & vitæ & laborum initium, non tantum *in laboribus à juventute*, ſed à primo inſtanti. Quantum debes prompto animo Chriſti? numquid deberes tu à primo inſtanti uſus rationis eſſe totus illius, & tamen quantum temporis tribuiſti cupiditatibus animi tui, & ſenſui! pudeat te ingratitudinis tuæ, pete veniam à Jeſu, & propone in poſterum illius in te amori reſpondere.

Punctum tertium.

In illo inſtanti quicquid *D*eus de vita ſui filii decreverat, acceptavit, confirmavit, ratum habuit, & toto deinceps vitæ ſuæ tempore ſui ſacrificium continuavit, ſingulis momentis ſe ſe offerent patri, ita ut ſuam, ut ita dicam, voluntatem amiſerit, eamque in patris æterni voluntate collocarit: hinc erat quod diceret, *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* O ſi Chriſti exemplo divinæ ſemper voluntati te conformares! ſi ſcires ad nihilum redigere voluntatem tuam, & illi divinam ſubſtituere, neque aliud velle, niſi quod Jeſus voluit, cum præſertim te præcipitem egerit voluntas tua. Attende, quam procul abſis ab iſta abnegatione propriæ voluntatis. Erubeſce, quod ita tuæ ſis addictus voluntati; niſi tibi pareatur, omnia turbas. Pœniteat te præteriti, & operam adhibe, ut inpoſterum emenderis.

XXX. Novembris.

MEDITATIO XXXIX.

De merito operum Chriſti in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus cum eſſet Deus ſimul & homo, offerendo ſe ipſum morti nobis, in illo primo inſtãti aliisq; actibus, quos tota deinceps vita produxit, meruit præmiũ infinitũ, quod ſcilicet

hujus-

hujuſcemodi actus ab infinitæ dignitatis perſona eliecerentur. Attende lætitiam, quam Jeſus percepit ex immensâ magnitudine meritorum, quibus redimi poterant infiniti homines, ſi tot exiſterent; & tu quibus gaudiis debes exultare, quod Jeſus tot abundet theſauris, quibus tuam ſublevet egeſtatem? quantum ſpei debes in illis reponere? quo affectu illos æterno Patri offerre? quàm epixe eundem rogare, ut per merita Jeſu erga te miſericordiam exerceat? Propone, in poſterum illi non offerre operationes tuas, niſi unà cum infinitis ipſius filii meritis.

Secundum. Volenti Jeſu pati & mori pro te, comparanda fuit operibus ſuis gloria corporis & nominis ſui, ita ut illi caro conſtiterit, quod ipſi debebatur; unde potes inferre, tibi non eſſe tradendam ſine labore multo & ſudore gloriam paradiſi, quam amiſiſti, nec tibi debebatur. Erubeſce, quòd pro illa aſſequenda tam negligentem te præbeas; ſtatim vires laſſantur; magnifacis laborem vel minimum; induc animum, ſudore multo tibi felicitatem eſſe comparandam, & cum ſe dabit occaſio, ſume animos, & dic, ſic itur ad aſtra.

Tertium. Jeſus in illo inſtanti non ſibi ſoli addixit meritum operum ſuorum, ſed ejus participes fecit mortales omnes, rogavit pro cunctis, quos gloriæ deſtinatos agnovit, & videndo tot ſanctos virtute præſtantes magnam inde hauſit voluptatem, & ſimul applicuit merita ſua, quibus illis perſeverantiam impetraret, ea applicuit tibi, quem præ oculis habuit, tibi promeruit gratiam, qua tibi ſanctitatem conferret, peccatorum veniam, qua te Deo reconciliaret, omnia ſubſidia, quæ tibi ſunt neceſſaria, omnia dona, quæ potes ſperare, & omne bonum quod à te poſſideri poteſt in terris, & deinde in cœlo. Vide Jeſu liberalitatem erga te, & conſidera, quòd cum debeas Jeſu, quicquid boni habes, Jeſus deberet tibi eſſe unicum bonum tuum,

cumque merita Jeſu ſint hæreditas tua, ſint divitiæ tuæ, tamen in eo ſolo omnes cogitationes tuas, omnesque cordis affectus non defixiſti. Pœniteat te tantæ ingratitudinis, ſtatue inpoſterum collocare in ſolo Jeſu theſaurum tuum, conſolationem tuam, beatitudinem tuam.

I. Decembris.

MEDITATIO XL.

Occupatio Verbi incarnati circa ſe in utero Virginis.

P*Unctum primum*. Conſidera, quomodo Jeſus videns humanitatem ſuam, nihilum agnovit, ex quo Deus ipſam extraxerat, eamque ex ſe nec eſſe, nec operari poſſe, atque adeo exiſtere ex mera liberalitate divina, & quid minus eſſe atomo, ſi cum infinitâ Dei eſſentiâ componeretur. O egregiam omnino occupationem animæ Jeſu, in ſui cognitione verſari, baſi & fundamento omnis ſanctitatis! O ſi ego eandem occupationem addiſcerem, dum aliis rebus extra me cognoſcendis tempus impendo! Habeo equidem quo verecunder, nam ſi in mei notitiâ occuparer, certe alius eſſem ab eo, qui nunc ſum, & me verè deſpicerem, cum certiſſimum ſit, quòd ſi Deus à me tolleret cuncta, quæ dedit, nihil aliud mihi ſupereſſet pro ſorte, præter nihil & peccatum; & tamen tam facile ſuperbiâ intumeſco.

Secundum. Conſidera, quòd anima Jeſu attendens tum ad ſtatum naturalem & ſupernaturalem, tum ad tot alia dona, quæ ipſi Deus contulerat, hæc omnia ad illum retulit & horum donorum magnitudinem cum vilitate & debilitate naturæ humanæ comparando, dicebat: *Fecit mihi magna, qui potens eſt*; volebatque, ut ad Deum ſolum tanquam ad primum bonorum omnium authorem laus omnis redundaret. O ſi ego idem

ſenti-

ſentirem! ſed ô me miſerum! mihi vanè complaceo in his, quæ miſericorditer à Deo recipio, & quaſi eorum author eſſem, inde aucupor laudem, ſaltem ſi ſcirem pudore ſuffundi propter vanitatem, jactantiam & ſuperbiam vitæ præteritæ, totque furta gloriæ Deo debitæ. O bone Jeſu imprime cordi meo hunc ſenſum, quem habebas, cum diceres. *Non quæro gloriam meam, ſed ejus qui miſit me.* Joan. 7. ne fiam indignus novis favoribus quos merito negas illis, qui tibi gloriam tollunt, gloriam, inquam, à te nulli alteri concedendam.

Tertium. Conſidera, quomodo Jeſus nullatenus otio vacavit, ſed ſecum diſpoſuit ordinem vitæ ſuæ, œconomiam Eccleſiæ à ſe fundandæ, modum redimendi homines, & providentiâ particulari uniuscujusque ſaluti invigilandi, animum ſemper figens in Deo, recipiendo & exercendo continuos actus excellentiſſimarum virtutum. Gratias ages Jeſu, propter tam ſanctam occupationem, & in particulari ob curam, quam in ſe ſuſcepit diſponendi de curſu vitæ tuæ, nec dubita, quin ſi ejus ductum ſequaris, æternam ſalutem ſis conſecuturus: quare illum amantiſſimè roga, ut non abſiſtas conſiliis quæ à primo ſuæ conceptionis exortu de te ſuſcepit; ſed ea omnino liberæ executioni mandentur.

II. Decembris.

MEDITATIO XLI.

Obedientia JESU in utero Mariæ.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

PUnctum primum. Attende, Jeſum conceptum fuiſſe in eo articulo temporis, cum Virgo paruit Angelo de cœlis miſſo, & ſe penitus divinæ voluntati ſummiſit, ita ut dici poſſit proles obedientiæ. Adverte, Chriſtum in te ſpiritualiter naſciturum, ſi non tuæ, ſed divinæ voluntati fores addictus. Et vero cur

putas

putas illum in anima tua fortaſſis non habitare, neque in tuis exercitiis ſuarum conſolationum te participem facere, niſi quòd Deo ſerviendo tuæ quoque voluntati inſervias? Erubeſce, quod hactenus hunc vivendi modum tenueris: Statue emendationem, & Deum roga cum ſancto Propheta, ut te doceat facere voluntatem ſuam, quia Deus tuus ipſe eſt.

Secundum. Ingreſſus JESUS uterum Mariæ ibi obedienter toto tempore conſtituto ſtetit; & toto ſuæ vitæ decurſu operatus eſt in ipſo temporis puncto, quod illi pater præſcripſerat, nunquam illud vel differendo, vel prævertendo. Vide, quàm accuratè, quàm diligenter paruerit, ſemper temporibus ſtatis ſibique præſcriptis operando; & tu quàm parum accuratè morem geris, volens commodo ſuo facere, quod imperatur, & tempus tibi, non te tempori accommodare. Pudeat te tam ſupinæ negligentiæ, & ſtatue, deinceps non ſolum obedire, ſed tempore conſtituto & accuratè, hoc modo, hac hora, hoc momento tibi à Deo præſcriptis, nihil aliud quærens, quàm divinæ voluntati ſatisfacere.

Tertium. In hoc puncto Jeſus ſe obtulit ad obediendum non tantum Patri æterno, ſed matri ſuæ ſanctiſſimæ, ſed ſancto Joſepho, qui locum Patris in terra tenebat, ſed legibus Imperatoris Romani, imò & iis, quorum operâ crucem & tormenta erat ſubiturus. Vide, quàm profunda fuit obedientia Jeſu, quâ ſe ſubjecit non inferioribus ſolùm, ſed inimicis & perſecutoribus ſuis, idque tuâ causâ. Ad tam illuſtre exemplum quam excuſationem afferre poteſt ſuperbia tua, quæ vix ſuperioribus ſubeſſe poteſt, & forſam iſtis etiam ægrè? Erubeſce, quòd cum ex una parte adeo miſerabilis ſis, ex altero tam accuratè attendis ad punctum neſcio quod honoris nec operari vis pro DEO infinitæ majeſtatis, quod Filius DEI operatus eſt

pro

pro te, qui vermis es terræ. Luge præteritum, propone emendationem. Poſtula à Jeſu notitiam tibi adeo neceſſariam.

III. Decembris.

MEDITATIO XLII.

Humilitas Jeſu in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum*. Filius DEI cum in illo inſtanti ſubiret uterum Virginis, licet illa reliquis creaturis longè antecelleret puritate, tamen cum non eſſet proportio cum infinita Dei puritate, extollit mirum quantum Eccleſia hanc Chriſti humilitatem, qua Virginis uterum non horruerit. Attende, ad quantò majorem humilitatem depreſſiſti Deum, cum illum adegiſti intrare pectus, quod longiſſimè abeſt à puriſsimæ Virginis ſanctitate. Quid eſt, quod cùm ad ſacram communionem accedis, tui nihili abyſſum profundam non ingrederis? cur non ſtatuis purgare cor tuum ab omni imperfectione? quare non eniteris ſervare animam mundam, quæ licet ſordibus inquinata venientem ad ſe Filium DEI indigno toties admittit hoſpitio?

Secundum. Anima Jeſu in eo temporis puncto, in quo ſe vidit ad tam ſublimem dignitatis gradum extolli, ſeſe abjecit ad nihilum ſuum, & humillimè confeſſus eſt, quicquid haberet, totum eſſe à Deo, qui ipſam perſonam Verbi unire voluerat. Vide nobilem contentionem: Deus extollit humanitatem Jeſu, hæc vero ſe deprimit, & eodem tempore, quo illam exaltat, ipſa ſe abjicit: At tu longè aliter te geris; etenim vel minimâ laude humanâ turgeſcis; vel ipſe favor divinus te ſuperbiorem facit. Erubeſce, quod adigas Deum parcè tecum agere, ne liberalitate ſuâ tibi ſuperbiendi materiam præbeat. Propone, inter miſericordias Domini non oblivisci miſeriæ tuæ.

Tertium.

Tertium: Non ſatis fuit Chriſto, tunc temporis Deo ſe ſubjicere; niſi etiam ſe ſubjiceret hominibus, & in particulari deſcenderet ad eos actus, quos deinde in vita exercuit; non ſine admiratione cœlorum, converſando inter peccatores, fugiendo honores, lavando pedes Apoſtolis; omniaque alia ludibria acceptando, quæ proh dolor patientiſſime toleravit. Gratias ages Jeſu pro exemplo, quod tibi præbuit, cum tantâ animi alacritate humiliationes amplectens: Erubeſces, quòd in ſchola humilitatis hoc eſt, in religione Chriſtiana tam parum in tui deſpicientiâ profeceris. Diſces Chriſtianam humilitatem animique demiſſionem non tantum generatim; ſed ad perſonas nominatim, & ad actus particulares deſcendendo: Rogabit Jeſum & obſecrabis per profundiſſimam ipſius humilitatem, ut tibi ſubminiſtret vires; quibus ducem ſequaris atque in tam ſancto exercitio toto vitæ tuæ tempore perſeveres.

IV. Decembris.

Septima ſeptimana.

MEDITATIO XLIII.

Manſuetudo JESU.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

PUnctum primum: Conſidera, quàm diſſimilem ſibi ſe præbuit Deus in utero virginis. Olim vocabatur terribilis, fortis, Deus exercituum; Nunc unitus humanitati fit manſuetus agnus, tractabilis & ſuavitate pleniſſimus. Legem laturus in monte Sinai ſe videndum præbuit inter fulgetra; fulmina, tonitrua; mundum autem ingreſſus eſt in ſilentio, quaſi ros cadens in vellus; ac proinde potuit ille jure dicere jam à primo illo inſtanti. *Diſcite à me, quiâ mitis ſum & humilis corde.* Diſce hujus exemplo te præbere manſuetum, tractabilem; alienum ab iracundia & ab

omni agendi modo, qui poſſit alios offendere. Attẽdes, ſi ita te geris, ſi diſcordias ſéris, vel foves pacem. Opta exemplo Chriſti, quoties ſe dabit occaſio, inter omnes pacem conciliare, cum Jeſus habitare non poſſit, niſi in domo pacis. *Et factus eſt in pace locus ejus.*

Secundum. Sicut arena furias irati maris compeſcit, ita manſuetudo Jeſu patris iram contra mortales accenſam cotinuit. Attende, quomodo Deus tuis peccatis offenſus hoc inſtanti placari cœpit. Gratias age Jeſu pro hac miſericordia, roga patrem æternum, ut delictorum tuorum rationem non habeat, ſed reſpiciat in faciem manſuetiſſimi infantis, dic illi, *Reſpice in faciem Chriſti tui*, ut evadas dignus miſericordiis, quas tibi Jeſus ſua manſuetudine promeretur.

Tertium. In illo inſtanti ſtatuit Jeſus eſſe manſuetus erga peccatores, agere cum illis, condonare offenſas, venientibus liberum ad ſe aditum præbere, non venientes vocare, uno verbo, quicquid erat cum peccatoribus acturus, id totum ſecum ipſe decrevit. Attende, quod tu quoque fueris ex iſtorum numero, ſtatuit te per pœnitentiam ad ſe revertentem benignè excipere, peccantem tolerare, rebellem non deſerere, & quas in vita tua expertus es miſericordias, in te liberaliter exercere. Vide, quantum ſpei & fiduciæ debeas in Deo reponere, nec tam ſcelerum tuorum magnitudine deterreri, quàm ejus infinita charitate provocari; & tamen longè aliter te geris; cum in peccata delaberis, animo cadis, quaſi Deus tibi benefaceret, quia mereris, non quia ipſe bonus eſt. Indue affectum Filii Patrem diligentis: luge præteritos errores, & ſtatue reverti ad amantisſimi parentis ſinum, quantumvis ſit miſer & miſerabilis.

V. De-

V. Decembris.

MEDITATIO XLIV.

Amor paupertatis in JESU intra uterum Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

PUnctum primum. In illo inſtanti Dominus ille, cujus eſt orbis & plenitudo ejus, ita ſe omnibus ſpoliavit, ut nihil omnino poſſidere voluerit. Vide, quàm ampla fuerit iſta abnegatio, quâ non ſolum ſpoliavit ſe, ſed evacuavit. *Qui cum dives eſſet*, pauper factus eſt pro nobis: Quàm libenter deberes exuere te omnibus rebus pro Chriſto, & tamen quàm ardenter cupis non tantum, ut nihil tibi deſit, ſed affluas rerum omnium copiâ! quàm ſollicitus es, ut cuncta tibi neceſſaria ſubminiſtrentur! quàm inquietus, quando videris eſſe omnibus oblivione & neminem advertis qui ſtudeat commodis tuis! pudeat te, hanc vitam ducere; Opta poſſe omnibus exui, ut Jeſu plenè potiri poſſis.

Secundum. Statim Jeſus incœpit pati incommoda paupertatis, aſſumendo carnem & ſanguinem Virginis, accipiendo ab ea cibum, & licet potuiſſet ipſe omnipotentiâ ſuâ ſibi res neceſſarias providere, voluit tamen ab aliis dependere & ſua, ut ita dicam, alimenta mendicare. Vide, ut non contentus fuit affectu, ſed effectu. Tu verò deſideriis paſceris, & quando ſeſe offert occaſio exercendi paupertatem non eam amplecteris, nec beneficii loco reponis, quemadmodum Infans Jeſus, qui tua cauſâ ſe ad ſummam paupertatem redegit. Statues, inpoſterum amplecti paupertatem, tuorum commodorum defectu lætari, rerum temporalium anguſtias acceptare beneficii loco, agnoſcendo, quòd Jeſus vellet in aliquo te ſibi ſimilem videre.

Tertium. Non reſtrinxit Jeſus paupertatem ſuam intra novem menſes, ſed eam ad totum vitæ ſuæ curſum extendit, naſcens pauper in ſtabulo, vivens mendicus ex eleemoſynis, & moriens nudus in cruce. Vide ut non ſolum perſeveravit usque ad mortem, ſed ſemper in paupertate progreſſum fecit, finiendo vitam in nuditate ut in nuditate vitam cœperat. Tu quam illi diſſimilis, qui tam cito abjicis exercitium paupertatis, & temporis progreſſu variis quæſitis rationibus amas lautius tractari & delicatius haberi! Opta, poſſe exſpoliari omnibus, fuge neceſſitatem multarum rerũ, amplectere ex animo paupertatem, exue affectum tuiipſius & rerum omnium, quas operaris, ut Jeſu ad egeſtatem redacti paupertatem imiteris.

VI. Decembris.

MEDITATIO XLV.

Patientia JESU in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Quo cœpit Jeſus inſtanti vivere, eodem cœpit pati anguſtias carceris virginalis, incommoditatem ſitus, obſcuritatem loci, quorum omnium plenam ipſe notitiam habebat: hæc tamen cum perfecta ſui abnegatione & patientia ſingulari toleravit, ita ut ne per unum quidem momentum hujuſce tormenti tempus contrahere voluerit. Attende, ad amorem Jeſu, qui ne unum quidem momentum vitæ ſuæ ſinit elabi, quin illud tibi totum impendat; & tu quam parcè pateris pro illo? optares ſcilicet, finirentur ſtatim labores, ſubito tormenta ceſſarent; quod ſi parumper durant, tibi longiſſima & penitus intolerabilia videntur. Pudeat te ignaviæ tuæ, diſce magnifacere hoc tempus, in quo poſſis Chriſto pro te patienti aſſimilari.

Secundum. Parum fuit Jeſu, pati illas anguſtias ſitus aliaque incommoda, voluit etiam cogitatione gemere ſub torculari omnium tormentorum quæ illi in vita & in morte præparabantur, optavit illis torqueri, & cum maxima animi voluptate illa amplexus eſt, perinde ac ſi forent præſentia. Vide, ut illi ultro occurrit tormentis tua cauſa, eaque, ut ita dicam, accerſit; tu contrà quàm celeriter fugis, quicquid tibi grave futurum prævides, removes illud à te quàm longiſſimè potes, ne aliquando ad te perveniat. Erubeſce, quod te in fugam conjiciat non dolor ſolùm, ſed umbra & timor doloris. Ades animo, & omitte timorem; exemplo Chriſti ſponte occurre hujuſcemodi occaſionibus, eas ne fuge. Gratias age Jeſu tam gravia pro te patienti, roga illum, ut ſimile deſiderium imprimat cordi tuo.

Tertium. Pro nihilo habuit tormenta quantumvis atrocia, quæ erat ipſe ſubiturus, niſi etiam experiretur, quicquid mater, quicquid martyres, quicquid confeſſores ipſius cauſa paſſuri erant, ita ut voluerit ipſe paſſionis omnium calicem libare. Attende Chriſti charitatem, quæ ſua facit aliena tormenta, & tu vix aliorum doloribus compateris, tuos extollis, aliorum elevas, nec eo, quo par eſt, animi ſenſu proximi tui calamitatibus tangeris. Erubeſce, quod ita frigeat in te charitas. Roga JESUM, impetret tibi viſcera amoris erga proximum, ut ſcias patienti condolere & alienas afflictiones reputare ut tuas.

VII. Decembris.

MEDITATIO XLVI.

Incommoda, quæ JESUS paſſus eſt in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quàm jure & merito Sanctus Paulus aſſeruit, nos non habere pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, cum eas ipſe in ſe experiri voluerit omnes, ſi peccatum excipias; Tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato. Ad Hebræos 4. Et certe multò plura ille expertus eſt, quàm nos: Cum enim alii infantes in utero matris careant uſu rationis, carent quoque notitiâ miſeri ſtatus, in quo verſantur; Chriſtus contrà, cum à primo inſtanti donatus eſſet perfectiſſima cognitione, per totum novem menſium ſpatium multa paſſus eſt, ita ut mente attentiſſima conſiderans cuncta hujuſce ſtatus incommoda, accerrimo dolore cruciaretur. Ecquis non ſtupebit divinam ſapientiam, & bonitatem, qua dignatus eſt Dominus abjicere ſe ad res ita alienas à dignitate ſua, ut omnes infantes, quos uterus maternus geſtavit, infelicitate (ſi ita loqui fas eſt) ſuperarit. Quantum debes, ô anima mea, huic amori Jeſu, qui non renuit redigi ad ſtatum adeo infelicem, & ſalvâ majeſtate ſua, miſerias noſtras participare. Gratias illi repende ex animo, teque erige ad patienter ejus cauſa tolerandas miſerias, quæ huic vitæ præſenti debentur.

Secundum. Attende privatim, infantes alios maternos ſanguine nutriri; ſicut in carcere anguſto, ſic in utero ſtare ſitu membrorum valde incommodo, privatos uſu libero corporis & functionibus ſenſuum. Quàm acerba hæc erant Chriſto incommoda, qui tamen omnia perfectiſſima cognitione complectens ſtabat immobilis, vinctus verè catenâ amoris in hoc obſcuro & arcto carcere, privatus uſu organorum ſenſuum, in eoque perſeveravit per novem menſes, nullâ in re ſecum diſpenſans. Jure miratur Eccleſia charitatem tuam, O Domine, qui ut hominem à miſeris

vin-

vindicares, *non horruiſti* virginis uterum. Et ego quid facio, non dico,ut Jeſu exemplis reſpondeam, ſed ut peccatorum meorum jugum excutiam? nullam vim mihi facio, ſervio licentius ſenſibus meis,indomitus atque effrænatas animi cupiditates non coerceo. O Domine,quid de me fiet, qui tam pauca operor pro mea ſalute, dum tu jam à primo vitæ tuæ momento tam multa operaris?

Tertium. Conſidera, quis eſſet ſenſus Virginis, quæ non ignorabat dolores, quos ſanctiſſimus infans cogitatione & ſenſu percipiebat? quis inter tot gaudia dolor cordis Virginalis, & viciſſim quantum ex dolore materno creſcebat in anima Jeſu proprii doloris ſenſus? Vide, quantum debeas utrique, cum amborum tormenta ad bonum & ad ſalutem tuam dirigerentur. Si aliter neſcis reſpondere,ſaltem horum obliviſci non deberes, ſed ea grata mente recolere & benefactores tuos omni laudum genere cumulare.

VIII. Decembris.

MEDITATIO XLVII.

Orat Jeſus in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia,ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera,quomodo jam à primo inſtanti mens puriſſima Jeſu ſe totam in clariſſima Dei ejusque myſteriorum contemplatione defixerit ita ut nulla unquam mens creata fuerit ad tam altam tamq; nobilem rerum cœleſtium ſpeculationem evecta; quam liberè anima Jeſu per interminatam divinæ amplitudinis immenſitatem excurrebat! Erubeſcam, quòd tam alta myſteria conſideratione

tam tepida & continua mentis evagatione corrumpam. Statuam, applicare mentem orationi cum fervore & ſpiritu, neque ut hactenus feci, Deo preces offerre tot imperfectionum ſordibus maculatas. Offeram puriſſimam mentem Jeſu, meæ loco, orabo enixè Dominum, ut meam illi ſubſtitutam acceptare dignetur, & per merita ejuſdem puram ſibique gratam efficiat.

Secundum. Conſidera, quomodo mens Jeſu ab hoc inſtanti cœpit intueri Deum, neque ab hujus infiniti objecti pulchritudine contemplandâ oculos unquam avertit. O felicitas Jeſu! quantum tu illi diſſimilis, quantum mente vagaris! Vix ſiſteris Deo, cum ſtatim ad rerum terrenarum cogitationem delaberis. Pudebit te tantæ miſeriæ. Optabis, poſſe in Deo mentem defigere; quòd ſi ſemper non poſſis ſaltem ad illum ſæpe adire, ſæpe mentem colligere. Rogabis, ut tantam erga te miſericordiam exhibeat.

Tertium. Attendes, quomodo in hac contemplatione vidit Jeſus miſerias omnium, inter quas vidit & tuas quarum aſpectu ſentiens ſe commoveri, humillimas preces fudit ad Patrem, à quo ſubſidia neceſſaria nobis impetraret, & jam tunc cœpit cauſam noſtram agere, ut Advocati officium per totum vitæ ſuæ tempus, imò & in cœlo, ubi nunc regnat, fideliter continuaret. O quam efficaciter, quam eloquenter cœpit cauſas noſtras orare? ecquis poſſet divinam ejus eloquentiam mente complecti? Gratias ages Jeſu, quod fuderit preces, quibus omnia bona, quibus frueris referre debes accepta. O ſi tibi pariter infunderetur lumen, quo miſerias tuas & neceſſitates agnoſceres! profecto eum rogares, quæ tibi deſunt. Ora Jeſum, ut te illuminet, ſimulque doceat modum, quem tenere debes in orando, ut exaudiaris.

IX. De-

IX. Decembris.

MEDITATIO XLVIII.

Silentium docet Jeſus in utero Virginis.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, non temere & caſu Jeſum fuiſſe conceptum in medio profundæ noctis ſilentio, cum omnia tacent, & attende, non eſſe tempus magis idoneum ad Deum in corde ſpiritualiter concipiendum, quàm illud, quod ſilentio conſecratur, cum anima tunc temporis uniatur Deo faciliùs. Tu ſilentium tam parvi facis, difficile linguam contines, ad colloquia miſcenda ſemper paratus, & tamen *in multiloquio*, dicit Spiritus Sanctus, *non deerit peccatum.* Difficile admodum eſt, ut immunis ſit à culpa, qui nimium eſt loquax. Te ipſe examinabis, qua ratione te geras; ſtatues imitari Jeſum, pauca loqui, eaque conſideratè; raro nocet tacuiſſe.

Secundum. Conſidera, quomodo Jeſus poſt conceptionem noluerit ſtatim loqui, ſed per novem menſes & amplius tacere, & ſuo exemplo ſilentium conſecrare, Dei majeſtatem humili taciturnitate venerando, & ſatisfaciendo pro peccatis linguæ: Attendes, quàm multorum hic ſcelerum ſis reus coram Deo, quam ſæpe imprudens lingua peccaverit. Gratias age Jeſu pro te ſatisfacienti, offer Patri ſilentium iſtud, quo peccata linguæ compenſes; ſtatue, deinceps ſilentium tuum cum taciturnitate Chriſti conjungere, illudque ſemper cuſtodire, ſed maxime hoc tempore, cum JESUS ſilet.

Tertium. Conſidera, ex hoc Chriſti ſilentio originem duxiſſe, ſilentium illud, quod in domibus religioſis ſanctè ſervatur & viget, ita ut iſtud ſit fructus alterius. Vide, quanti debeas facere ſilentium, & ſi religioſæ communitati nomen dediſti, quàm accuratè

E 5 debes

debes tu illud ſervare, quàm ardenter promovere, nec unquam ipſum violare, ſed loqui cum honor divinus id exigit. Roga, ut tibi hanc gratiam largiatur, offer Patri ſilentium filii, Virginis ſanctiſſimæ & tot ſervorum Dei, qui Deum accuratâ ſilentii cuſtodiâ coluerunt & inpoſterum tace cum Jeſu tacente, qui ſuum ſilentium pro te obtulit Patri.

X. Decembris.

MEDITATIO XLIX.

Vita Jeſu in utero Virginis, ſpeculum religioſi receſſus.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus, poſtquam conceptus fuit, noluerit ſtatim exire ex utero Virginis, ſed ibi ſteterit incognitus mundo, cui venerat. Vide, ut ſuo exemplo te doceat hominum congreſſus & colloquia fugere ac libenter latere, ut hominibus major evadas. Gratias age Jeſu, qui tibi præbuit exemplum, docuitque amare ſeceſſum & ſolitudinem, ac vitare inutilia conſortia hominum, quæ ſæpius animæ noſtræ afferunt mortem, ſi libentius illis implicemur: quod ſi tu es de numero eorum, quos Deus è ſæculo vocavit ad religionem, gaude tacitus hoc beneficio, & ſtude quantum in te erit, illud fovere non tantum externo agendi modo, ſed multo magis interno, lætus inſiſtens veſtigiis Chriſti; ut enim ille in clauſtro virginali delituit, tu etiam procul ab hominum conſortio in clauſtro lateas religioſo.

Secundum. Conſidera, Jeſum veniſſe ad uterum virginalem, tum cum mater ipſius procul à conſortio hominum *ſola* eſſet *in penetralibus*; ut ait Sanctus Ambroſius. Vides, Deum ſe feciſſe hominem, quando Maria non erat cum hominibus, ſed cum Deo.

O ſi

O ſi ſcires, quantum hæc ſancta ſolitudo conferat, ad Deum in corde noſtro poſsidendum! Deus non amat diſtractiones, converſationes vanas, colloquia otioſa. Quando vult alloqui cor, illud vocat, & ducit ad ſolitudinem. O te miſerum, qui ſæpius vivis extra te! Ah! Quomodo DEUS locum inveniet in te? & ſi forte ſæculo renuntiaſti, intellige bonum ſtatus religioſi, quem amplexus es, offer totum vitæ tuæ tempus, ut ſanctisſimi infantis ſeceſſum & matris ſolitudinem comiteris. Ora beatisſimam Virginem, ut tibi hanc miſericordiam concedat, & cum perſeverantia & cum affectu, ut quod ſemel abjeciſti, non reſumas, ut habitatione remotus à ſæculo, non in eo habites corde, neque amplius de mundo cogites.

Tertium. Conſidera, quomodo ex iſto Chriſti ſeceſſu orta ſit ſolitudo, quam tot ſancti in eremo profesſi ſunt, hodieque in domibus religioſis tot viri morum probitate inſignes profitentur. Diſce, quanti pretii ſit vita à vanis converſationibus remota quam tu forte gravem, auſteram & aſperam eſſe arbitraris, etſi hactenus fuiſti in ea ſententia, pudorem tibi injiciat DEUS in has loci anguſtias redactus tuâ cauſa. Amplectere ſolitudinem, quæ te conſecrat Deo, nec cures ſermonem habere cum creaturis, niſi quando & quantum placet Deo; hunc roga, ut tibi gratiam largiatur, ut in magna hominum frequentia cor tuum non recedat à Deo, ita ut ames ſolitudinem, non eam quidem, quæ te removet à Deo, ſed quæ te arctius conjungit cum Deo.

XI. Decembris.

Octava Septimana.

MEDITATIO L.

Jeſus in utero Virginis Rex regum.

Oratio

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quòd Jeſus quantumvis abjectus & parvus, nihilominus fuit Rex regum & Dominus dominantium, rex æternus cœli & terræ, ac proinde Virgo fuit creata regina. Jeſus habet titulos omnes legitimi Regis. Eſt enim rex jure adoptionis, fundationis, donationis & electionis. Adorabis profundè hunc ſanctiſſimum infantem, qui licet tuâ causâ ſit valdè abjectus, eſt tamen in ſe ſemper ſummè ſublimis; gratulaberis ſanctiſſimæ Virgini, quòd regina ſit mundi, ejusque uterus factus ſit tanti Principis regia; gaudebis, eſſe tantæ reginæ mancipium; illam rogabis, ut te in ſuorum numero reponat, atque à Deo impetret tibi gratiam, quâ dignè inſervias tanto Regi.

Secundum. Hunc infantem eſſe tuum regem, jus habere in corpus & animam, ita ut totus quantus es, ſis ejus ſubditus nec poſſis non illi ſubjici. Attende, an partes boni ſubditi impleveris. O quoties ab iſto tuo vero & legitimo rege defeciſti, & alicujus effrænatæ cupiditatis imperio te ſubjeciſti! Erubeſce, quod rebellaris in tuum legitimum regem, & te creaturarum jugo ſummiſeris. Præteritos errores dolebis, te totum voluntati Jeſu permittes, conteſtans, te nolle alium animæ tuæ habere regem, præter Jeſum, & optans potius eſſe ſub Jeſu, quàm ſine Jeſu regno potiri; nam Deo ſervire, regnare eſt.

Tertium. Conſidera Jeſum jam à primo inſtanti cœpiſſe exercere artem regnandi, uterus ſiquidem Virginis illi erat pro throno, in quo ab angelis adorabatur; jam tunc eligit ſuos, his præparat gratias, & valida diſponit ſubſidia, quorum ope deſtinatam felicitatem conſequantur; quò fit ut ſit rex tuus, ſed rex qui ſua authoritate utatur, ut tibi proſit, non ſibi ut te ſuis bonis impleat, non exhauriat tua,

volens

volens ſuis ſumptibus te redimere, ſua carne te paſcere; quare ex hoc temporis articulo conſtituit dare ſe in cibum,& privatim tibi. Vide,quæ felicitas ſit habere Jeſum pro rege,qui noſtra non tollit,ſed profundit ſua , & ſe nobis cum tanta amoris anticipatione largitur: Et tu quàm frigidè ardentisſimæ charitati reſpondes? quàm parcè te illi offers,quaſi ſatis ſuperque foret,quicquid illi à te quantumvis leve donatur? Statue deinceps, ſi tuæ utilitatis ſis amans,velle,quod Deus vult, illiusque voluntati tuas omnes cogitationes , tuos omnes affectus & actiones omnes ſubjicere.

XII. Decembris.

MEDITATIO. LI.

JESUS in utero Virginis eſt caput hominum.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* JESUS in illo primo inſtanti conſtitutus fuit caput hominum , cujus ipſi ſunt membra,ita ut tuum caput ſit Chriſtus. Erubeſces, quòd tam nobilis ſanctique capitis dignitati minimè tua vita reſpondit,quod te ab illo regi non ſiviſti,imò in eum rebellaſti; quid diceres, ſi manus tua, quæ capiti ſervire debet, illud verberaret? quid dicturus eſt Jeſus de te,qui in ipſum, qui caput tuum eſt, rebellis inſurgis? Attende, quàm glorioſum tibi ſit , habere Jeſum pro capite ; Opta eidem inpoſterum perfectè ſummitti; illum rogabis,ut tibi gratiam largiatur,quâ poſſis moribus tuis ſanctitati capitis reſpondere.

Secundum. Conſidera,tibi ex Jeſu tanquam ex capite tuo expectandas eſſe gratias , benignos influxus & bona omnia,quæ animæ tuæ communicantur. Erubeſce,quòd ex tot bonis , quæ tibi deſtinabantur,alia impediveris, alia tua culpa perdideris , nec tot favo-

ribus

ribus liberaliſsimè tibi conceſsis animo grato reſponderis, gaudebis, te ab illo dependere, hunc rogabis ut animæ tuæ ſinum dilatet, quo poſsis cœleſtium gratiarum abundantiam & uberrimos divinæ miſericordiæ fructus capere, & ab eo tanquam à capite tuo vitales ſpiritus admittendo cœlitus animari.

Tertium. Attende, Jeſum ſubſtituiſſe ſuo loco ſuperiores, quorum ductum ſequaris, qui tibi genus vitæ præſcribant, atque actiones tuas, ſive eæ ſint temporales, ſive ſpirituales, ſua prudentia moderentur. Erubeſce, quod non agnoveris, per quos te Jeſus regat; quòd non illis te perfectè ſubjeceris, quod illis reverentiam & obedientiam debitam non exhibueris; & tibi certò perſuade, Jeſu ſubjici illum, qui illis ſubjicitur. Statue, deinceps ſuperiores tuos amare & revereri, & ipſorum juſſa prompto hilarique animo exequi.

XIII. Decembris.

MEDITATIO LII.

Jeſus in utero Virginis divinus Legislator.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo in illo inſtanti data fuit Jeſu authoritas condendi leges, imponendi præcepta, & jubendi, quicquid profuturum erat animæ tuæ. O ſi tu non receſsiſſes ab obſervatione legum Chriſti, & cogruenter ad eas vixiſſes! Erubeſce, quod non ſolùm divinas leges non obſervaveris, ſed ne in eo quidem pretio illas habueris, quo debuiſti. Opta, nunquam à Dei voluntate receſsiſſe: Roga Jeſum, ut voluntatem tuam cum ſuâ ipſius ſanctiſsima lege tam arctè conjungat, ut nihil tibi gratius ſit, quam Deo parere. *Et legem tuam in medio cordis mei.*

Secundum. Attende, Jeſum eſſe divinum Legislatorem, quia non tantum leges tulit, ſed vires quoque

ſub-

ſubminiſtravit ad parendum alacriter; quod ſi nobis jugum imponit, leve etiam illud efficit & ſuave. Tecum ipſe reputabis, quantò melius ſit, ſervire *Domino*, qui præbet vires, quibus expleatur, quod jubet, ſimulque quantam fiduciam ac ſpem debeas in illo collocare. Erubeſces, quod identidem illi non fideris, ſed inani timore correptus dubitaris, an poſſes præſtare *Domino*, quod à te exigebat. Confugies ad ejus ſinum, tuam omnem fiduciam in ejus bonitate collocabis, ſicque animos ſumes ad ſervandam legem, quæ verè eſt gratiæ & amoris lex.

Tertium. Conſidera regulas & ſtatuta, quæ ab antecesſoribus accepiſti, leges eſſe conditas à Jeſu, operâ tuorum ſuperiorum, ſive ii ſint temporales aut ſpirituales, ſeculares aut eccleſiaſtici, qui Chriſti vices agunt; illique ſubjectâ pollent authoritate. Attendes, qua mente ſpectare debeas præcepta à quovis ſuperiore profecta, quo affectu illa amplecti, qua diligentia & perſeverantia executioni mandare, nempe ut leges à Jeſu conditas, & examinabis, utrum hactenus ita te geſſeris, nec leges tibi impoſitas ut auſteras, aſperas & ſcrupuloſas nimis eſſe exiſtimaris. Erubeſces, quod non æque ac merebantur, magnifeceris regulas à Jeſu ipſo latas, propones deinceps obſervare quamcunque vel minimam regulam, cum in ea reperiatur & ſplendeat authoritas Jeſu.

XIV. Decembris.

MEDITATIO LIII.

Jeſus in utero Mariæ Sacerdos, mediator & redemptor hominum.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

Punctum primum. Coſidera, Jeſum in inſtanti ſuæ conceptionis conſecratum fuiſſe Sacerdotem & æternum Pontificem, non oleo quidem materiali, ſed unctione divinitatis; & in eodem temporis articulo fungentem officio Sacerdotis ſimul & victimæ incepiſſe ſacrificium ſui ipſius; quod toto vitæ ſuæ decurſu continuavit, & demum cruentâ morte perfecit, voluitque hujuſcemodi ſacrificii memoriam in altari quotidie renovari. Attende, quàm libenter operam dedit, ut te Deo reconciliaret, & quanti illi conſtitit ſcelus, quod tu per ſummum divini numinis opprobrium in perniciem tuam admiſeras. Quantum debes Jeſu, quàm ardenter quàm ſtudioſè te vacare decet ejus obſequio? & ſi cupis ejus amori reſpondere; ſis ejus cauſa neceſſe eſt & ſacerdos & victima, coercendo, &, ut ita dicam, ſacrificando; effrænes animi cupiditates, quæ adverſus rationem inſurgunt.

Secundum. Conſidera, quomodo Jeſus cùm in illo inſtanti cerneret, homines excidiſſe gratia Dei, ſuumque patrem illis iratum eſſe, ſtatim ut mediator egit de gratiæ reconciliatione; dicente Sancto Paulo *Unus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus.* Attendes, quàm magno beneficio obſtrictus ſis Jeſu, qui, priuſquam eſſes, inter te & Deum pacem conciliabat, preceſque & opera infinitæ perfectionis obtulit nomine tuo; quibus offenſi numinis iram placaret: ſed adverte præterea, ineundæ pacis articulos & conditiones quas ille tibi proponit nomine Patris ſui, eſſe, ut patientiam, humilitatem, mortificationem & ſimilia exerceas. Huic veritati mentem attende, vide, ſi conditiones acceptas, ſi eas exequeris, & perſuaſiſſimum habe, niſi ſtes promiſſis, nullam inter Deum & te pacem unquam poſſe componi.

Tertium. Conſidera; quomodo Jeſus, cum eodem tempore videret homines propter peccatum jugo Dæmonis

monis crudeliter premi, ſtatuerit eos redimere ſanguinis ſui pretio magno, ut ait S. Paulus, & valoris infiniti, quin & præterea tam tenerè dilexit animam tuam, ut pro illa ſola, quod pro omnibus dedit, pretium ſolvere non dubitaſſet. O infinitæ charitatis exceſſum! tanti igitur me feciſti, quanti omnes? & ego in poſterum non pluris faciam animam meam, quàm reliqua omnia creata, & Deum pluris, quàm quidvis aliud? *S*tatue tecum, ſanctâ ſuperbia tanti facere animam tuam, ut nihil illi præponas, quod ſit infra Deum. Erubeſce, quòd in aliâ fueris ſententiâ. Roga Jeſum, ut magnitudo pretii, quod prò te ſolvit, te illi conjungat vinculo nunquam ſolubili, cumque te in libertatem aſſeruerit formam ſervi accipiens, te admittere dignetur in ſervum perpetuum, qui dominum ſuum neceſſario amore proſequatur.

XV. Decembris.

MEDITATIO LIV.

JESUS in utero Virginis exercet officium Sanctificatoris.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus cum eſſet ſanctus, cœpit animabus ſanctitatem conferre, initium ducendo à matre ſua, quam ingentibus & prètioſiſſimis donis per præſentiam ſuam locupletavit, eaq; dona, quamdiu ibi ſtetit, augere non deſtitit. Gaudebis, quod mater ſanctiſſima fuerit à filio gratiis continuis cumulata. Gratias habebis Jeſu pro beneficiis matri collatis. Ex altera parte erubeſces, quod defectu diſpoſitionis, tollas Jeſu occaſionem tibi ſua præſentia gratificandi. Quot fàvores tua culpa ſæpius amiſiſti? Quot miſericordiis obicem poſuiſti? Pœniteat te vitæ præteritæ, roga JESUM, ut accedens

ad cor tuum miſericordiarum ſuarum ſinum aperiat; Enitere, quamdiu Jeſus reſidet in corde tuo, tot gratiis, quas elargitur, te dignum exhibere.

Secundum. Conſidera, Chriſtus ſuas etiam miſericordias erga amicos exhibuiſſe, ſanctitate collatâ Joanni, beneficio matris, & forte aliis, qui tunc egerunt cum Virgine. Vide, ut jam tunc voluerit JESUS aliis ſanctitatem conferre per matrem. Attendes, quo animi affectu ſervire debeas ſanctiſſimæ Virgini, quantum fiduciæ in eadem collocare ad impetrandam quamlibet gratiam, quam à Deo expectas. Examinabis, qua ratione te geras erga Virginem, te in ejus fidem & clientelam conferes, hanc rogabis, ut ad te oculo materno reſpiciat, tibique ſanctitatem procuret.

Tertium. Conſidera, quomodo JESUS ab hoc inſtanti ſtatuerit vacare converſioni peccatorum, quos dum viveret, ad meliorem vitam reduxit, totque aliorum, quibus nunc è cœlo largitur gratiam, qua Deo reconciliantur. O ſi tu fores de numero iſtorum, ad quos JESUS reſpicit, ut eis conferat ſanctitatem! quàm præclarè tecum ageretur! Cum offenderis JESUM, opta reconciliari cum JESU, & ita reconciliari, ut nunquam deinceps ab ejus amicitiâ diſcedas. Confidi, quæ eſt ejus miſericordia, tibi iſtud non denegaturum, cum præſertim te in ſervum ſuum elegerit, & electum ingentibus beneficiis cumularit, illum roga enixè, ut obices omnes pro ſua charitate removeat. Gaude ſanctitate illa, quam tot aliis largiri conſtituit.

XVI. De-

XVI. Decembris.

MEDITATIO LV.

JESUS in utero Mariæ vera lux mundi.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, in quibus ignorantiæ & peccatorum tenebris verſabatur mundus, quamque illi ignotus erat Deus; ita ut æterni verbi conceptio in utero virginis fuerit quaſi aurora, naſcentem devehens ſolem, qui totum orbem illuminaret. Attendes, quantum mortales debeant Deo, ſine quo adhuc errarent in tenebris devii, & in ſumma rerum cœleſtium ignoratione verſarentur. Roga divinum hunc infantem, ut tanquam lux vera oriatur in cordibus tot infidelium, ut ſemper impleatur illud Iſaiæ. *Populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam*; & tot fidelibus, quot peccatum detinet in umbra mortis, dici poſſit. *Lux orta eſt eis*, nullusque recedat à lumine planè divino atque cœleſti.

Punctum Secundum. Conſidera, quomodo JESUS in utero Virginis matrem ſuam illuminavit luce cœleſti & quomodo Virgo nunquam ingratitudine ſua obſcuravit hanc lucem, & hos radios quos illi Sol incluſus in utero communicabat. Gratulaberis Virgini, quod tot cœleſtium cognitionum, & viſitationum internarum favoribus fuerit recreata; gaudebis, quod divini luminis radios vel minima imperfectione non obſcurarit. Rogabis Virginem, ut tibi à filio ſuo impetret lumen verum & notitiam profundam majeſtatis divinæ. Optabis accedere ad hanc lucem & divinum hunc Solem, cujus radiis illumineris.

Punctum Tertium. Conſidera, notitiam, quam homines habent de Deo, & modum, quem

in eo colendo tenent, oriri à Jeſu, *Qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Atque adeo lux omnis, quæ micat in anima tua diffunditur, ab eo, qui clarioribus adhuc radiis tibi vellet mentem accendere. Te colliges, & attentâ tecum mente perpendes, quantum illius luci offecerit ingratitudo animi tui, & quomodo denſis tuarum cupiditatum tenebris clariſſimam cœli lucem extinxeris. Horum te pudebit. Rogabis Jeſum, ut ſua luce diſſipet tenebras tuas, glaciemque cordis tui ſuo calore diſſolvat, dicendo illi, *Illumina* tenebras meas; nec tuas tantum, ſed omnium peccatorum, ſed omnium infidelium, ut cuncti cognoſcant Deum, & Jeſum, qui eſt lux vera.

XVII. Decembris.

MEDITATIO LVI.

JESUS in utero Virginis princeps pacis

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus totum ſe obtulit, omneſque ſuas operationes, quibus Patrem æternũ hominibus conciliaret, Pater autem ad ſupplicis filii præſentiam commotus, ſtatim flecti ſe ſenſit ad pacem, voluitque nomine ſuo fœdus ſanciri æternum, quod nunquam à ſe violaretur. Gratias habebis Jeſu, qui pacem iſtam attulit mundo; *ipſe eſt pax noſtra, qui fecit utraque unum*; optabis, nunquam admittere vel minimum quid culpæ, quod poſſit pacem Deum inter & animam tuam conſtitutam turbare, ſed rubore ſuffunderis, quòd toties tam parvi feceris pacem cum Deo, ita ut leviſſima de cauſa illi bellum indixeris. Statues in poſterum emendari, & ſemper ad Jeſum recurrere, ut impetret tibi ſtabilem pacem cum Deo.

Secundum. Conſidera, pacem, quam detulit Jeſus, eſſe pacem cum Deo, quæ bello non caret in te ipſum, in cupiditates tuas, in pravos animi motus, ita ut ſine hujuſmodi bello pacem cum Deo ſervare non poſſis. Servire itaque cupiditatibus ſuis, nihil eſt aliud, quàm objicere ſe periculo, violandi fœdus cum Deo ſancitum, illiusque pacem turbare, ſi turbidos animi motus de te triumphare permittas. Serio mentem adverte ad iſtam veritatem, & haud dubie te pudebit, quòd forte plus ſtudueris, fovendæ paci cum animi tui cupiditatibus potius, quàm cum Deo, non valde ſollicitũ animum gerens, de illis coercendis & in officio continendis. Animos ſumes, quibus tibi ipſe bellum indicas, ad pacem internam cum Deo ſervandam, & Dominum rogabis, ut te ab hoc ſancto propoſito dimoveri non patiatur.

Tertium. Conſidera, Jeſum in ipſo utero Virginis pacem inter homines conciliaſſe, cum ſtatuit charitatis fraternæ & amoris mutui legem ferre, quam poſtmodum tulit, voluitque ut pax hominis cum Deo foret hominis cum homine, & violator mutuæ charitatis, pacis cum Deo initæ perturbator haberetur. Te colli- ge, & tecum mente perpende, num ſincerum in corde tuo amorem erga proximum foveas. O quàm jure & merito pudore forſan ſuffundereris, quòd tam puſilli & abjecti animi ſis in condonandis & diſſimulandis offenſis; Rogabis Jeſum, ut tanquam princeps pacis hanc ſanctam charitatis legem inſculpat in corde tuo, ita ut ames, condones, excuſes, patienti & compatienti animo feras, quicquid faſtidii atque amaritudinis paſſim occurrit.

XVIII. Decembris.

Nona ſeptimana.

MEDITATIO LVII.

Jeſus in utero Virginis ſponſus noſter paſtor, & exemplum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo filius Dei non contentus ducere ſibi in ſponſam humanitatem ſanctiſſimam, quam pretioſiſſimis donis ſplendidiſſimè dotavit atque inſtruxit, non contentus etiam celebrare nuptias cum ipſa ſua matre, hanc eligendo in ſponſam perpetuam, ſtatuit inſuper aſſumere ſibi in ſponſam Eccleſiam & animas fideles, non ſolum fidei beneficio, ſed etiam gratiæ, & puritatis, imò & plures ſibi arctiùs per ſacra vota conjungere, ita ut verè Jeſus animarum noſtrarum factus ſit ſponſus. Vide, quàm ingens ſit iſtud beneficium: Sed ex altera parte attendas velim, quam paucæ ſponſæ huic divino ſponſo verè fideles reperiantur, etiam inter eos, qui propius ad illum deberent accedere: Unde, quæſo, fit, ut tam paucæ ſint animæ, quæ ſint ſponſæ fideles, niſi quòd aliis tradamus cor noſtrum, à quo ille unicè amari deſiderat? Numquid forſan decet ita eſſe? quid poteſt dicere de animâ tuâ? Poteſtne conqueri de te, ut conquerebatur de illa, quæ dicebat *vadam poſt amatores meos.* Si res ita ſe habet, illius te pœniteat: præbe aures invitanti & dicenti ad cor, *Revertere.* O ſi poſſes ad officium redire, illique ad mortem usque fidem ſervare: Hoc ſtatue.

Secundum. Conſidera, JESUM in utero Virginis eſſe illum magnum Paſtorem, ut ait Sanctus Paulus ad Hebræos 13. datum nobis à Patre,

qui

qui jam tunc exercere cœpit Paſtoris officium, ſociique & fratris partes implere , ſimulque gratiam aliaque dona , quæ ſunt animæ pabulum, tibi ſanguine ſuo comparare decrevit, voluitque hîc eſſe cibus noſter,& in cœlo per totam æternitatem pabulum beatorum. O Domine, *Quid eſſe homo, quia magnificas eum?* quantam erga nos liberalitatem exhibes, & quàm ingratos nos experiris? à primo inſtanti te nobis comitem præbes, & nos te fugimus, vis eſſe frater noſter, ut nos cohæredes tuos efficias, & nos pluris facimus terrenæ libertatis fumum, quam cognationem & affinitatem tuam; tu nobis comparas dona gratiæ, & nos lubentius peccata admittimus; te ipſo nos paſcis , & nos mundi cibos accerſimus. Num hæc omnia veritati conſentanea ſunt, anima mea? Te ipſa collige, atque enitere aggregari ovibus veri Paſtoris Jeſu , eique dic ex intimo cordis affectu, *Erravi ſicut ovis , quæ periit , quære ſervum tuum.*

Tertium. Conſidera, quomodo Pater jam tunc nobis Jeſum imitandum propoſuit. Hic cœpit in utero matris nobis eſſe exemplar multarum virtutum, ac per totum vitæ ſuæ ſpatium non deſtitit nos docere ſcientiam non mundi, ſed Sanctorum, & omnes actiones noſtras optimis inſtitutis & legibus temperare. O quàm parùm ſtudes & ſtuduiſti huic exemplari? & tamen Deus dicit tibi, *inſpice & fac ſecundum exemplar.* Quænam ſunt regulæ tuæ? forte pronunciata mundi, leges ſenſus potius, quam Jeſu effata & præcepta. Potentius te movent, quæ vides ab aliis hominibus fieri, quàm exempla, quæ tibi Jeſus reliquit. Averte oculos à moribus ſeculi, ſi errare non vis, & eos fige in iis, quæ operatus es Jeſus, ſicque collimabis ſine dubio.

XIX. Decembris.

MEDITATIO LVIII.

Jeſus erga nos Mariæ charitatem accendit.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

PUNctum primum. Conſidera, quomodo Jeſus, ubi ingreſſus eſt viſcera Mariæ, tenerum illi, quo ipſe ardebat, erga nos charitatis affectum communicavit, ita ut cum illa filium amaret ardenter, ardenti etiam amore nos proſequeretur, utpote non ignara, quod Jeſus noſtra cauſa naturam humanam aſſumens, ſeſe intra ipſius uterum incluſiſſet. Attendes, nos amatos eſſe à Maria, non quod eſſemus digni, qui amaremur, ſed quod Jeſus nos amaret. Erubeſce, quod probè noris proximum tuum diligi à Deo, nec tamen propterea induci potes, ut proximum diligas, ſuperesque difficultates, quæ paſſim occurrunt. Roga Virginem, ut cordi tuo impertiat aliquid ex eâ immensâ charitate, quâ cunctos proſequitur.

Secundum. Conſidera Matrem Jeſu toties de nobis cogitaſſe, quoties cogitavit de filio, nec poterat noſtri obliviſci: quare ipſa ſimiliter ſeſe offerebat pro nobis, cum ſciret, ſe gratificari Jeſu, qui ſe pariter ſuo patri pro nobis offerebat, quantum debes Virgini quæ toties pro te Deo ſe obtulit? Gratias illi ſæpius age ex toto cordis affectu. Statue, te honori & obſequio Mariæ conſecrare. Erubeſce, quòd hactenus, tam negligenter ſanctiſſimæ Virgini placere ſtuduiſti.

Tertium. Deipara non tantum toto illo tempore, cum Jeſum geſſit in utero nos amavit, nos reſpexit, ſeſe obtulit pro nobis, & libenter noſtrâ causâ non unam quidem, ſed mille vitas cum ſanguine profudiſſet, verùm id præſtitit, toto reliquo vitæ ſuæ tempore, amque in cœlo nihil aliud agit, quàm apud DEUM orare cauſas noſtras. Tanto erga nos amore exarſit Maria,

Maria, ubi Dei mater evaſit. Vide, quàm ſtabili benevolentiâ nos proſequatur, nos, inquam, ingratos mortales, cùm propter indignitatem noſtram nihil è ſuo erga nos amore remittat. O ſi quid firmæ illius charitatis in te eſſet, neque ita facile turbareris! Gratias ages Virgini, quòd tam conſtanter te amet; hanc roga, ut ſemper è ſolio gloriæ ſuæ te reſpicere, tuisque miſeriis compati dignetur; confuge ad ſinum piæ parentis, ut ſub ejus tutelâ & præſidio vitam feliciter ducas, & felicius finias.

XX. Decembris.

MEDITATIO LIX.

Jeſus optat exire ex utero Mariæ.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera quomodo Jeſus exiſtens in utero Virginis ibi libenter requieſcebat propter ſanctitatem Matris, in qua nihil omnino erat, quod eum inde expelleret, ſed potius alliceret ad fruendum ſuavitate dulciſſimorum affectuum & cœleſti fragrantia odorum, qui afflabantur è mente ſanctiſſima Virginis. Gratulare Virgini hoſpitium, quod ipſa Verbo æterno præbuit ita acceptum. O ſi tu ſcires, Jeſum demulcere, dum illum tuo foves in ſinu! Erubeſce, quòd tam parum benignè cum illo agas, ita ut forte ipſi præbeas occaſionem non commorandi diutius tecum, ſed à te quantocyus diſcedendi.

Secundum. Nihilominus optavit Jeſus prodire in lucem, ut ſuo ſatisfaceret patri, in cujus voluntate adimplendâ ſuas omnes cogitationes defixas habebat, utque ſanctiſſimæ Virgini copioſiùs titulum matris naſcendo conferret. Ecce, deſiderium Jeſu ſatisfaciendi patri, & matrem honorandi. Hoc unum cogitat, hoc meditatur. Quantum tu diſcrepas? O ſi divina voluntas foret tua, & deliciæ tuæ, Virginem delectare!

Optabis hac in re JESUM imitari; hunc rogabis, ut tibi impetret gratiam, quâ tuas omnes cogitationes atque actiones obſequio illius Virginisque honori conſecres.

Tertium. Ex alvo maternâ, in quâ quieſcebat, optavit Jeſus prodire in lucem, ut prodiret in campum pugnæ, incipiens pro te pati ærumnas, labores ferre, properare ad crucem, operari ſalutem tuam, & exemplo ac meritis ſuis tibi cœlum comparare. Attendes, te non quærere ærumnas, ſed fugere, teque plus commodis tuis, quàm Dei voluntati ſervire. Pudeat te iſtorum, & ſtatue, pro Deo libenter amplecti, quicquid à te vitæ verè ſanctæ ratio poſtulat, ut muneris tui partes impleas, ac Deo ſatisfacias.

XXI. Decembris.

MEDITATIO LX.

Optat Maria, ut Jeſus prodeat in lucem, & naſcatur.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Virgo gaudens in utero præſentiâ Jeſu, noluit ipſa ſola potiri tanto bono, ſed hujus participem fieri univerſum mundum optavit; ut qui pro omnibus carnem humanam aſſumpſerat, pro omnibus etiam prodiret in lucem. Quàm magna fuit charitas Virginis, quæ neminem voluit tanto beneficio privari! O ſi pariter erga proximum tuum charitatis viſcera geſtares? ſi conſolatio & bonum alterius, eſſet bonum & conſolatio tua! Erubeſce, quòd non eam, quam deberes, erga omnes miſericordiam exhibeas, opta exemplo Virginis, ut omnes bono fruantur, & illam roga, ut tibi viſcera miſericordiæ impertiat.

Se-

Secundum. Conſidera, quomodo Virgo ardebat deſiderio ſerviendi filio ſuo, impendendi ſe totam pro illo, venerans ipſum cum ſummo animi affectu, ipſum amplectens cum profundâ veneratione, executioni mandatura, quantum affectu conceperat. O ſi imitari virginem ſcires, quando ejus filium excipis in corde tuo, illum ſtrictiori amoris vinculo complecti, te illi cum vero animi propoſito dedicare, flagrare deſiderio te ejus obſequio fideliter impendendi: Deteſtare negligentiam tuam, quâ tempus pretioſiſſimum ſinis elabi; Deſidera, ad imitationem ſanctiſſimæ Virginis poſſe hoc tempore cœleſtibus flammis ardere.

Tertium. Conſidera, Virginem ardenter expectaſſe tempus pariendi JESUM, ut videret faciem illam, quam intueri deſiderant angeli, ſuaviter contemplari pulchritudinem illam, quæ ad ſe trahit Seraphim, præ quâ omnis alia pulchritudo cenſetur eſſe deformitas; Pulchritudo, quæ ſanctitatem & puritatem ſpirabat; quæ intuentibus innocentiam conferebat. Sì tu poſſes habere aliquid ex ea notitia, quam habebat Virgo de amabilitate Jeſu: O quàm vilia, quàm nullius momenti tibi reliqua omnia viderentur: Dolebis, quòd ad tam exiguam de illo notitiam perveneris; Rogabis Virginem, ut tibi magnam de Chriſti excellentia æſtimationem imprimat.

XXII. Decembris.

MEDITATIO LXI.

Maria diſponit ſe ad pariendum Jeſum.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

Pun-

PUnctum primum. Conſidera, quomodo Maria toto illo tempore, quo Jeſum geſſit in utero, ipſum adoravit & coluit actuali ſenſu pietatis internæ; ita ut nova eſſet ad majorem filii cultum diſpoſitio. Diſce ex Virgine, cor geſtare divinæ voluntati ſemper addictum, quod ſine intermiſſione, quantum in ipſo eſt, ſtudeat placere Jeſu, maxime cum illius præſentia gaudet. At quàm raró te geſſiſti hoc modo? Pudeat te miſeriæ tuæ. Roga Virginem, ut tibi impetret gratiam, qua poſſis ipſam imitari.

Secundum. Conſidera, quomodo quantò vicinior erat Maria partui, tantò illa ardentius ferebatur in omne ſtudium virtutis. O quàm accenſo erat corde! quot actibus fidei, ſpei, charitatis atque humilitatis ornabat illa animum ſuum, ut inter medios lucidæ ſanctitatis radios fontem & originem totius ſanctitatis effunderet! Attendes, Jeſum velle ſecum ita agi. O quàm libenter verſatur inter hæc lilia actuum heroicorum omnis virtutis! Quàm raró ſimiles actus tu elicis? quàm languide te geris cum Jeſu, cum illum apud te habes! Pudeat te negligentiæ tuæ: opta, digno tandem hoſpitio in tuo corde Jeſum excipere.

Tertium. Conſidera, quomodo Virgo ſe diſponebat ad Jeſum recipiendum, offerendo illum Patri, & promptiſſimam ſeſe exhibendo ad cariſſimum filium pro humano genere redimendo in lucem effundendum. Vide, ut Virgini non fuit detrimento, ſed lucro, quòd ſe promptam exhibuerit, ut Jeſus ex utero ſuo prodiret in lucem. Quàm gratam cœlo rem facies, ſi pro Jeſu privas te eâ re, quæ non eſt Jeſus! quantum acceptus eris Deo, ſi te totum illius ſanctiſſimæ voluntati permittas! Opta, ut ſcias præſtare iſtud ex animo.

Roga Virginem, ut te apprimè doceat artem conſecrandi te totum obſequio Jeſu.

XXIII. Decembris.

MEDITATIO LXII.

Profectio Virginis in Bethlehem.

Oratio præparatoria & præludia, ut ſupra.

P*Unctum primũ*. Conſidera, quomodo virgo ſe accingit ad partum, non quidem quieſcendo domi, vel expediendo exigua illa, quæ illic ſeſe offerebant, ad neceſſitates futuras ſubſidia, ſed obediendo, ſed domum deſerendo, ſed longum iter aggrediendo, ut fidem ſuam Imperatori terreno obſtringeret ſacramento. Attendes, has eſſe diſpoſitiones, quas *D*eus exigit naſciturus in anima tua, virtutis exercitium, reverentiam erga ſuperiores, humilitatem, obedientiam. O utinam ineſſent cordi tuo diſpoſitiones adeo gratæ Regi cœleſti! Erubeſce, quod hactenus tam parvi eas feceris. Statue, in poſterum ſeriò incumbere in virtutem, quæ eſt diſpoſitio ad nativitatem Filii *D*ei.

Secundum. Conſidera, quomodo Virgo, poſtquam pervenit Bethlehem, licet illic ſtirpem ſuæ familiæ haberet, hoſpitium tamen non reperit, nec quenquam, qui domum ipſi vel miſerum tectum offerret. Vide, quænam ædes venienti Filio Dei præparentur, quos obices ponat mundus Chriſti adventui, quanta ſit hujuſce gentis ingratitudo; at quanta major eſt tua? non norant judei, neque agnoſcebant Virginem, ut matrem Dei; at tu cum ipſam probè noris quoties Deum ante fores cordis tui ſtare coegiſti? pudeat te, quod tam malè divinæ benignitati reſpondeas, ita, ut jure poſſit tibi adaptari illud Sancti Johannis. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.*

Tertium. Conſidera, Filium Dei non aliam voluiſſe habere pompam ſui in mundum adventus, præter inopiam rerum omnium, ita ut careret humana habitatione, & ſtabulum jumentorum receptaculum in primum ſui in hunc mundum ingreſſus hoſpitium eligeret. Abjicit ergo Jeſus, quicquid mundus tanto cum ſtudio proſequitur. Uter fallitur? Dices, mundum falli; ita quidem lingua, at factis JESUM damnabis. O ſi mentem tuam radius cœleſtis illuſtraret, quàm parvi faceres res iſtas omnes caducas & mobiles, cum Filius Dei inter brachia ſanctæ paupertatis appareat jam in cunis. O ſi cor tuum gauderet hac gemma, hoc eſt, ſancto propoſito nihil inordinatè appetendi, & cuncta bona terreſtria generoſè deſpiceret! libenter certè Dominus apud te naſceretur. Hoc opta, hoc roga, hoc propone.

XXIV. Decembris.

MEDITATIO LXIII.

Jeſus Virgini parturienti beneficium ſuæ præſentiæ compenſat.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo incredibilis animi voluptas, quam ſanctiſſima Virgo percipiebat ex præſentia corporali ſui Jeſu, non effecit ut vel per unum quidem momentum diutiùs, quàm erat ſtatutum, eum retinerit, vel filium rogaret, ut tantiſper diſceſſum differret, nolens delectari re ulla, quæ non Deum & filium ſuum delectaret. O cor vacuum ab omni amore proprio, etiam ſpirituali, ſpolians ſe Jeſu ipſo, ut Jeſum indueret! O ſi in anima tua reperiretur vel minima exſpoliatio tuorum deſideriorum, non terreſtrium dico, ſed ſpiritualium, ita ut non ſolum aliud nolles, præterquam Deum, ſed ipſum etiam Deum non velles, niſi propter Deum. Erubeſce. Roga Virginem,

nem, ut tibi impetret gratiam, quâ ſcias ipſam imitari.

Secundum. Conſidera, Jeſum noluiſſe vel per unum differre momentum tempus novem menſium ſibi præfixum, quantumvis grato materni uteri gauderet hoſpitio, nec ignoraret, quid à frigore aliiſque incommodis pati deberet. Vide accuratam Jeſu diligentiam in exequenda Patris voluntate & ardens deſiderium ſubeundi pro nobis labores atque ærumnas. Si tu pariter ſervares religiosè divina præcepta, & reſponderes promptiſſimæ voluntati Jeſu in conferendo tibi beneficio tam inſigni! Statue, Jeſum æmulari, indue animum, talem te fore in poſterum, ut honori ſis JESU.

Tertium. Conſidera, quomodo JESUS prodeundo ex utero Virginis, ſuam voluit compenſare præſentiam, & alia ratione ſupplere influxus illos favores & gratias, quas illi præſentia corporali liberaliter impertiebat. Attende, quàm ſollicitus ſit JESUS in agnoſcendâ benignitate & liberalitate eorum, qui digno ipſum recipiunt hoſpitio. Gaudebis gratiis, quæ fuerunt Virgini à tam liberali hoſpite conceſſæ. Rogabis eandem, impetret tibi gratiam, quâ Jeſum in tuo corde habitantem ita tibi concilies, ut in diſceſſu ſuo tibi benedicat, tibi ſuarum gratiarum abundantiam largiri dignetur.

XXVII. Novembris.

Prima Dominica Adventus.

MEDITATIO I.

De decreto incarnationis Divinæ.

Oratio præparatoria erit, quâ poſtulabimus à DEO gratiam, ut noſtra omnes operationes, præſertim hæc præſens, ad ejus honorem tendant.

PRimum prælудium erit, breviter cogitatione percurrere, quomodo tres perſonæ divinæ cum ſtatuiſſent creare hominem, ut cœlo frueretur, & advertentes fore, ut peccato Adami beatitudine cœleſti excluderetur genus humanum, decreverunt huic malo remedium adhibere per incarnationem Verbi æterni pro homine ſatisfacturi.

Secundum præludium erit, imaginari ſe videre tres perſonas divinas de negotio ſalutis humanæ deliberantes, & incarnationem decernentes.

Tertium erit, poſtulare gratiam, quâ cognoſcas tantum beneficium, & ſtudioſiſſimè impendas te totum obſequio Dei, qui tanta bonitate præditus eſt.

In primo puncto. Conſiderabo, quomodo Deus poſtquam decreviſſet creare hominem eumque cœlo deſtinaſſet, vidit peccatum Adami, & iſtius culpâ omnes poſteros cœleſti gloriâ excluſos; quia Deus hoc peccato fuit adeo graviter offenſus, ut nulla eſſet creatura rationalis, quantumvis ſancta, quæ plenè poſſes pro divina offenſa ſatisfacere. O rem ſtupendam ſed veram! Nec Adamus ipſe, qui peccaverat, nec quævis alia, quæ recens conderetur, pura creatura, imò nec omnes meræ creaturæ junctæ ſimul, licet per totam æternitatem

Deum

Deum honoraſſent omnium cordium unitorum obſequiis atque affectibus, poterant juſtè compenſare infinitam gravitatem offenſæ divinæ, quòd tota hæc à creaturis oblata ſatisfactio valoris eſſet finiti: ita ut ſi mortales ſpectes careret remedio peccatum. O miſeros nos! O miſerum me, qui bibimus iniquitatem, ſicut aquam & tam parvi facimus offenſam divinam! Tamen illa eſt malum infinitum & ſummum, per quod Deus infinitus contemnitur. O utinam ſcirem aliquando tot offenſas dolere, lugere, emendare!

In ſecundo puncto conſidera, ad ſatisfaciendum cumulatè gravitati peccati commiſſi remedium unicum ſupereſſe in Dei bonitate ſitum, nempè ut ipſemet Deus offenſus ſatisfaceret pro offendente, creditor pro debitore, & Deus creaturæ rationali conjunctus nobilitaret iſtius operationes, ſicque æs alienum diſſolveret. Verùm ecquis poterat hoc cogitare, hoc deſiderare, hoc ſperare? ut Deus tale opus aggrederetur pro homine ſibi inimico & proditore pro creatura ita vili ita ingrata? Attamen *Feciſti mirabilia.* Non abjecit nos pro meritis noſtris, ſed nos amavit, ſed ſtatuit nos liberare, & offenſæ juſtitiæ divinæ ſatisfacere cumulatè. Quantum debes huic teſtificationi amoris, huic tuâ cauſâ ſuſcepto conſilio? quod eò benignius eſt & clementiâ ac miſericordia plenius, quò nobis debebatur minus. Sentiebat Daniel ſibi cor liquefieri tenero amore erga Deum, à quo paſcebatur in lacu leonum, & dicebat *recordatus es mei Domine.* Et tamen illuc conjectus erat Dei cauſâ; quem ſenſum gratitudinis habere debes erga Deum, qui te reſpexit ab æterno, lapſum non in lacum leonum, ſed culpæ, quæ tibi cœlum præcludebat, teque per ſeipſum liberare conſtituit. Ergo Deus ſtatuit præſtare pro te, quicquid

neceſsitas exigebat, & tu non te totum illi omnino comittes?

In tertio conſidera, Deum potuiſſe aſſumere naturam angelicam, & meritis illius, qui Deus eſſet ſimul & angelus, ſatisfacere pro homine, ſed hoc illi non placuit. *Nuſquam angelos apprehendit*, dicit Sanctus Paulus, *ſed ſemen Abrahæ.* Statuit uniri naturæ humanæ, ut beneficio hominis, qui pariter eſſet Deus, patiendo & moriendo hominem liberare, & ſuo Sanguine pretium redemptionis exolvere. Quid curæ tibi aſſumis, ô Deus, ut hominis ſalutem procures? *Quid eſt homo, quia magnificas eum*? ſic igitur agis cum creatura adeo abjectâ? gratias tibi ago, ô Trinitas auguſtisſima, pro iſto decreto penitus inenarrabili; cur te pro meritis laudare nequeo? adeſte creaturæ omnes, ferte ſuppetias, ut ſimul tantam bonitatem gratiarum actionibus proſequamur: Et quia quælibet gratiarum actio minor eſt beneficio tam ſingulari, admitte gratiarum actionem quam nomine noſtro tibi in primo ſuæ incarnationis inſtanti rependit homo iſte ſimul & Deus. At cur non erubeſcis anima mea quod beneficium iſtud tam parvi facias? Quod tam pauca opereris pro DEO, qui tam ſollicitè cogitas de tuâ ſalute? Ille ab æternitate decernit tuæ ſaluti conſulere, & tu quoties in vita tua & voluiſti illum offendere, & voluntatem illam executioni mandaſti? Qua igitur ratione reſpondes? dolor de præterito, & propoſitum amandi Deum deinceps ex omnibus viribus meis, & ex toto corde meo. Petes hanc gratiam in colloquio, & finies ſemper meditationem, recitando Orationem dominicam.

XXVIII. Novembris.

MEDITATIO II.

De primo motivo incarnationis.

COnſidera. I. generale motivum, quod ab æternitate habuit Deum incarnandi ſe, fuiſſe ſalutem mundi, redemptionem hominum & liberationem à peccato ; ita Chriſtus aſſerit apud Sanctum Lucam, venit Filius Dei quærere & ſalvum facere, quod perierat. Quotusquisque eſt qui non ſummis laudibus extollat viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus nos viſitare conſtituit ab æterno ? præ teneritudine affectus pati non potuit interitum noſtrum, vel noſtris deeſſe periculis, præ pietate ; & licet nihil illius intereſſet, an ſalus noſtra vindicaretur, tamen quæ ſingularis ejus fuit erga homines benevolentia, noſtram ſalutem in ſe ſuſcepit, perinde ac ſi ageretur res ſua. Et mearum partium non eſt attendere, amare, delectare & omnibus obſequiis demereri eum, cujus dementia tanti nos fecit, ut noluerit nos perdere vel deſerere ?

Secundo. Conſidera, Deum ſtatuiſſe ad noſtram ſalutem non circumſtantias ſolùm temporis, locique ac modum incarnationis, aliaque extrinſeca & adjuncta ſed ipſammet naturam incarnationis, ita ut non tantum ſe videndum præbuerit in terris, verſatus ſit inter mortales, multasque ac graves ærumnas ſit paſſus, ſed etiam, ut noſtram ſalutem aſſereret, naturam humanam aſſumpſerit, dicente Eccleſiâ *propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.* Vide, ut Deus omnia contulit nobis, principium, media, circumſtantias, rem ipſam, & tanto cum ſtudio ac liberalitate ſe totum nobis impendit. O cordis noſtri infelicitatem, quod tam parcè & avare tantæ liberalitati reſpondet ? Hac menſura remetimur Deo, vix una vice, idq; aliquâ in negotio nullius fere momenti, in aliqua conditione rei annexâ. Hoc modico reſpõdetur Deo, qui ſe totum dedit? Ecquando, anima mea, te

totam dare conſtitues, cum omnibus aliis rei adjunctis, in omni loco, in omni tempore, in omni opere tuo.

Tertio. Conſidera motivum incarnationis fuiſſe ſalutem omnium, ita ut ſpectarit ſalutem uniuſcujusque in particulari, quaſi ſolus ille remedio egeret: quare jure potes dicere cum Sancto Paulo, dilexit me, & homo factus eſt pro me; Quia verè ille ab æterno dedit ſe mihi, & ad ſalutem animæ meæ peccatricis, perinde ac ſi nulla alia laboraret, ſuam incarnationem direxit. Ergo tibi impoſitum eſt onus hujuſce beneficii, quod verbis explicari non poteſt, & Deo debes gratiam, quæ Dei pro te incarnati beneficium complectitur. Quid hactenus præſtitiſti, quo divinæ liberalitati reſponderes? Deus tuis rationibus ſtuduit, ac ſi ſolus eſſes, & tu erga Deum te geris, non ſecus ac ſi Deus ſolus tuo indignus foret obſequio. O æternam charitatem Dei, qui pro mea ſalute factus eſt homo, ſed proh ingratitudinem meam intolerandam, per quam perinde quaſi non omnia tibi deberem, totum meum affectum creaturis impendo! Reſpice in me, nec in tanta ingratitudine me diutius vivere permittas. Colloquium prout ſuggeret affectus, ſicque ſemper in ſequentibus meditationibus. In fine *Pater ave.*

XXIX. Novembris.

MEDITATIO III.

De ſecundo motivo incarnationis.

P*rimo.* Deſiderium ſe communicandi, divinam movit benignitatem ad operandum hoc myſterium. Hæc bonitas affluens omnibus bonis ardebat, ut ita dicam ferventi deſiderio exeundi extra ſe & inſtar fluminis nimiâ aquarum abundantiâ ripas ſuas ſuperantis longè lateque ſe diffundendi: & licet hominem

creaſſet,

creaſſet, eumque per infuſionem gratiæ participem utcunque feciſſet naturæ divinæ, tamen parum reputabat illud, niſi perſona divina naturam humanam aſſumeret, & ei divinitatem ſuam inenarrabiliter ſubſtantiali vinculo copularet. Ah Deus! quomodo non es prodigus tui, qui quantum potes ſine ulla exceptione largiris, & quidem te ipſum, & hoc modo? In aliis operibus das aliquid, quod eſt extra te, at in iſto tu ipſe donum es; & ego nihil aliud ſpecto, quam ut tibi dem, quam pauciſſima poſſum. O duritiem cordis mei, quod ne Dei quidem exemplo mollitur, & liberalitate infinitâ propoſita parciùs indies cum illo agere non deſiſtit! Quid aliud fieri poſſet, ſi Deus parcè & reſtrictè ſe nobis dediſſet?

Secundo. Conſidera Deum conſequenter habuiſſe motivum exaltandi, ſanctificandi & Deificandi naturam humanam in Chriſto, ita ut humanitas extolleretur ad filiationem naturalem Dei, ad divinæ dignitatis faſtigium, eique poteſtas conferretur, qua cæteros ſanctitate donaret: Attende bonitatem Dei certe tantam gratiam non merebatur natura peccatrix. Eramus inimici Dei, & digni, qui cruciaremur pœnis inferni, & ecce Deus, qui humanitatem ad tantum hujuſce dignitatis verticem evehit. Ecquid amplius, amabo, poterat ille præſtare, ſi mortales omnes eum dilexiſſent, omnibus obſequiis demeruiſſent, ejuſque ſanctiſſimi nominis gloriam pro viribus ſuis longè lateque propagaſſent? Ah, quomodo bonum pro malo reddit, cumque à nobis pœnas jure repoſcere poſſes, debitas ſceleribus noſtris, tu nos cumulas beneficiis? Nonne rationi conſentaneum eſt, ut tandem emendem mores meos, & antiquas continuasque miſericordias nova indies ingratitudine compenſare deſiſtam?

Tertio. Conſidera, per incarnationem extitiſſe Chriſtum, qui non tantùm homo erat, nec tantùm Deus, ſed *D*eus ſimul & homo, in quo *D*eus ſibi plenè complacuit, in quo humanitas noſtra infinitè ſatisfacit & placet Deo; ita ut Deus cùm non poſſet infinito, prout merebatur, honore affici à purâ creaturâ, cultum, adorationem & honorem ſummum recipiat à noſtra humanitate, quæ Chriſtum componit. Quam jucundum mihi debet eſſe, quod ſi ego miſer & nos miſeri peccatores continuam Deo moleſtiam creamus, reperiatur conſanguineus noſter, frater noſter, qui ſuppleat errores noſtros, & dedecus, quod à nobis redundat in Deum, gloria ipſe infinitâ compenſet? Quæ cum ita ſint, quo animi affectu debeo ego ferri in Jeſum, quâ gratitudine, qua lætitia, quòd ille *D*eo conciliet tantum honorem, ſimulque meam vilitatem unire cum ejus infinito valore, & pretioſiſſima Chriſti merita offerre patri æterno ad reſarciendum hoc modo honorem divinum, quem tollit mea vita perverſa.

XXX. Novembris.

MEDITATIO IV.

De tertio motivo incarnationis.

PRimo conſidera, quomodo in incarnatione Verbi æterni mirum in modum enituit divina Sapientia, quæ modum invenit maximè idoneum, quo laboranti generi humano ſuccurreret, & copioſè ſatisfaciens juſtitiæ divinæ, miſeriam noſtram miſericordiſſimè ſublevaret. *D*eus non judicavit expedire, ut ipſe eſſet naturæ humanæ creator, & alter ejus redemptor, ne noſter amor duobus divideretur, ſed creatione, ſimul & redemptione noſtrum omnino poſſidere voluit affectum, & tamen nihilominus

ille vana expectatione deluditur, & nos ingrati continuò extra *Deum* amorem noſtrum impendimus, corda noſtra peſſimè dividemus & creaturas amando, quaſi nos beneficiis cumulaſſent, *Deum* negligimus, non ſecus ac ſi illi nihil deberemus. Quoſque tandem durabunt iſta? nec demum reſtituentur *Deo*, quæ ipſi jure negari non poſſunt?

Secundo. Conſidera, quomodo in incarnatione dominetur omnipotentia divina, quæ rem operata eſt in Chriſto, quâ majorem amor divinus deſiderare non potuit, & amor rem voluit, quâ major fieri nequit ab omnipotentia divina; quia ut nihil eſt majus ac melius *Deo*, ita nihil fieri poteſt quod majus vel melius ſit, quam efficere ut idem ſit homo & *Deus*; ita ut cum ſit in *Deo* & infinitus amor & infinita potentia, ubi Chriſtum veluti alterum Adamum ex terra virginali formavit, declaravit amor, quod poteſt facere omnipotentia, & omnipotentia fecit, quod amor poteſt deſiderare. Ergo veritas tam aperta allicere non poterit voluntatem? Ergo nunquam induci poterimus ad operandum, quod poſſumus, ut *Deo* placeamus? Ergo *Deus* pro me operatus eſt, quàm maxime poterat, & ego tanti beneficii nemor non tentabo quicquid potero, ut *Deo* gratificer? Ejus amor optavit facere pro mea ſalute, quod omnipotentia poterat, & ego non enitar facere, quicquid in me erit, quo illum ſummo amore complectar? & tamen quomodo non erubeſcam, quod tenear *Deo* cuncta præſtare, & *Deo* cuncta negaverim?

Tertio. Conſidera, quomodo hac quoque ratione ſuam *Deus* infinitam bonitatem & claritatem manifeſtavit; atque hoc ſolo argumento ſanctus Joannes uſus eſt, hanc unam rationem

attulit Sanctus Paulus, qua divinam erga nos dilectionem probaret. Ecquid amplius poterat facere Deus, quàm quod fecit, cum ipſemet venit, ut te quæreret, & poſt tot labores te ad ſuum ovile reduceret, non recuſans juſtus pati pro injuſtis, innocens pro peccatoribus, factus ſimilis nobis & unus ex nobis? O amorem ſingularem, gratuitum, liberalem, nullique æquiparandum! Amor humanus unit tantùm duas perſonas per affectum, ſed amor divinus humanitati noſtræ unitus eſt ſubſtantialiter: & tamen plus apud nos poteſt amor erga aliquam creaturam, quàm amor erga Deum. Poſſumusne credere iſta, & non illum redamare! Quid erit jam illum offendere, illum contemnere, illum pedibus veluti lutum conculcare? & verò iſtud peccator audet. O Deus immortalis, cæcitatem noſtram illumina, ut tandem ſcelerum noſtrorum gravitatem agnoſcamus, atque ad pedes tuos humiliter advoluti fateamur ingratitudinem noſtram, & de tua erga nos charitate nullatenus dubitantes omnem alium affectum abjiciamus indignum homine, pro quo Deus tam benignè ſuum amorem impendit. Pater ave.

I. Decembris.

MEDITATIO V.

De aliis motivis incarnationis.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Deus incarnationem decrevit, quò magis confunderet ſatanam, eoque debellato ab una creatura vili admodum atque abjectà (qualis eſt natura noſtra) ſuam potentiam apertiſſimè declararet. Deus quippe videbat in ſua æternitate, fore ut Lucifer poſt lapſum Adami triumphaturus eſſet de toto genere humano, quòd illud cœlo excluſiſſet unde ipſe exulabat. Quid faciet Deus? ſtatuit aſſumere carnem humanam, & ope humanitatis

quæ

quæ inferior eſt naturâ angelicâ, triumphare de dæmone, frangere ſuperbiam illius, eique declarare, quid debili inſtrumento poſſit operari omnipotentia divina. O quanto beneficio tibi obſtrictus maneo, Domine, quòd hunc modum elegeris & ope humanæ naturæ ſororis noſtræ tibi unitæ hoſtem noſtrum egeris in triumphum glorioſiſſimum nobis! ut quemadmodum ille peccato unius hominis omnes ſuæ ditioni adjecerat, ita meritis alterius hominis omnes è ſua poteſtate ereptos doleret. Advertes præterea, omnia iſta ab humanitate perſonæ divinæ unitâ fuiſſe perfecta. Vide autem, quantam fiduciam in Deo debeas collocare: quamvis enim ſis tantum pulvis & nihil, tamen ſi uniaris Deo, tecum ille & pro te grandia operabitur; & multo magis quàm diligenter ſtudendum tibi ſit, ut amore & gratiâ vivas unitus DEO, ſi vis plenam de hoſtibus tuis victoriam reportare, eos ignominia afficere, & omnes illorum tentationes ſuperare. Perſuaſiſſimum habe, fore ut ea, quæ non poteris ex te, ſubminiſtrentur tibi à Deo, cum quo ſtudebis, ut vivas unitus per affectum.

Secundum. Conſidera, quid ſibi Deus propoſuerit hac ratione conſequendum, ſcilicet hominem melius inſtruere, è rebus terrenis ad cœleſtes erigere, eumque ad ſe pertrahere. Videbat hominem penitus terreſtrem non perventurum fuiſſe viribus ſuis ad notitiam Dei, qui eſt totus ſpiritus, neque à terra ad cœlos oculos levaturum. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, ut ait propheta. Quid conſilii capiet Deus? Carnem humanam aſſumat, ſe videndum præbeat, poterit exemplo & verbo mortales inſtruere. Deſcendat in terram, uniatur cum luto noſtro, poterit videri, familiariter agere nobiſcum, ſe nobis amabilem præbere, atque hoc modo nos ad Deum elevare, *Et erunt oculi tui videntes*

præceptorem tuum, ut ait Iſaias, quantum DEO tu debes, ô anima mea, quod tibi ille viſibilem præceptorem dare voluerit: At quanto rubore ſuffundi te decet quòd alias regulas ſis ſecutus, quòd potius mores tuos ad ſenſus & libidinis tuæ, quàm ad Dei-hominis præcepta direxeris! quòd libentiùs aliarum creaturarum, quam divini iſtius magiſtri exemplum ſis amplexus, quòdque majorem fidem habueris doctrinæ mundi, quàm inſtructoris tam ſancti! Pudeat te erroris tui, & ſtatue, magiſtrum tuum qui ſe viſibilem præbuit, imitari, nec tuos amores aliò transferre. Si res iſtæ ſenſibiles ita te movent, ita te implicant, cur non amplecteris *D*eum qui per incarnationem ſuam ſe nobis viſibilem & ſenſibilem præbuit? voluit aſſimilari tibi, quo te alliceret ad ſe, tecumque perfectam jungeret amicitiam; & illud non curabis, ſed ab eo recedes? Ah, Domine, abſit hoc à me. Fac, ut demum cor meum tibi ſtrictisſimo vinculo colligetur.

Tertium. Conſidera alium finem, quem ſibi *D*eus in incarnatione propoſuit. Offenſus fuerat à primo homine & ab omnibus ejus poſteris; ſtatuit incarnari, ut plenè ſatisfieret divinæ juſtitiæ, atque hoc ſolatio recrearemur, quòd ſi natura humana *D*eum offenderat, natura etiam humana *D*eo ſatisfaciebat, & dignitatem trahens à perſona divina, ſolvebat pretium redemptionis infiniti valoris, quod ad omnes homines poſſet extendi. O artem! O inventionem admirabilem! ecquis alius, præterquam *D*eus, poterat eam excogitare? at ſimul quanta nobis præbetur occaſio timendi, dum videmus juſtitiam divinam nihil voluiſſe impunitum relinquere, & optaſſe ſibi ſatisfieri à naturâ humanâ, quæ in Adamo peccaverat? Ergo *D*eus volet ſibi ſatisfieri etiam pro peccatis

à me

à me commiſſis, & ego quàm leviter hæc attendo, neque enitor ſatisfacere Deo, & à me ipſo pœnas repetere propter delicta quæ me juſtitiæ divinæ obſtrictum atque obligatum tenent. Propoſitum efficax ſumendi pœnas à me ipſo. Sed quia quævis ſatisfactio quæ poteſt à me exhiberi Deo, non eſt ſcelerum meorum gravitati æqualis, recurrere maximè debeo ad hunc hominem-Deum, unire nihilo meo infinitam ejus ſatisfactionem, haurire ex inexhauſto theſauro Dei carne humana induti, illud omne, quod deeſt ſatisfactioni meæ, & divinarum opum exuberantia meam egeſtatem locupletare.

II. Decembris.

MEDITATIO VI.

Pater æternus dat mundo filium ſuum.

PUnctum primum. Conſidera, quod Pater æternus amore infinito proſequitur filium ſuum, quem ab æterno ex ſua ſubſtantia generavit æqualem ſibi, imò ejuſdem ſecum ſubſtantiæ; tamen cum videret omnes homines propter peccatum ſuâ amicitiâ excidiſſe è cœlo excluſos, tanto erga nos amore exarſit, ut nobis ſuum filium in noſtrum redemptorem & liberatorem dare ſtatuerit. O Pater æterne, quæ bonitas eſt iſta dare filium infinitè dilectum, ut rebellem & inimicam creaturam redimat? Apud homines ſi quis parens filium ſuum innocentem judici traderet, ut proditorem liberaret, damnaretur injuſtitiæ; at coram tribunali tuo, quæ charitatis exuberantia? nec charitas tantùm modum exceſſit, ſed etiam liberalitas Dei, qui

qui nobis dedit filii perſonam, vitam, merita, labores, mortem, gloriam; uno verbo, ut ait S. Bernardus, ſe totum dedit mihi. Quotusquisque hominum potuiſſet hoc unquam cogitare, hanc gratiam expectare? Num ſenſus omnis expers es, anima mea, ſi tantam bonitatem tenerrimè non ames? quam excuſationem potes obtendere, ſi pro viribus tuis tantæ liberalitati non reſpondes? & audebis inpoſterum Deum offendere tam bonum, tam liberalem erga te, creatura rebellis & ingrata? nollem, nollem, mi Deus, ſed ea eſt infirmitas mea, ea miſeria, ut niſi juver à te, ruam ſponte in exitium meum.

Secundo. Conſidera, Patrem æternum non poſſe luculentius declarare ſuum erga nos amorem, quàm nobis dando ſuum filium; ſi enim magnitudo amoris æſtimatur ex magnitudine doni pretioſi, quod offertur, certe donum non poteſt eſſe majus, cum filius, qui datur, ſit Deus, in quo pater æternus, ut ipſe aſſerit, ſibi plenè complacet, ac proinde nec pretioſius, nec carius eſſe poteſt. Quod ſi etiam magni eſt amoris ſignificatio, largiri donum, quod longè dignitatem recipientis excedit, quàm clarè inde elucet amor patris æterni dantis nobis donum, quod longè ſuperat omnes creaturas, ex quo bonum omne noſtrum tam ſpirituale, quàm temporale procedit. Denique quo minus meruit donum, qui recipit, eo magis benefactor ſuam erga illum benevolentiam declarat. O Domine, hîc quid cogitem neſcio. Quid merebar ego, niſi infernum? quid dico, infernum? mille inferos pro tot peccatis, quæ à me videbas eſſe admiſſa, & nihilo tamen minus ſtatuiſti mihi dare filium tuum: videbas quidem demerita mea, ingratitudinem meam; compenſationem ſperare non poteras, & tamen *ſic Deus dilexit, ut filium ſuum unigenitum daret.* O purum, O ſincerum & liberalem Dei amorem, qui ſuis ratio-

nibus

nibus non ſtudet! & tamen adhuc non cedo, adhuc animum obfirmo me ſibi devinciet verbum unicum creaturæ, & donum infinitum patris æterni non omnes meos affectus vindicat ſibi? quid dicis anima mea? Credis hæc, vel non credis? me verba deficiunt, O Domine, quibus tibi gratias rependam pro tam ſingulari erga me amore, nihilque prorſus habeo, quo me gratum exhibeam, præter ipſum filium tuum, quem tibi pro hoc dono reſtituo. Admitte, O Domine, donum meum, & fac ut benefactorem meum æterno amore complectar.

Punctum tertium. Conſidera mutuam gratiam repoſci à Patre æterno, qui nobis tam liberaliter & liberè filium ſuum pro noſtra redemptione largitus eſt, & quanquam ille nobis filium non dediſſet, num rationi non congrueret, ut omnia noſtra daremus illi? Qua igitur fronte potero ego quicquam negare benefactori, qui mihi donum tam grande, tam pretioſum, tam charum largitus eſt? & tamen, proh pudor, vix imperare mihi poſſum, ut voluptacula aliqua me privem, ſpoliem me pravo affectu, & à rebus vanis meum amorem abjiciam. Quaſi vero magna ſim acturus pro Deo, qui nec minima illi offero lubenter? O Domine, nota eſt mihi obligatio quam habeo dandi me totum tibi; quare tu penetras intima cordis mei, & voluntatis propenſiones; ſuggere mihi vires, quibus me à meis affectibus expediam, & ſacrificem tibi illud, quod cum offenſâ tuâ occupat cor meum, non ſolis deſideriis contentus vivam, ſed quod meæ partes exigunt, id fortiter exequar tibique referam gratias pro filio tuo, quem mihi dediſti.

III. Decembris.

MEDITATIO VII.

Filius ſe dat hominibus.

Pun-

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Verbum æternum, filius patris æterni, cum videret in ſua æternitate voluntatem patris (ut noſtro modo loquar) eam eſſe, ut traderetur mundo, habuerit multas rationes non veniendi, nec tradendi ſe mundo pro redemptione generis humani. Prima erat, ut obviam iret graviſſimo omnium peccato atque atrociſſimæ offenſæ committendæ in patrem, per cruentam mortem filii cruci affigendi. Quid ſtatues, O Verbum æternum? Tu, cui adeo cordi eſt honor patris, & qui tangeris tam ardenter ſtudio ejus gloriæ? haud dubie pati non poteris, ut tam graviter ille offendatur; num minus malum eſt, ut homo peccator puniatur & pereat, quàm ſi Deicidio Pater æternus offendatur? Quid refert, ſi ſuppliciis inferni addicatur, qui illa promeruit? diceres, eum ſecum hæc ſtatuiſſe. Attamen nihilominus decrevit, dare ſe nobis, ut ſalvaret nos; ſatius eſſe judicavit, hocce malum permittere, quàm deſerere nos; In ſe ſuſcepit onus reſarciendi honoris patri æterno, & cumulatè ſatisfaciendi, etiam pro iſta offenſa, quæ ipſi ex morte filii inferebatur. O infinitam æterni Verbi charitatem! O æternam de noſtro bono ſollicitudinem! & mihi hactenus illa tam parùm innotuit, tam vili in pretio fuit, ita ut ne gratias quidem illi meritas habuerim ex animo. Sed forte illum retraxit timor infamiæ cum in ſuâ æternitate perfectè cognoſceret fore, ut ſi mundo ſe traderet, ignominioſiſſimè tractaretur, &, ut ita dicam, imminueretur quàm maximè. Quot opprobria, quot injurias ſua infinita dignitate indignas ſe paſſurum eſſe animadvertebat? nec his tamen amoris fervor refrixit; ita infinitus illius amor & dolores & contumelias omnes pro me libenter ſubiit, maluitque indignisſima quæque perpeti, & ſaluti meæ conſulere, quàm mihi in extremo periculo deeſſe. Quid

ad

ad hæc reponis, anima mea, quid dicis? cur non erubeſcis? cur toto pudore non frangeris? non hæc agis pro Deo? ſi quid vel minimum tibi tolerandum occurrit, ne diſpliceat *Deo*, ſtatim refugis, & corporis commoda & exiſtimationem nominis tui divinæ voluntati præponis, ita ut nolis quicquam de tuo detrahi tibi licet illud ſit cum Dei jactura conjunctum. Induc tandem animum, imitari Verbum æternum & tantum agere pro illo, quantum illud egit pro te.

Secundum. Conſidera, fuiſſe inſuper à Verbo æterno prævíſam ingratitudinem hominum, quorum alii erant animum obfirmaturi in tenebris ſuis, alii veritati fidei ſuas aures occluſuri, multi è fidelibus ſua peccata non emendaturi, multi remedio in venenum converſo evaſuri DEO magis injurii, atque in tanta mortalium ipſius adventu abutentium multitudine perpauci beneficio redemptionis uſuri: Et inter iſtos videbat vilitatem animi tui & ingratitudinem, quæ ejus conſiliis obſtabat; nihilo tamen minus dedit ſe nobis, & noſtræ ſaluti procurandæ ſe totum impendit, obices omnes ſuperans ſuæ charitatis ardore. O charitatem vere nullis terminis circumſcriptam! Quotusquisque noſtrûm eſt, qui beneficium conferre vellet ingrato, qui ſementem ſuam crederet agro, quem jam ſterilem & infœcundum ſuo damno probavit? non ſic tu, Domine, non ſic. Noviſti indignitatem meam, prævidiſti ingratitudinem meam, tamen non deſiiſti dare te mihi, certus facere, quicquid in te eſſet, quo meæ ſaluti proſpiceres. Amasne tu tam tenere Deum, quando tibi ſignificat ſibi aliquid placere? promovésne ipſius gloriam, omnesque ejus voluntates exequeris, tam promptè, tam alacriter, tam liberaliter? O quantum abes! Et non pudebit te tui ipſius? Si Verbum æternum ita ſe geſſiſſet; fuiſſétne

unquam

unquam Salvator tuus? & putas te ab illo ſalvandum, ſi pergis, ut hactenus feciſti, illius voluntati ſemper obſiſtere? Dede tandem te *Deo*, qui te amavit tam tenerè, qui tuam ſalutem promovit tam ardenter, qui ab æterno cogitavit bene mereri de te; & tamen, heu me miſerum, inter tot flammas vitam ago perinde ac ſi cor non haberem, quo meum amem benefactorem, illi gratias agam ac benedicam.

Tertium. Conſidera, quænam ſint partes tuæ, quid tibi agendum ſit, ut Deo reſpondeas. Nihil illum avertit à dando ſe tibi, & hanc fidem, & hunc amorem Salvatoris imitari non debes? Ab æternitate fuit tuus, & magnum quid reputabis, ſi poſt tot annos te illi das? fuit ille ante ſæcula tuæ ſalutis amantisſimus, & tu non debebis, quàm ſæpiſſime poteris, gratias illi rependere pro tanto affectu? ab æternitate ſe obtulit ad omnia perferenda, ut tibi cœlum aperiret, num rationi conſentaneum eſt, ut tu viciſſim jam nunc te offeras, ut deinceps opereris & toleres, quidquid ejus gloriam poterit promovere? Num debebis, cum ſeſe dabit occaſio confirmandi voluntatem operibus, ardenter amplecti omnia, dicendo, Deus hoc meretur & aliquid amplius? nonne par erit ut rationem habeas præteriti, tibi ipſe ruborem incutias, quòd hactenus nihil omnino egeris, & licet egiſſes, quod tui muneris erat, ſemper eſſes ſervus inutilis? ſed quia miſer, debilis & inſtabilis es, recurre ad Deum, ut tibi gratiam largiatur, quâ Deum ſeriò incipias, te Dei obſequio mancipare. Offer Patri æterno voluntatem optimam filii, cumque roga, ut tibi voluntatem ſtabiliat firmo propoſito dandi te totum illi, ſublatâ è corde tuo omni aliâ erga creaturas propenſione, quæ tuum à Deo amorem poſſet avertere.

IV. De-

IV. Decembris.

MEDITATIO VIII.

De electione Mariæ Virginis in matrem Dei.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Deus cum eſſet decretum in auguſtiſſimo conſeſſu trium divinarum perſonarum, ut Verbum æternum filius naturalis Dei deſcenderet ad noſtrum lutum, ſeque nobis communicaret, voluit illud gradatim executioni mandare, non tantùm aſſumens carnem noſtram (non tamen peccatricem) paſſibilem, mortalem & miſeriis obnoxiam, ſed inſuper volens illam accipere à muliere, & matrem habere in terris. Poterat ut alter Adamus carnem divinâ manu formatam aſſumere, ſed voluit eſſe filius hominis, illàm accipiens ex Virginis utero, ſicque eſſe proles Davidis, atque à viris peccatoribus & fœminis peccatricibus linea recta deſcendere; Atque ita hujus myſterii incarnationis particeps fieret uterque ſexus, cum à viro ſimul & à muliere ruina noſtra traxiſſet originem. O ſtupendam ſupremi numinis abjectionem! Qui in æternitate ſua Filius Dei erat, dignatus eſt fieri filius hominis, ut nos evaderemus Filii Dei. Voluit in ſua genealogia temporali ſervos habere pro avis ſuis, ut nos ſervi Patrem æternum haberemus pro parente noſtro. Vide, ad quem dignitatis apicem ejus abjectio nos evexit, ut poſſimus dicere *Pater noſter, qui es in Cœlis.* Verum ex altera parte quis pudor? licet habeamus Deum pro Patre, nihil vel parum ſtudemus illi placere ejuſque gloriam promovere, nec memores, quòd ſimus Filii Dei, congruentem cum ſenſu & carne vitam traducimus. Dolor & propoſitum.

Secundum. Conſidera, quomodo Verbum æternum

Volens carnem noſtram aſſumere, & naſci ex muliere, potuiſſet quidem eligere Matrem omnium ditiſſimam & nobiliſſimam, quæ ex antiquiſſimâ Regum & principum ſtirpe deſcenderet, & præ cæteris temporanea dignitate fulgeret, & certe videbatur hoc congruere illi, qui re ipſa erat Imperator & dominus univerſorum; at talem ſibi non elegit in matrem; optavit illam eſſe vacuam à bonis tranſitoriis, & plenam virtutibus ac virginitate inſignem, quia bona terreſtria non magni facit Deus, & bonitate potius quàm bonorum temporalium abundantia aſſimilamur Deo. Vide, quantum judicium Dei diſcrepet à judicio Mundi, qui cum totus ſit in honoribus & dignitatibus adipiſcendis, parvi vel potius nihili facit virtutem, quam Deus magno in pretio habet. O ſi tandem fraudes deprehenderemus, & ſerio in animum induceremus, veram dignitatem ſitam eſſe in gratia Dei, in cordis puritate, in innocentia & pietate! O ſi rerum caducarum aviditate compreſſa unusquisque incumberet in ſtudium illius ſanctitatis, quæ nos Deo magis aſſimilat!

Tertium. Conſidera, quomodo Deus ex omnibus, quæ poterant eſſe, mulieribus & Virginibus elegit Mariam Joachimi & Annæ filiam in matrem Verbi æterni, quod in ejus utero carnem noſtram aſſumeret, & per matrem ſuam nobis acceſſum præberet ad *Deum*; & quia evehebatur ad dignitatem quaſi infinitam matris *Dei*, decrevit illi dare eam plenitudinem gratiæ, donorum ſpiritualium, innocentiæ, ſanctitatis & gloriæ quam tanta dignitas poſtulabat, ut omnibus puris creaturis excelleret, & ſicut cæteras ſuperabat dignitate poſt *Deum*, ita illis meritis & virtute non cederet. Te reveremur, ô Maria, quæ *Deo* ab æternitate placuiſti: quare te bea-

tam

tam prædicamus, utpote in quam *Deus* benignè reſpexit, ut in te res magnas operaretur. Te adoramus, ut reginam, jam nobis deſtinatam cooperatricem noſtræ ſalutis, Dei-Hominis ad noſtram redemptionem coadjutricem, refugium, portum, & apud filium conſolatricem noſtram. O quantum gaudemus de dignitate & amplitudine tua! *Benedicta tu inter mulieres*, Quia ſecundo ordine adſcripta es in libro prædeſtinatorum; Canalis per quem omnes divinæ gratiæ manabunt. O quantum debemus Deo, qui in filii ſui matre, nobis etiam miſericordiæ matrem providit! Fruere nobiſcum, ô domina, favoribus, quos tibi cœlum impertivit, & impetra nobis gratiam, quâ mereamur eſſe in tua tutelâ.

V. Decembris.

MEDITATIO IX.

De promiſſione incarnationis tactâ â Deo hominibus.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo ubi primum Adamus mandatum divinum eſt transgreſſus, ſibi ſuisque poſteris juſtitiam originalem amiſit, mortisque aliarumque calamitatum pœnam incurrit, *Deus*, priusquam illum è paradiſo terreſtri ejiceret, dixit ſerpenti, fore ut ab alio homine ipſi caput contereretur; quibus verbis facilè pollicebatur Adamo & Evæ Salvatorem, qui ipſos & totam poſteritatem à Satanæ jugo liberaret, & cœlum inobedientia perditum recuperaret. Attende bonitatem Dei, qui miſeretur & compatitur illi, qui ipſum offendit. Non contentus fuit ab æternitate remedium præparaſſe futuro peccato, niſi etiam Adamo in tantis miſeriis trepidanti adderet animos, eum libe-

ralibus promisſis exhilararet, hortaretur ad pœnitentiam, ad ſpem in Deo collocandam, & præparato ac decreto remedio utendum. Quibus lætitiis exultabat Adamus, cum audiret fore, ut damna toti generi humano per ipſum illata felicius reſtaurarentur? Quantum debemus tantæ clementiæ? nec minori gratitudinis ſenſu tangi tu debes; anima mea, quia jam tunc tibi etiam pollicebatur hanc gratiam dandi tibi Salvatorem, qui te & ab originali peccato, & à tot aliis noxis, in quas te incurſurum prævidebat, liberaret, quantum illi debes pro iſto beneficio? quantam fiduciam collocare debes in amico tam potenti, quantaque gratitudine ferri erga benefactorem tam munificum? & tamen quantâ verecundiâ percelli debes, quod negligentisſimè divino amori reſponderis.

Punctum ſecundum. Conſidera, quomodo Deus non tantum ſignificavit progenitoribus noſtris, ſe misſurum in terras Salvatorem, ſed inſuper Adamo promiſit, eundem ex ipſius ſtirpe naſciturum, eamque promisſionem per multas figuras & varios prophetas renovatâ ſubinde memoria poſteris confirmavit. Vide ſollicitam bonitatem Dei, qui dum differret executioni mandare promiſſum, ſpem de illo conceptam fovebat, ut hac ſaltem ratione ſolaretur expectantium deſideria, & beneficii dilationem aliquo modo compenſaret. Denique non deſerit Deus, ſed ſperantem in ſe variis ſublevat modis. O ſi noſſes illam ſecuritatem & animi tranquillitatem in mediis ærumnis ſervare! Attende inſuper beneficium tibi à Deo collatum, quod non incideris in ea tempora, cum mundi Salvator adhuc non venerat, ſed in iſta, cum ille jam venit, ita ut non impetrandum ſperes, ſed gaudeas impetrato: non abſentia boni optati torquearis, ſed præſentiâ recreeris. Quam potenter

tenter te hujuſcemodi beneficium invitat ad ſerviendum Deo ex animo? nihilo tamen minus quoties ſe tibi dedit occaſio erubeſcendi, quòd ante adventum redemptoris inventi ſint quamplurimi, qui fideliùs quàm tu, & accuratiùs Deo ſerviverint? Deſiderium reſpondendi magnitudini beneficii.

Tertium. Conſidera, quod ſi Deus poſt datum de Redemptore mittendo promiſſum, illud implere diſtulit per multa annorum millia, noluit tamen ſpe ſola & renovati duntaxat promiſſi memoriâ mortales ſolari, ſed eos beneficii etiam participes eſſe optavit, Concedens iis, qui ſperabant & credebant in Meſſiam venturum, omnes gratias & ſalutem per merita Jeſu naſcituri & morituri pro nobis. O quàm bonus es, Domine! verè nullum deſeris ſperantem in te, dilatans pietatem & miſericordiam tuam, & volens, ut merita Jeſu antequam veniat, perinde ac ſi veniſſet in terram, effectum apud te conſequantur. Quantam ſpem mihi facit adventus Salvatoris, qui jam acceſſit? quantò majorem liberalitatem & miſericordiam erga me exercebit Deus, ſi ſtudiosè diligenterque ſerviam, cum ante ipſum Chriſti adventum ſeſe adeò liberalem & munificum erga antiquos Patres exhibuerit? quam ſingulares debeo gratias rependere Domino, quòd his temporibus vivam, cum gaudeo fructu adventus Chriſti, beneficio tot Sacramentorum, quibus antiqui Patres caruerunt? Igitur *unica ſpes mea Jeſus.* Ecce, in quo præcipuas ſpes tuas poſitas habes, nempe in Jeſu redemptoris tui meritis hæc jam ſemperque offeres Patri æterno, ad quem colloquium diriges, ipſum rogando, ut te dignum efficiat, qui talium meritorum particeps fias. Finies oratione Dominicâ.

VI. Decembris.

MEDITATIO X.

De antiquorum Patrum deſiderio adventus Salvatoris.

) *Unctum primum*. Conſidera, quomodo Pater æternus, licet jam inde ab æternitate nobis filium ſuum dediſſet, voluit tamen, ut adventum Meſſiæ præcerent ardentia deſideria Prophetarum & Patriarcham, qui continuis precibus cœlum urgerent, ut ma-, quibus mortales premebantur, remedium afferret. ttendes, gravisſimis rationibus Deum fuiſſe impulm, ut ita ſe gereret: congruebat etenim, ut homines pararent ad rite accipiendum tantum beneficium, ıantum erat incarnatio Verbi æterni; indignus eſt ıtiis cœleſtibus, qui eas non magnifacit, qui eas non ſiderat, qui ad eas ſe minime diſponit. Attende hic nitatem DEI: poterátne ille pro re tam pretioſa ualis erat adventus Salvatoris) aliquid exigere vis ſimplici deſiderio? & tamen quanto pudore ſufdi debes, anima mea, quæ divini ad te adventus de-:rio tam parum tangeris? Appetis ardenter alia bo-ſtudes ſollicitè commodis tuis verùm langues, nec :s ſumis ut deſideriis erigaris ad Deum: unde tehic oritur? ex cæcitate tua quæ ſubducit ex oculis miſerias, necesſitates ac paupertates tuas ſpiries. Denique qui ſe ægrotum agnoſcit, medicum at, qui ſibi ſanitatem reſtituat. O bone JESU, quam cor meum te appetet, donec illud gratia tua ;es à noxiis humoribus, quibus laborat. Illud den pro tua miſericordia clementer expurga, ut te n ardentiſſimè appetat.

ecundum. Conſidera, quàm ardenti deſiderio ſanli Patriarchæ & Prophetæ Chriſti adventum flaunt aſſiduis votis ſollicitabant cœlum, ut optato

rore terras fœcundaret, rogabant nubes ut pluerent juſtum, urgebant terram, ut ſinum aperiret, & germinaret Salvatorem, ſuſpirabant, anhelabant, & brevi futuri adventus expectatione ſe ſuſtentantes dicebant, *mitte, quem miſſurus es.* Vide, quàm grati Deo fuerint illi affectus, qui Redemptoris adventum accelerarunt. Ecce cauſam, cur preces tuæ non exaudiantur, quia tepidæ, quia non ferventes: non ita languide appetis res temporales & commoda tua. O utinam quid haberes ex illo ardore antiquorum Patrum, putà Danielis, qui vocabatur *vir Deſideriorum*; Simeonis, qui nihil aliud in votis habebat, niſi redemptionem Iſraelis! Quod ſi aliquoties tibi videatur, te Deum, cœlum & in virtute profectum deſiderare, merum perſæpe deſiderium eſt, præterea nihil; vacuum ſiquidem eſt ab operibus atque otioſum, ac proinde à DEO parvi fit. Pudeat te hujus languoris; roga DEUM enixè, tibi vivo ſui deſiderio cor tuum accendat; quod ſi tanto bono indignus es, ſaltem cum Propheta poſſis dicere *concupivit anima mea deſiderare.* Si neſcio, *D*omine, verum formare deſiderium, ſaltem tuæ gratiæ ſubſidio adjutus verè deſiderem, ſimilia deſideria concipere.

Tertium. Conſidera in antiquis illis patribus non tantum deſiderii fervorem, ſed perſeverantiam. Supplicabant, nec veniebat Redemptor; ſæcula labebantur, nec apparebat; creſcebant miſeriæ, & remedium ſemper differebatur; nihilo tamen minus vota non intermittebant; exibant ex hac vita & Limbi penetralia obſcura ingreſſi preces ingeminabant, eò conſtantiores in expectando Salvatore, quò ſecuriores erant de ejus adventu, unde in illis oriebatur tam conſtans perſeverantia? certe ex notitia, quam habebant propriæ calamitatis, & boni ſingularis,

quod adventum Redemptoris ſequebatur. En tibi cauſam inconſtantiæ tuæ. Quod ſcilicet non noris miſerias & paupertatem animæ tuæ. Decipit te opinio tui, non intelligis miſeriam animæ tuæ, & quam magnum ſit bonum, Dei poſſeſſio. Collige te, anima mea, attende ſtatum, in quo ſunt res tuæ, vide utrum deprehendas, ita eſſe; Roga Deum, ut tibi mentem illuſtret quò poſſis cognoſcere & defectus animæ tuæ & quanti momenti ſit, Dei præſentiâ frui.

VII. Decembris.

MEDITATIO XI.

De tempore incarnationis exequendæ.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo cum Deus noluiſſet incarnationem executioni mandare ſtatim, atque Adamus peccavit, ut tanti beneficii deſiderium dilatione inflammaretur, tamen ſi paucos mortales excipias, totum genus humanum in miſerrimo ſtatu verſabatur *Non eſt, qui faciat bonum,* ajebat David, *non eſt uſque ad unum.* Res creatæ, quæ maximè ſenſu carebant, quæ viliſſimæ & omnium viliſſimæ erant atque abjectiſſimæ, in numero Deorum habebantur ab omnibus populis, dum interim verus Deus conditor univerſorum, quaſi ab ipſo mortales non dependerent, à propriis creaturis contemnebatur. Cogitatione percurre opera eorum qui vitam agebāt, quaſi nulla foret ęternitas: Reputa, qualis fuerit in mundo triumphus dęmonis, qui cunctos ferè mortales ſuæ ditioni ſubjecerat. O quantam tibi miſericordiā exhibuit Deus, quòd non hiſce calamitoſis temporibus in lucē veneris, tum cum adeo cæca eſſent hominū corda & tanta ubiq; ſcelerū multitudo regnaret! Quid de te fuiſſet, ſi tunc temporis vixiſſes? Indignus planè eras, qui reſervareris in hæc tempora, cum mortales præditi ſunt tanta notitia rerū cœleſtiū, totq; illis ſeſe offerunt occaſiones rem bene gerendi, quam ſingulares deberes

illi gratias repēdere, quàm accuratè illius amori reſpondere? & tamen quam tibi probroſum eſt, cœleſti luce illuminari, & verſari denſis in tenebris, nihilq; vel parum curare, utrum in gratia divina proficias? Dolor, & propoſitum non obliviſcendi favorem tam ſingularem.

Secundũ. Conſidera, inter omnes nationes Hebræam fuiſſe divinitus electam, à qua *D*eus religioſiſſimè coleretur, tamen haud multò religioſiùs in Judæâ, quàm in reliquis orbis partibus honorabatur, colebatur, amabatur. Princeps, per quem Judæi regebantur, in regnũ invaſerat, ſcribę & Phariſęi, qui erant veluti legis doctores & magiſtri, magna ex parte hypocritæ obtendebant fictã pietatem ambitioni, avaritiæ & incontinentiæ ſuæ: gloriabantur eſſe filii Abrahami, ſed actiones Abrahami non curabant imitari: Templum in cauſa erat, quamobrem ſuperbirẽt, quod prę cæteris populis gratiâ apud Deum floruiſſent. Ceremonias abſq; ullo veræ pietatis ſenſu & ſpecie tenus obſervabant: Quare non immerito S. Joannes homines tot ſceleribus contaminatos appellabat genimina viperarum, paucisque exceptis Dei amicis, poterat dici de cæteris, *populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Vide, quantam ingratitudinis notam ſibi inuſſerit populus ille, quẽ Deus tot beneficiis affecerat, ſibi ex omnib. unum elegerat, & inauditis favorib. cumulatum in terram promiſſam ipſemet introduxerat. Quod argumento eſt, Judæos Meſſiæ venturi deſiderio flagraſſe non tam ut à jugo *D*æmonis & peccati, quàm à Romanorũ ſervitute vindicarentur. O quam accuratè cœleſtib. gratiis debemus reſpondere! non eſt nobis fidendũ; ſi non utimur diligentia, ruimus in pejus. Mentem in te reflecte, quam ineas viam, ſi reſpondeas gratiis, quas recipis; fove ſanctũ timorem & diffidentiam tui, teque abjice coram Deo, quòd tantum abeſt ut continuus divini numinis beneficiis cumulatus melior evadas, ut licentius atq; impotentius pravis animi tui cupiditatibus pareas.

Ter-

Tertium. Conſidera quòd continuo ex omnibus partibus mundi aſcendente ad cœlum fœtore peccatorum, quæ pœnas repoſcebant, & jure divinam iram provocabant, hominibusque ruentibus in infernum angeli tanta calamitate commoti zeloque divinæ gloriæ accenſi enixè ſupplicarunt Deo, ne ulterius differret adhibere ſummo malo remedium. Gratias age ſanctis angelis, qui tunc pro genere humano ſtudioſiſſimè interceſſerunt, & confide fore, ut te in ſuam fidem & tutelam accipiant, tuamque ſalutem promoveant. Diſce ab illis cordi habere bonum proximi, ſimulque illum pro viribus tuis corporaliter & ſpiritualiter juvare, ſtudendo cooperari divinæ gloriæ. Attende præterea, *D*eum optimum maximum licet juſta indignatione commotum in homines ſcelera ſceleribus cumulantes, locum tamen dediſſe bonitati ſuæ, &, precibus tam juſtorum, quam angelorum ne diutius Salvatoris adventum retardaret, ſed ſummis mortalium miſeriis benignè compatiens remedium illis quantocyus adhiberet, ut quò major erat indignitas noſtra, eò clementia cœleſtis luculentiùs eluceret. Vide, quantam in Dei miſericordia fiduciam debeas collocare, tum, cum in miſerias majores incidiſti. Hunc affectum excita in corde tuo, ſupplicans pietati divinæ, ut tuis malis remedium afferat: rue in ejus amplexus, *ſpera in eo, & ipſe faciet.* Colloquium, prout ſuggeret affectus.

VIII. Decembris.

MEDITATIO XII.

De conceptione ſacratiſſimæ Virginis.

PRimo Conſidera, quomodo DEUS cum veniſſet tempus ab ipſo decretum, Joachimo & Annæ licet ſterilibus, poſt continuas multorum annorum

preces:

preces: beneficio peculiari contulerit filiam, quæ in Deiparam erat electa, ut gratia, oratio & ſanctitas majorem in ea formanda puellula ſibi partem vindicarent. Vide, quàm liberaliter Deus compenſavit orationes asſiduas ac ferventes Joachimi & Annæ. Jacturam non facit, qui conſtanter recurrit ad Deum. O quam ſuaviter *D*eus conſolatur illum, qui ad ipſum confugit cum fiducia! Diſce, quomodo agere debeas cum *D*eo, ſcilicet illi explicando necesſitates, deſideria & rationes animæ tuæ.

Secundo. Attende privilegia, quæ Deus conceſſit animæ iſtius puellulæ in eo inſtanti, in quo illam creavit, & infudit in corpus. Hanc liberavit à peccato originali, gratiaque in animam infuſa pati non potuit, ut vel per unum quidem momentum in peccati ſordibus verſaretur. Vide, quænam ſint privilegia magno in pretio habenda, non quidem ex nobili loco & opulento naſci, ſed nulla peccati labe contaminari. Hæc eſt fœlicitas tua, O Maria, nunquam *D*æmonis jugum ſubiiſſe, & ſemper *D*eo gratisſimam extitiſſe. Hæc de me profiteri non poſſum, qui toties divinam gratiam reliquis bonis propoſui. Præterea *D*eus Virginem voluit non tantum eſſe immunem à labe primi parentis, ſed à pravâ etiam naturæ proclivitate in malum; ita ut apud illam ratio ſemper & ſpiritus ſummum tenuerint imperium, nec unquam ſenſus & cupiditas à ſuperna lege defecerint. O quàm ego lætor, Virgo ſanctisſima, quòd ſemper in anima tua, pax alta regnarit: mihi ſuppetias fer, mihi, inquam, qui non ſentio ſolùm aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ſed ita prævalentem, ut me perpetuo in tot peccatorum miſerias trahat.

Tertio. Conſidera ſacratisſimam Virginem in eodem temporis puncto fuiſſe à *D*eo donatam tanta

gratiæ

gratiæ cœleſtis abundantia, ut eâ ſummos Seraphinos exceſſerit, ſecura non admittendi unquam à ſe peccati gravis vel levis, ſicque à Deo poſſeſſa, ut ſemper operatura eſſet, quod melius & gratius Deo fuiſſet. Proh, quale privilegium! quæ prærogativa? creaturas omnes ſanctitate & puritate ſuperare, nulli peccato ſubjacere, & ſemper, quod melius eſt, operari. Quàm merito Virgo de ſe poteſt gloriari & dicere. *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna!* Tu quoque ſtudebis cœleſti gaudio exultare cum virgine, favores ei collatos extollere, & eandem ubique beatiſſimam prædicare, ſed ſimul in te ipſe mentem reflectes, tuosque mores examinabis; quam procul abfueris à voluntate Dei, amplectendo quod ei gratius erat? quàm exiguam cautelam adhibueris in fugiendo omni genere peccati? quam parum ſollicitus fueris in procuranda gratia, quæ tibi ſanctitatem conferret? Dolebis præteritos errores, rogabis Virginem, ut tibi ſubminiſtret ſubſidium ad vitæ tuæ emendationem neceſſarium.

Quarto. Conſidera fuiſſe in illo inſtanti Virgini conceſſum uſum rationis ante tempus; Ipſam Divini numinis perfectiones & altiſſime cognoviſſe, & ardentisſimè dilexiſſe, ita ut Seraphinos quantumvis divini amoris ardoribus exæſtuantes facile ſuperarit. O felicisſimum cor Mariæ, quod derepente in divinæ bonitatis amorem exarſit, & ita exarſit ut nunquam amorem intermiſerit ſe illum auxerit magis ac magis, & ſemper Deum ſincerisſimo redamarit affectu! Offeres Deo primum ſanctisſimæ Virginis amorem, quo tuos defectus ſuppleas; eam rogabis atque obteſtaberis per omnes prærogativas, quibus in ſua conceptione fuit ornata; tibi gratiam exoret, qua divinam amicitiam pluris facias

cias inpoſterum, atque enitaris in Dei cognitione & amore proficere.

IX. Decembris.

MEDITATIO XIII.

De ſponſalibus ſanctiſſimæ Virginis cum ſancto Joſepho.

P*Unctum primum.* Maria in templo degebat, novos ſanctitatis gradus accumulans, ſerviensque Deo, cui ſuam virginitatem voto ſacraverat; ſed quia electa erat in Matrem DEI, decretum cælitus fuit ut ſponderetur marito, qui ex regia *D*avidis familia originem traheret. Adverte hic peculiarem providentiam *D*ei, qui hæc ſponſalitia voluit, ne ullam apud homines infamiæ notam Virgo incurreret, ut filius ipſe illegitimus haberetur, dum incarnatio Verbi æterni tanquam opus Spiritus Sancti Dæmonem aliosque in aliquod tempus cælaretur. O quam cordi es *D*eo, Virgo ſanctiſſima, & viciſſim quanto cum affectu illi reſpondes! omnes res tuas illius arbitrio permiſiſti, parata ſtatim exequi, quidquid illi gratum acceptumque eſſe cognoveris: Et quanquam virginitatis voto te obſtrinxiſti, tamen certior facta de ejus voluntate, ut in terra ſponſum habeas, libenter morem geris, nec dubitas, quin ille ſervandam tibi virginitatis modum inveniat. O ſi Mariæ exemplum ſecutus, te totum Deo regendum præberes! Et vero cujus ductum poſſum ego tutiùs ſequi? An forte jacturam patietur, qui paret *D*eo? Nam oblivifcetur illius, qui de ipſo cogitat ſemper? Dolor de præterito, & propoſitum in futurum.

Secundo. Conſidera quomodo *D*eus ſponſum Mariæ Joſephum elegerit ex familia Davidica, ad quem licet pauperem & profeſſione fabrum lignarium, regnum Juda pertinebat, ut cuſtodiret virginitatẽ Mariæ

eamque & Chriſtum ex eadem virgine naſciturum gubernaret. Vide primùm, quem Deus ſponſum deſtinet Mariæ ſibi chariſſimæ; non quærit ditiſſimum aliquem virum, vel regem aut Imperatorem, ſed puritate & ſanctitate inſignem, qui idem ſentiret ac Virgo, & fortaſſis etiam perpetuæ virginitatis voto ſe obſtrinxiſſet. Ecce bona, quæ magno apud Deum in pretio ſunt, non tranſitoria, non corporea, ſed ſupernaturalia, ſed æterna. O ſi tu quoque idem judicium ferres! enimvero non toties erraſſes hactenus, nec jam rebus caducis ita tenaciter adhæreres. Opta demum eſſe bonus rerum æſtimator & judex. Roga Deum, tibi det oculos fidei, qui res humanas exuant ſpecie externa & dic cum Propheta. *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in mortem.* Attende inſuper, quanto honore fuit affectus Joſeph, cum electus eſt in ſponſum Mariæ, quæ ut ſponſa non debebat ullum alium amore proſequi, quàm ſponſum & uti ſanctiſſima non poterat inter res creatas amare, niſi ſanctiſſimam. Gratulare ſancto Joſepho, quòd favore prorſus ſingulari cuſtos ſit Virginis & Jeſu, ac particeps myſterii incarnationis. Hunc roga, ut te ſub ſua tutela recipiat, gratiamque impetret tibi, quâ poſſis verus eſſe ſervus Mariæ cujus ipſe factus eſt ſponſus & caput, placeasque Jeſu, cujus tuendæ ſaluti libenter impendet labores & ſudores ſuos.

Tertio. Conſidera, ut ſanctiſſima Virgo tradita Joſepho in matrimonium, & domum deducta ardentioribus precibus Deum ſolicitarit, ut mundo mitteret redemptorem; quòd ſi ipſa dum in templo ſerviret, perpetuo cœlum urgebat, ubi ſuam domunculam attigit, dedit ſe exercitio virtutis eximiæ ſummæque ſanctitatis, quò ſe dignam præſtaret, quæ Deiparæ famularetur. Vide profundiſſimam humilitatem Virginis; Vide amorem, quo Deum proſequebatur; Ze-

lum,

lum,quo ferebatur erga gloriam divinam; vide proximi dilectionem ejusque ſalutis curam ſingularem, quibus impulſa ut aurea corona ſic ferventibus deſideriis ſine mora Verbum invitabat,ne ſuum in terras adventum ulterius retardaret. Quantum tibi debent mortales omnes, Virgo ſanctiſſima, quod tam ſollicitè ipſorum ſaluti ſtudueris? quàm gratæ Deo fuerunt preces tuæ? quàm efficaciter illum moverant ad incarnationem non amplius differendam,ſed quantocyus accelerandam? quibus gaudiis exulto,quòd tanta apud *D*eum gratia polleres! Hæc eſt verá gloria, glorioſum eſſe coram Deo. Quantum hîc te debes verè deprimere,cum non ignores, quàm gravia ſint apud Deum ſcelera tua. Recurre ad preces potentiſſimas virginis,eamque roga,ut quemadmodum efficaciter Deum pertraxit in terras, ita eundem in tuo corde ſtabiliat,qui ſcintillam amoris divini accendat in te,deque eo Zelo inflammet,quo ipſa erga Deum & proximum vehementer ardebat,nec dubites,quin experturus ſis efficaces preces eſſe,quas pro te Dei mater fundet ad filium.

X. Decembris.

MEDITATIO XIV.

Angelus Gabriel mittitur à Deo ad Virginem Mariam.

P*Unctum primum.* Deus ardentiſſimis precibus Virginis invitatus, & enixe rogatus, ne ulterius differret incarnationem,legavit Archangelum Gabrielem ad Virginem Mariam,ita ut Deus *recordatus miſericordiæ ſuæ* det initium operi ineffabili,Pater æternus aperiat viſcera miſericordiæ ſuæ,filius paratus ſit cum naturâ noſtrâ copulari,Spiritus ſanctus ſtet in procinctu, ut ſanctiſſimam humanitatem ipſe efformet amoris

moris exceſſu, mittitur in terrā Archangelus Gabriel, poſtulaturus à Maria, num velit Deiparæ dignitatem acceptare? Vide, Deum eſſe authorem tanti beneficii, quantum eſt incarnatio; & verò quæ vis trahere Deum potuiſſet in terram, quæ manus unire duo extrema tanto intervallo inter ſe disſita, qualia ſunt natura humana & divina, niſi omnipotentia divina? Gratias igitur repende, ô anima mea, infinitæ bonitati, quam ſtudioſisſimè poteris; agnoſce ſimul Deum non tantùm authorem beneficii adeo ſingularis, ſed cujuſcumque alterius boni, quo deinceps frueris. Quid habes à te, præterquam nihilum! quid potes ex te? nihil profectò. *Sine me nihil poteſtis facere*, dicit Dominus. Ex te nihil potes facere tuæ ſaluti accommodatum, ab eo debes excitari ad operandum: Quare quotiescunque ſe dabit occaſio, aſſueſce his verbis alloqui Deum: O Domine, ego nihil poſſum ſine te, nihil cogitare, nihil amare, niſi tu primus mihi de cœlo tuam gratiam ſubminiſtres; & roga Deum, ut hanc continuam ab ipſo dependentiam tuam penitus comprehendas, nec unquam inani gloria & vana tui præſumptione intumeſcas.

Secundum. Angelus ingreſſus eſt cubiculum Virginis, nihil de ſe loquens, ſed derepente illum ſalutavit, & dixit, *Ave gratia plena.* Vide primum reverentiam, quam Angelus exhibuit Mariæ, at primum ad ejus conſpectum venit, agnoſcens ſublimem favoris gradum, quem apud Deum Virgo teneret, & ſummi momenti negotium, quod nomine ſupremi rerum omnium conditoris tractaturus venerat. Ah, quantus pudor te manet, ſi attendis quam parum reverenter Virginem & Deum alloquaris! Attende præterea, quomodo Angelus licet inter cœleſtes ſpiritus primum locum teneret, ſuam tamen dignitatem non prodit, non in ſuas, ſed in Virginis laudes excurrit. Magnam

certe

certe angelus tibi exemplum præbet, verbis non efferendi res tuas, nec proximi laudes premendi ſilentio quantum tu illi diſſimilis, ſi tuos ſermones examinas? non te verba deficiunt, cum potes res tuas laudibus proſequi; venaris apud homines exiſtimationem nominis tui: quod ſi modeſte de te loqueris, ea eſt artificioſa modeſtia quò majorem apud homines exiſtimationem acquiras, dum parcè admodum & avarè proximum laudas. Agnoſce coram Deo imperfectionem hanc tuam, & emendationem decerne. Inſuper angelus Virginem declarat gratiâ plenam. O gratam, O acceptam ſalutationem, quòd ſit plena gratiæ! Non eam laudat à parentum nobilitate, à donis naturæ ſed à plenitudine gratiæ, quâ præ omnibus creaturis Deo perfectiſſimè placuit. At quare plenum eſt cor tuum? non quidem certe gratiâ, ſed peccatis, ſed affectibus animi malè compoſitis. Erubeſce coram Deo: gratulare Virgini hujuſcemodi gratiæ plenitudinem, cumque ipſe gratiarum inopia labores, recurre ad illam, ut te ſuarum divitiarum participem faciat, tibique obtineat gratiam, quâ deinceps in pretio habeas bona ſupernaturalia & gratiam, & diligentiſſime ſtudeas tibi illam comparare, comparatam conſervare, conſervatam multiplicare.

Tertium. Subjungit Angelus. *Dominus tecum*, O felix conſortium! quid enim felicitatis non poſſidebat, quæ Deum habebat mente & cogitatione præſentem, voluntate vero & ardenti cordis affectu conjunctum? ſecum illum habebat & ſemper habuerat, ſemperque peculiari prærogativa ſecum erat habitura. O ſi te colligeres, & ſtatum animæ tuæ attenta mente perpenderes! Certus es, te à gratia Dei excidiſſe, & neſcis utrum cum illo redieris in gratiam. Non dubitas, quin indomitas patiaris cupiditates & animi motus malè compoſitos. Tot miſerias dole ſaltem,

 & luge

& luge coram *D*eo, opta ut tecum habitet *D*eus. Gratulare Virgini, quòd cum ſemper, tum maximè id temporis habuerit ſecum, æternum quidem Patrem, qui ipſam conſtituat matrem æterni filii ſui, filium verò, qui ex ea temporaliter naſcatur, & Spiritum Sanctum qui in ejuſdem viſceribus Chriſti corpus efformet. Roga illam, ut tibi impetret *D*ei adventum in animam tuam, ut inde exeat nunquam. Inſuper Virginem vocat benedictam præ omnibus mulieribus, utpote ex omnibus electam, ut eſſet *D*ei mater atque adeo ut eſſet maxima inter omnes puras creaturas, *D*eo duntaxat minor, ac propterea oculis Dei gratiſſima. Recurre ad Virginem ſanctiſſimam, ut te vocet in partem ſuorum bonorum, utque illa deletura erat maledictionem, quam nobis Eva pepererat, ita eandem roga, ut tibi impetret benedictionem, quæ cauſa eſt bonorum omnium.

XI. Decembris.

MEDITATIO XV.

Quomodo Virgo ſe geſſit cum Angelo.

P*Unctum primum*. Cum Virgo audiſſet, quæ ſibi ab Angelo dicebantur, turbata eſt & ſecum mente reputabat, quorſum hæ laudes quibus ornabatur. Vide, quibus turbetur Virgo: Aſpectu Angeli? nullatenus; neque enim novum illi erat & inſolitum, tractare cum beatis mentibus, quæ frequenter ad illam haud dubie adibant: ſed turbatur ſuis laudibus inſolitis, non lectis non auditis ante hunc diem; turbatur honore extraordinario & reverentia peculiari quam ſibi exhibet Angelus? modeſtisſime illa de ſe ſentiebat, in mentem ipſi non venit ſuorum meritorum: turbatur novo modo encomii maximè inexpectato. Tacet præ modeſtiâ, ſe colligit, ut ſecum meditetur, quid reſpondeat. O quam bo-

na eſt iſta turbatio, quæ non perturbat illi animam, non illam extollit vanâ gloriâ, ſed declarat, quanta ſit ipſius modeſtia & verecundia, cum ab omni ſua laude prorſus abhorret. O quàm longe abſum ab imitatione Virginis! Turbor, cum aliquid in me ab aliis non probatur; extollor cum laudor; & tamen ſi me noſſem, deberem potius timere & horrere ad laudes meas, quàm delectari mihique blandiri. Miſerum me! turbatur virgo ad laudes iſtas, quànquam ſuis meritis debitas, quanquam poſſet illas admittere ſine crimine utpote relatas ad Deum, & ego, qui conſto totus ex peccatis, imperfectionibus & paſſionibus, ſum maxime amans laudum mearum, & tantum abeſt, ut meis laudibus erubeſcam, ut eas libenter audiam & ſolerter procurem, & iniquo animo feram, ſi mihi ſubtrahantur. O Virgo ſanctisſima, ſimilem de me ſenſum imprime menti meæ.

Secundum. Cum Angelus videret turbari Virginem, hortatus eſt ipſam, ut bono eſſet animo, & timorem omitteret, ratione allata *Inveniſti enim gratiam apud Deum.* Nihil eſt, quòd timeas, Maria, quia tibi favit Deus, te amavit, te pluribus gratiis ornavit, teque ab æterno ſibi charam deſtinavit in matrem filii ſui, ac præ omnibus cræaturis cœleſtium donorum abundantia locupletavit. Quàm verè id dixit Angelus! quid enim timere poteſt, qui Deo charus eſt, qui Dei beneficia & favores colligit? ſi tanti ſit benevolentia principis terreſtris, quæ felicitas, gaudere gratiâ divinâ? O ſi tu illâ dignus exiſteres! certe ſceleribus tuis & ingratitudine te divinis favoribus indignum præbuiſti. Quantum debes erubeſcere, quòd ardentius creaturarum, quam Dei gratiam tibi conciliare ſtudueris? Statue, in poſterum omnibus aliis præferre gratiam divinam. Gratulare Virgini divinos favores; Roga illam impenſè, ut te ſuarum mi-

ſericordiarum participem faciat,& à filio ſuo tibi gratiam impetret: tantus ſiquidem reipſa es, quantus es in æſtimatione Dei.

Tertium. Conſidera in particulari,qualis futurus ſit filius naſciturus ex virgine,cui ſubjungit Angelus. *Ecce concipies in utero & paries filium.* Cujus nomen erit Jeſu; id eſt,Salvator & nomine & rei erit abſolutè magnus,quia Deus erit ſimul & homo,Mediator,rex,legislator,judex,& erit filius altiſſimi,non filius adoptivus,ſed naturalis; regnabit in domo Jacob,ſpiritualiter in anima in æternum. Gratulaberis Virgini, quòd tanti filii futura ſit mater: Adorabis prolem ex eâ naſcituram,mente expendes qualis & quantus futurus ſit filius,hunc amabis,hunc rogabis,ut dignetur eſſe Salvator tuus,ſæpius dicendo ex corde. *O bone Jeſu,eſto mihi Jeſus,& ſalva me.* Optabis eſſe ipſius ſubditus, eumque rogabis,ut regnare velit in anima tua,& è regno ſuo,quod eſt cor tuum, pellat omnes indomitas atque effrænatas cupiditates quæ hactenus in te regnarunt, & quibus ſponte te ſubjeciſti & mancipaſti, dicens cum Sancto Bernardo; *Veni Domine Jeſu aufer ſcandala de regno tuo,quod eſt anima mea* ut regnes tu Hom. 4. ſuper miſſus eſt; idque non ad tempus,non aliquoties tantum, ſed ſemper , hic & in totâ æternitate.

XII. Decembris.

MEDITATIO XVI.

Reſponſum Virginis ad Angelum.

PUnctum primum. Conſidera,majorem oriri debuiſſe in Virgine turbationem, poſtquam intellexit ab angelo,quod conceptura eſſet Filium Dei,cujus regnũ nullis temporum terminis clauderetur: maternus ſiquidem ſtatus emiſſo perpetuæ Virginitatis voto repugnabat,matris Dei dignitas contraria erat ejus modeſtiæ,& gignere filium qui potiturus eſſet imperio, non bene con-

congruere videbatur cum vita ſolitaria,& quieta,quam privatim agere meditabatur; attamen ſe totam divinæ voluntati permittit,& quærit duntaxat, *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* ſicque expoſuit votum à ſe emiſſum, quod maternæ fœcunditati adverſabatur,expectans ſibi divinum imperium & voluntatem declarari. Quantus hîc elucet amor puritatis in Virgine, quam illa ſibi ſervatam voluit! tametſi ſibi dignitas prope infinita matris Dei deferretur. O ſi tu in conſervanda tui cordis puritate haberes aliquid ex ea ſollicitudine, quam præ ſe fert Virgo in conſervanda ſua virginitate? quantum tibi erubeſcendum eſt,ſi annos,ſi affectus, ſi opera, ſi cogitationes tuas reflexa mente perpendas. O Virgo ſanctiſſima, hanc mihi gratiam concede,qua meos ſaltem errores præteritos plangam,& te inpoſterum imiter,cum amor virginitatis adeo non obſuit,ut Dei mater eſſes,ut potius electa fueris in matrem Dei, quod virginitatem ſummè dilexeris. Vide præterea,cùm quâ modeſtia loquitur de rebus, quæ videbantur puritati repugnare. Hinc diſce,vel minimam in tuis colloquiis immodeſtiæ ſpeciem devitare. Propone pro tua erga virginem reverentia deinceps ita te gerere.

Secundum. Expende reſponſum angeli qui Virgini confirmat fore,ut nihil omnino patiatur virginitas; filius ſiquidem quem concipiet, non habebit patrem terrenum, ſed modo prorſus ſublimi, Spiritus Sanctus,qui totus eſt amor,formabit corpus, creabit animam, eaque uniet Verbo, cum nihil ſuperet potentiam DEI, qui fideliſſime implet, quod promiſit. Vide quàm aptè DEUS diſpoſuit, ut Verbum æternum carnem humanam aſſumpturum, illam aſſumeret novo modo, ut ſi caro humana illud indicaret eſſe hominem, modus quo illam aſſumpſit, hoc eſt,virtute Spiritus Sancti, oſtenderet eſſe pariter

Deum, non autem hominem merum. Gaudebis unà cum Virgine, in qua Spiritus Sanctus hoc myſterium operabatur. O ſi te dignum exhiberes, in cujus anima deinceps Deus operaretur ſolus beneficio ſuarũ inſpirationum! Solus Deus veniret in partem eorũ, quæ facis, non voluptas, non ſenſus, non reſpectus humanus, non amor proprius, ut hactenus accidit tibi! Roga beatisſimam Virginem, ut tibi hanc gratiam obtineat. Attende inſuper, quomodo ad vocem angeli Virgo clarè cognovit omnipotentiam divinam, diſtinctè advertit hanc eſſe ſupernam voluntatem, ut Virgo ſimul & mater remaneret, libenter conſenſum præbuit filio, qui ipſam invitabat; patri æterno, qui eandem aſſumebat in ſponſam, & Spiritui Sancto, qui in eâ ſuum templum conſtituebat: Quis illud capere poteſt? gratulare Virgini tantum bonum, hanc roga, ut pro communi totius humani generis bono acceptet, quod ipſi à tribus perſonis divinis offertur, ſic tua quoque mater evadet.

Tertium. Conſidera, quomodo Virgo exoptans reſpondere ſanctiſſimæ Trinitati & Angeli invitantis legationi, acceptavit eſſe mater, & dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum.* O ſi quis poſſet nunc penetrare cor Virginis! quomodo hunc conſenſum comitata eſt, cum profunda humilitate, cum fide viva, cum ardente charitate cum omnimoda ſuæ voluntatis abnegatione, cum perfecto zelo parendi in omnibus divinæ voluntati, cum ſummo amore erga homines, qui hanc horam avidisſimè expectabant. Non ore tenus ſe nuncupavit ancillam Domini, ut ego toties in orationibus meis, labiis potius, quàm corde teſtificor, me eſſe ſervum Dei; ſed illa hoc dixit ex intimo cordis affectu, ita ut nulla unquam pura creatura ſimilia verba protulerit, cum animi ſenſu majore, & qui magis cum divina majeſtate & vilitate

crea-

creaturæ congrueret. O Maria ſanctisſima! voluiſti ſcilicet dicere, te ex omnibus creaturis eſſe longè vilisſimam, teque ita profundè Deo ſummiſiſti, ut nulla unquam creatura ſe profundiùs ſummiſerit, ſicque inter omnes creaturas fuiſti omnium maxima, quæ te omnium minimam reputabas. Agnoſco in vilisſima hac de te ipſa exiſtimatione amplitudinem tuam, & in iſta amplitudine vilisſimam de te ipſa exiſtimationem ſatis admirari non poſſum. Attende, anima mea, quæ ſit odorum fragrantia, quæ Verbum trahit in terras, quinam ſint actus illi, qui diſpoſuerunt & præpararunt Virginem, ut eſſet mater Filii Dei, ut eum reciperet, & prius in mente, quam in corpore conciperet. O ſi in corde tuo extarent veſtigia hujuſcemodi virtutum, quàm libenter *D*eus inviſeret animam tuam? Recurre ad Virginem, ut tibi impetret gratiam, quâ demiſſe de te ſentias ex animo, & te totum divinæ voluntati committas; hanc roga, ut tibi obtineat gratiam, quâ ſis Dei ſervus, non verbo, ſed opere; neque enim ſufficit dicere; *Domine, Domine*, ut cœlo potiamur, ſed opus eſt addere opera, & divinis præceptis parere, ſummæ inprimis gloriæ ducendo, cum Sancto Paulo Jeſu mancipiis annumerari.

XIII. Decembris.

MEDITATIO XVII.

Incarnatur Verbum æternum.

P*Unctum primum.* Ut primum Virgo ſuum conſenſum præbuit, Spiritus Sanctus ex puriſſimo ipſius ſanguine formavit corpuſculum perfectisſimum & delicatisſimum, & eodem temporis puncto creavit animam, eamque in corpus infudit, ſimulque tam corpus quam animam perſonæ Verbi univit, unde extitit Jeſus, homo & Deus, verus filius æterni patris, & verus filius Virginis, dignus, qui in cœlo & in terris honore-

tur. Adorabis ſanctiſſimam Trinitatem, à quâ profectum eſt opus tam admirabile; divinam quidem ſapientiam, quòd illud invenerit; Infinitam bonitatem, quòd illud voluerit; & omnipotentiam, quòd illud executioni mandarit. Erubeſces, quòd *D*eus te ita dilexerit, & tanti te fecerit, ut tuâ causâ peregerit opus, quod omnium operum admirabilitatem ſuperat, & coram illo, toto corde proſtratus, hæc dices. Igitur, *D*omine, decreviſti hoc opus propter me? Igitur hujus operis fructum direxiſti ad utilitatem meam? jam certe inficiari non poſſum, quin opere tam illuſtri tuum erga me ſummum amorem apertè mihi declares. Ah, quantum ingratus ero, ſi tibi reſiſtam! Ergo impendis potentiam tuam pro ſalute meâ, & ego miſer nihil prorſus ago pro te? Erubeſcam coram *D*omino, & ſumam animos deinceps ad teſtandum operibus meis, quid pro tot beneficiis mihi collatis debeam *D*eo.

Secundum Punctum. Conſidera felicitatem, quam iſta ſanctiſſima humanitas nacta eſt, cum unita fuit perſonæ Verbi, atque ad tantam dignitatem evecta, ut eodem, quo ipſe *D*eus, cultu donetur, & tam ſtricta & intima unio intercedat, ut nulla vi, nulloque tempore ſit diſſolvenda. Poterit quidem à morte ſeparari corpus ab animâ, ſed corpus non ſecus ac anima unientur ſemper perſonæ Verbi. Gratulare ſanctiſſimæ humanitati quòd electa & prædeſtinata fuerit ad iſtam unionem. Gaudebis, quòd illa *D*eo placuerit, eamque reverenter adorabis. Lætaberis inſuper, quòd tam ſtrictè uniatur cum Verbo, ut nunquam ab eo ſit ſeparanda. Recogitabis, quàm magnum bonum ſit, uniri cum *D*eo, & optabis per gratiam & amorem illi conjungi. Erubeſces, attendens quàm ſæpe diſcedas à *D*eo, & quoties *D*eo præbeas occaſionem te deſerendi & tamen quanta miſeria eſt, non uniri

illi

illi per gratiam? rogabis veniam de erroribus præteritis, recurres ad hanc ſanctiſſimam humanitatem, eamque obteſtaberis per ſacram unionem, qua inſeparabiliter unita fuit Verbo, ut tibi miſericorditer indulgeat gratiam, qua nunquam à *D*eo diſcedas, ſed omni ope contendas conſequi ſtabilitatem, amando virtutem, proximum & *D*eum.

Tertium Punctum. Conſidera, quòd ſicut in incarnatione humanitas Chriſti, ad ſummum dignitatis gradum fuit evecta, ita Verbum æternum ad ſummam humiliationem ſe depreſſit, adeo ut Eccleſia nunquam pronunciet hæc verba, *Et Verbum caro factum eſt*, quin ea ſignis reverentiæ comitetur, ut nobis Verbi æterni humiliationem declaret. Et quam humiliationem? *Exinanivit*, dicit Sanctus Paulus, ſeſe ad nihilum redegit, dum divinitas naſcitur ſub velo humanitatis, atque ita ſe gerit, ac ſi unus eſſet ex hominibus, non autem *D*eus. Adorabis hunc Dominum, humiliatum propter te. *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis uterum.* Tanto ardentius illum amabis, illi ſervies, illi ſtudebis gratificari, quantò humilius ille ſe depreſſit pro ſalute tua, formam ſervi accipiens. Indues ſenſum ſancti Bernardi, qui Serm. 1. de Epiph. dicebat. *Quantò pro me vilior, tantò mihi charior.* Simulque erubeſces ad tam inſolitum exemplum, dum tu pulvis, tu cinis, tu lutum, tu qui totus conſtas ex peccatis, tam altos ſpiritus geris, & tui contemptum fugis, cum tamen non deſint tibi tot occaſiones vilisſimè de te ſentiendi, ſi ſpectas nihilum tuum, peccata, imperfectiones & ingratitudines tuas. Induces animum, ad imitationem Jeſu te deprimere ex animo & ſyncerè, non ore tenùs, nec non acceptare patienter humiliationes, quas tibi Deus mittit, ut veſtes & inſignia, quibus pro te ipſe ſe induit.

XIV. Decembris.

MEDITATIO XVIII.

Affectus trium divinarum perſonarum in- carnatione.

PRimo. Conſidera, quomodo Pater æternus gaviſus eſt, ubi vidit ad exitum perductum hoc opus, quod ab æterno decreverat, quod tamdiu promiſſum diſtulerat, atque humani generis ſaluti tantopere expedire judicabat. Si artifex ſibi ipſe blanditur, quando ſumma arte perfecit egregium aliquod opus, quod ſpectantium admirationem concitabit ſibique maximam laudem pariet: Quis poteſt mente complecti lætitiam ſingularem, quam Pater æternus percepit, videndo ſe ad finem perduxiſſe omnium, quæ ipſe facere poterat, operum longè maximum ex quo laus æterna in authorem redundabat? Eſt verum, Pater æterne, quòd ita nos amaris, quòd filium tuum dederis nobis: & quibus dediſti, & quo fine? Mihi videor me audire te dicentem, *delicia mea eſſe cum filiis hominum.* Licet filius tuus tibi ſit charior mundo univerſo, tamen gaudes hoc dono quantumvis immeritis collato. Vide, qua re delectetur Pater æternus, nempe tibi bene facere, tibi dare perſonam filii, ſuam ipſam eſſentiam: & tuæ ubi ſunt deliciæ? delectarisne operari eo modo, quem ſcis eſſe acceptum Deo? placentne tibi actiones illæ, in quibus ſpectas majorem Dei gloriam? vel potius declinas à fine tam nobili, & mavis ſatisfacere tuo ſenſui, tuæ inclinationi, tuæ ambitioni & deſideriis creaturarum? pudeat te horum, & Patrem æternum obteſtare per amorem, quo de incarnatione executioni mandatâ lætatus eſt, tibi largiatur gratiam, qua inpoſterum poſſis illum amare & obſequiis demereri.

Secundo. Conſidera quantam voluptatem perceperis

ceperis Verbum æternum, ubi vidit ſibi unitam eſſe naturam humanam. Quis potuiſſet hanc lætitiam cogitatione aſſequi, quando ſeipſum in majeſtate ſua ſinuque Patris intuebatur? *Et Deus erat Verbum*, & mox ſe ad noſtram vilitatem demiſſum advertebat, *In ſimilitudinem hominum factus*, veſte noſtra indutus, ſimilis nobis, totus nobis datus, totus factus noſter, & factus quaſi unus ex nobis. Quibus flammis amoris haud dubie ardebat, qui ſe intuebatur ut parentem & mediatorem noſtrum, tamq; ſtricto vinculo nobiſcum conjunctum, ut nunquam à noſtra humanitate diſſociandus eſſet? Et verò dum complacet ſibi, non ſpectat utilitatem ſuam, ſed noſtram, nihil aliud ſibi proponit præterquam hominum ſalutem: quantum igitur illi debes? quod genus vitæ ineundum tibi eſſet? Num deberes inpoſterum ducere vitam congruentem illi, qui affinitatem habet cum Deo? Nonne rationi conſentaneum foret, ut deinceps in omnibus tuis actionibus ſtuderes arctiùs conjungi cum Verbo æterno, gloriam ipſius promovendo & ad ejus exemplum procurando proximi bonum, cujus ædificationi conſuleres? & tamen te ipſe collige, & diligenter attende, quò ſpectant omnes cogitationes tuæ, quò ſpectant affectus? quid agis? quid quæris? ad quem exitum properas? & utrum quod te minus urget, ſit voluntati divinæ ſervire? Pudor de præterito, & emendationis propoſitum.

Tertio. Conſidera, non minorem fuiſſe voluptatem quâ Spiritum Sanctum affecit hoc opus, quod illi, utpote opus amoris, præſertim adſcribitur. Initio mundi probavit laudavitque quæ facta erant, *& erant valde bona*. Gen. 1. Quale fuit judicium, cum vidit opus tam ſublime, quale eſt iſtud, in quo idem eſt Deus & homo, quod conſtant ex Deo, cujus pars eſt ipſemet Deus? Quæ voluptas, formaſſe hominem, ſupra quem ipſe

requi-

requieſceret,& ſuas gratias effunderet? Certe jure dici poteſt: *Non eſt factum tale opus*, quod beatas mentes tenebit per totam æternitatem admiratione ſuſpenſas. O ſi tibi eſſet intellectus, quo caperes, vel potius voluntas, qua amares hoc opus, hunc Chriſtum, hunc Deum ſimul & hominem, in quo ſibi tota Trinitas complacet! Et in quo melius poſſum ego collocare amores meos? Tibi pleniùs ſatisfacere deſideriis meis? ubi ſecurius quieſcere? ſingulares habebis gratias Spiritui Sancto, quòd tanta & tam ſublimi modo tuâ cauſâ præſtiterit. Hunc rogabis, tibi concedat gratiam, qua illum cognoſcas & ames, atq; in poſterum ejus gloriam promoveas, non retardes, ut hactenus feciſti.

XV. Decembris.

MEDITATIO XIX.

Affectus Virginis in incarnatione.

P*Unctum primum*. Ut Virgo advertit in ſe eſſe adimpletum, quod Angelus ipſi prædixerat, matrem ſe eſſe & Virginem, fœcundam à Deo, & parentem filii, qui non agnoſcebat patrem in terris, tota divino amore liquefacta eſt; agnoſcebat ſcilicet in ſe illud Jſaiæ comprobari. *Ecce Virgo concipiet*, & quæ paulò ante ſe infra omnes creaturas depreſſerat, videbat ſe evehi ad dignitatem matris, tam arctè conjunctæ cum Chriſto, ſuumque ſanguinem Filio *Dei* communicari. Quibus lætitiis exultabat, qua voluptate geſtiebat cum ſe àb æterno Verbo cerneret habitari? ut potiori jure dicebat cum Sancto Davide. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*? Ut reſpondebat cum altero Prophetâ. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo?* poterat illa quidem certe dicere, Jeſum eſſe ſuum. O ſi tu poſſes hujuſce

Iuſce pietatis ſenſu tangi tantiſper, quando Deum in tuo corde complecteris! non eoſdem in te producit effectus, quia licet idem ſit Deus, non eandem in te reperit diſpoſitionem, puritatem & dilectionem. Stude pudore ſuffundi coram Deo. Gratulare Virgini felicitatem, quâ gaudet, illam obteſtare per ſingularem illam animi lætitiam, qua tunc temporis geſtivit, ut tibi à filio ſuo impetret gratiam, quâ tu quoque in eo colloces gaudium tuum, dignusque efficiaris, qui Dei tui in tuum pectus ſubeuntis præſentia recreeris.

Punctum Secundum. Virgo in hoc inſtanti cognoſcens clariùs omni aliâ creaturâ excellentiam divinam, & humanitatem, quæ inerat filio ſuo, ſeſe ad illum tota convertit, illum adoravit, ſe illi ut Domino & Deo ſuo ex intimo cordis affectu ſubjecit, eumque ardentiſſimè dilexit. Quantus honor redundavit in filium ex actu ſummisſionis maternæ! quam magnificè tum primum iſte ingrediens hunc mundum exceptus eſt amore tam perfecto! Gaudebis, quòd Virgo ſanctisſima in ſuo florido ſinu pacificum Salomonem excipiat. Jure poterat Jeſus dicere, *Lectus noſter floridus.* Cant. 1. requieſcens inter ferventisſimos affectus adorationis, humilitatis & charitatis, quæ maximè ardentium Seraphinorum flammas facile ſuperabat. Quam diverſum hoſpitium præbet illi cor tuum, quando te viſitare dignatur? Quis contrà languor! quis tepor: quod & quantæ indomitæ cupiditates? ſaltem noſſes vilitatem tuam, & quam indignè te geris cum Deo, non ignorares; ſaltem ad iſtud exemplum tuos mores emendares. Recurre ad Virginem, ut te participem faciat affectuum quibus ſuum Deum & filium tunc primùm in mundum venientem complexa eſt.

Tertium Punctum. Conſidera, quomodo Virgo ob ſuam omnem dignitatem acceptam filio, quem geſtabat in utero, ex toto ardentisſimi cordis affectu

gra-

gratias egit, quòd ipſam ſibi elegiſſet in parentem, quod tot gratiis præveniſſet, quòd tot cœleſtibus donis ornaſſet, ut Dei mater eſſe mereretur, quod denique tam magna, tam ſublimia fuiſſet operatus. Ecce gratitudo ſanctisſimæ Virginis. O laudes! O encomia, quibus Deum continuo celebrabat! Æquitas certe poſtulat, ut tu etiam in iſto Virginem imiteris. Continuò recipis, & tum rarò gratias agis Deo tuo, qui te ſingulis momentis cumulat beneficiis ingentibus, par eſſet, ut cum *D*eus de te ſemper bene mereatur, tu quoque ſemper de te bene merenti reſponderes. Miſerum te! qui tam ingratus es erga Deum; Eſt tibi quidem linguæ facundia qua creaturæ de te bene meritæ gratias rependas; at cum tibi beneficium divina benignitas contulit, memoria non vales, ut gratiæ acceptæ recorderis; quod ſi quando gratias habes, quàm frigidè id facis? Erubeſce, & diſce ex Virgine ſanctisſimâ, agnoſcere Deum ut bonorum omnium authorem, ac publice teſtari gratitudinem animi tui. Non ſatis fuit Virgini, gratias agere benefactori, niſi prolixo animo ſe totam offerret filio ſuo, ut ejus voluntatem exequatur, ut illi non ſolum matris, ſed villisſimæ ancillæ obſequium præbeat. Ut illi adſit in omnib. rebus, quantumvis abjectis & laborioſis, uno verbo, ut ſe totam ſuper impendat ejus cauſâ. O ſingularem Virginis diligentiam! quantum illa tuam negligentiam coarguit! Ego contrà, dico me velle *D*eo ſervire ſed non in omnibus, non *à dextris & ſiniſtris*. Sed commodo meo, ſed non cum jactura vel detrimento rei meæ. Impetra mihi quæſo, ô *D*omina mea, conſilium & propoſitum tuum, quo à *D*ei voluntate, ejuſque obſequio non diſcedam.

XVI. De-

XVI. Decembris.

MEDITATIO XX.

Affectus Angelorum in incarnatione.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo ubi impletum fuit incarnationis myſterium, æternus Pater revelavit angelis tantum opus, adventum ſcilicet primogeniti ſui in mundum, voluitque, ut omnes illum adorarent. *Dixit, & adorent eum omnes angeli ejus.* Ad Hebræos 1. Vide, quantum expediret, ut Pater æternus beatos Spiritus ſollicitaret, ut filium ſuum in ſtatu humilitatis adorarent, qui eum in ſtatu gloriæ adorare non ceſſant. Adeo ſollicitus eſt Deus exaltare illum, qui ipſius cauſa ſe deprimit, & contrà deprimere ſuperbum, qui cæteris inani oſtentatione ſe præfert. Ergo vera ratio perveniendi ad gloriam, eſt gloriæ contemptus pro Deo. Quàm parùm capis hanc veritatem, & quam adhuc minus illam redigis in praxim, dum quæris honorem & tui nominis exiſtimationem apud homines, etiam cum virtutis & divini obſequii detrimento? collige te, expende, quomodo hîc te geras in particulari; certe non deerit tibi occaſio pudoris; opus tibi eſt emendatione: Quid egerunt Angeli ad hoc præceptum? obſtupuerunt haud dubiè: quàm reverenter adorarunt humiliatum in ventre virginali, quem in ſinu Patris admirabantur infinita majeſtate circumdatum; nec contenti ipſum adoraſſe, deſcenderunt è cœlis in ſtabulum Nazareth ſibi mutuo cum ſumma alacritate dicentes. *Venite adoremus, & procidamus ante DEUM.* Si ſcires beatos illos Spiritus imitari, qui Verbum divinum humillime reverentur, licet ipſorum causâ non aſſumpſerit naturam humanam! quam graviter in hac re peccas? Offer ſaltem Chriſto actus iſtos.

reve-

reverentiæ, quibus ſuppleas tot irreverentias, quibus hactenus erga illum uſus es.

Punctum Secundum. Conſidera, quàm libenter Angeli viderunt humanitatem noſtram angelicâ naturâ multò inferiorem, ad eam dignitatem extolli, ut perſonæ verbi æterni uniretur, adeoq; idem eſſet & homo & Deus, caputque ac Dominus Angelorum; non inviderunt humanitati tantam dignitatem; non ægrè tulerunt. *Quòd nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehenderet* quodque ope unius hominis ſalvaret genus humanum, ac cœli ruinas reſtauraret, ſed adorarunt hanc ſanctiſſimam humanitatem, huic ſe ſummiſerunt, ſe ejus obſequiis & comitatui addixerunt, ejus cauſâ mortales omnes majori benevolentiâ ſunt complexi, ſeque multò alacriores & promptiores exhibuerunt in iis protegendis, cuſtodiendis, adjuvandis. *Diſce* ab Angelis, lætari de bono proximi, nec alteri, quantumvis tibi ſit inferior, invidere felicitatem, qua cures. O ſi bene noſſet, Deum eſſe Dominum rerum omnium, quas largiri poteſt, cui videtur ſibi, tuumque eſſe lætari, quòd divina voluntas impleatur! procul dubio gauderes alieno bono non minus, quàm tuo. Roga Angelos, ut tibi ſimilem affectum obtineant gratias illis age, quod propter Jeſum te majori benevolentia complectantur, & cumulent beneficiis. Hos cole, quò memorem in bene meritos animum præſtes.

Punctum Tertium Conſidera, delatum fuiſſe ab Angelis nuncium (ita volente Jeſu) incarnationis jam factæ ad animas illas ſanctas, quæ in limbo expectabant ardentibus deſideriis Salvatorem, ut ipſas à regione mortis eductas ad lucem divinitatis perduceret. Vide, Jeſum jam inde ſollicitum ſolari, deſiderantem ſe atque expectantem. Tu quoque num potes anima mea ſperare conſolationem à Jeſu? num verè dicere potes cum Propheta. *Et nunc quæ eſt expecta-*

pectatio mea ? nonne Dominus ? Pſal. 38. num illum ad te trahis affectu , colloquiis vocas, mente & cogitatione præſentem ſiſtis ? vel potius rebus caducis adhuc inhærens tuis propriis commodis & delectationibus ſervis? Cogita, quis jecerit ſenſus animarum in limbo, cum nuncium iſtud ad eas pervenit, quos ſermones habent cum angelis ? quas interrogationes ? quam cupidè inſtant, ut reſciant , quam citò ſolvenda ſint vincula , & è carcere liber exitus futurus in cœlum? Tecum expende , qualia ſint deſideria tua, utrum ſeriò cures exire è carcere paſſionum tuarum? utrum tu quoque aſpires ad viſionem Dei? ſi cupis, ut diſrumpantur catenæ imperfectionum tuarum , ut te aſſeras in libertatem Filiorum Dei? Denique attende obſequia, quæ angeli officioſiſſime obtulerunt Jeſu, ut Regi ſuo nobiles miniſtri, à cujus ſancta Domuncula recedere non volebant : Deſidera tu pariter comitari hos ſanctos Angelos, habere ſemper ſub oculis Filium Dei incarnatum ; offer te, ut ei tribuas honorem & obſequium, ſæpiusque ipſum viſites in utero virginali concluſum.

XVII. Decembris.

MEDITATIO XXI.

De doloribus Chriſti in ſua conceptione.

P*Unctum primum.* Conſidera , quomodo Jeſus in illo primo inſtanti in quo anima illius fuit creata , unita verbo , & in corpus infuſa , reperit ſibi à Patre æterno parata non dona, non honores , non divitias & ſimilia commoda ſanctiſſimi corporis ſui, ſed lachrymas , famem , aſperitates , labores , ſudores , afflictiones , improperia , contemptus ; funes , quibus ligaretur ; flagella,

quibus vapularet; ſpinas, quibus coronaretur; crucem, quâ ſuſpenderetur; vel quo potaretur; derelictionem & mortem æque crudelem atque ignominioſam. O pater æterne, hæc eſt benigna illa & conis acceptio, quâ Chriſti ingreſſum in mundum honoraſti. Primo parenti, qui tuam erat legem tranſgreſſurus, Paradiſum terreſtrem, in quo deliciis indulgeret, in ipſo mundi naſcentis condita præparaſti, & filium tuum, qui peccare non poteſt doloribus reſervas? nec ſolum illi crucem oſtendis, ſed etiam ſignificas, tibi pergratum fore, ſi duræ crucis dolores ſubeat, idque non gratiâ illorum, qui tui nominis gloriam promoverunt, vitamque ſuam generoſe periculis objecerunt, ut tibi imperium conſervarent, ſed pro traditoribus perfidis, qui ſceleribus ſuis nihil non egerunt, ut te, quantum in ipſis erat, in nihilum redigerent. O Deus! Ecquis eſt iſte exceſſus, & quomodo ad iſtud ſpectaculum non totus cohorreſco propter meam incredibilem in peccando temeritatem? quomodo non liqueſio ad flammas ardentiſſimæ illius charitatis? & hæc eſt merces, hoc præmium iniquitatum mearum? & tamen ingratus perſevero: Ecce me ſupplicem & proſtratum ante tribunal tuum. *Aſpice & miſerere mei.*

Secundum. Conſidera, quid Chriſtus egerit ad intuitum crucis ſibi oblatæ. Refugit? forſan tempus poſtulavit ad cogitandum? obtendit amplitudinem ſuam, dignam omni honore & gloria? acceptavit tantùm partem pœnarum? mitigari eas rogavit? expoſuit, inutiles eſſe tot labores, & unicum duntaxat actum ſufficere? aut certe ad ultimum vitæ ſuæ finem dolores reſervavit? *Deus meus volui.* Pſal. 39. Voluntatem ſuam paternæ voluntati ſubjecit, morem geſſit in re adeo ſibi gravi & noxiâ, non habuit rationem corpuſculi ſui & primi inſtantis vitæ ſuæ, omnia libenter

benter admiſit, ita ut ſi opus fuiſſet, exiiſſet è ventre virginali affixus cruci, ut in ea totum vitæ ſuæ tempus tranſigeret, quemadmodum in ea finivit, nihilque omnino recuſavit, ſed cuncta prompto alacrique animo nihil repugnans acceptavit, perinde ac ſi gloriam ſibi & quietem, non infamiam & dolores attuliſſent. Vide Chriſtum paruiſſe tota ſua voluntate & intellectu in iis, quæ ſpectabant ad crucem ſuam, ut ſemper in omnibus voluntatem Patris impleret agnoſcens ut meliùs & congruentius, quod Pater ab ipſo repoſcebat. O ſi ſcires exemplo Chriſti ſacrificare Deo voluntatem tuam teque divinæ voluntati in rebus quantumvis aſperis & ſenſui moleſtis accommodare, & non audire tot excuſationes & rationes quas amor proprius excogitare & approbare ſolet ſub ſpecie vel honoris, vel commoditatis, imò & obſequii divini, ut ſe ſubtrahat ab imperio divino! Tecum reputa, quàm longè abſis ab iſta perfectione, & propone ex hoc inſtanti, quod non erit primum vitæ tuæ, ut fuit Chriſti, ſubjicere voluntatem tuam & libenter acceptare, quæ Deus vult, & eo modo, quo vult.

Tertium punctum. Conſidera, quantum Chriſtus in illo inſtanti paſſus eſt, in quo omnia vitæ ſuæ tormenta ſimul vidit & amplexus eſt ſingula; ita ut obtulerit caput ſpinis, genas alapis, corpus flagellis, laſſitudini, opprobrio & omnibus aliis doloribus in particulari, ſupplens ſua ſapientia defectum experientiæ, quam adhuc non comparaverat, quò graviora pateretur. Hanc ſeveritatem in ſe exercere cœpit, quam non remiſit ad mortem usque, nec prætermiſit ullum temporis momentum, quantumvis exiguum, quantumvis in utero virginali, quo non cogitaret de me, non ſe ultrò offerret pro me, non laboraret pro me, colligens tunc omnes dolores in unum, quos in decurſu vitæ ſeparatim erat toleraturus. O Domi-

ne, numquid tibi parum videbatur, quod humilis mancipii formam accepiſſes, niſi etiam jam tunc dolores accerſeres? Nullum tempus, nullus locus, ætas nulla operationem reſpuit, & quia nec ætas, nec locus, nec tempus externos dolores admittunt, tu ſupples per crucem & acerbos cordis tui dolores. Quid dicam ego? Chriſtus avidiſſimè prævertit tempus dolorum, quos toleraturus pro me eſt, & ego nullam ætatem prætermiſi; quin Deum offenderem, nec hactenus nactus ſum tempus coercendis ſeriò cupiditatibus meis. Quanto pudore ſuffundi debeo, cum agnoſco me ſemper fuiſſe immemorem tui, tardum ad tua conſilia, ſurdum ad tua imperia, cæcum ad tuam doctrinam? Quare amans mei, negligens tui, magni feci, quod tu abominaris, & ſprevi, quod tu magno in pretio habes, & à primo inſtanti es amplexus? ſemper magnus, ut te deſeram, parvus ut tibi ſerviam, quando incipiam? propoſitum &c. colloquium, prout affectus ſuggeret.

XVIII. Decembris.

MEDITATIO XXII.

Jeſus coanguſtatus in utero materno.

P*unctum primum*. Erit, conſiderare, quomodo Jeſus non contentus offerre ſe laboribus continuis, doloribus contumeliis & cruci, voluit vitæ initium ducere incluſus in utero mulieris. Deus dedit Adamo pro domicilio Paradiſum largum, amœnum, amplum & liberum, & ſibi elegit locum anguſtum, obſcurum & cæcum, & quamvis Spiritus Sanctus formavit corpus Chriſti ea organorum & membrorum diſpoſitione ac magnitudine, quæ neceſſaria erat, ut vitæ & animæ humanæ capax eſſet,

Chri-

Chriſtus tamen, quod attinet ad intellectum & cognitionem, fuit æque perfectus in utero matris ac nunc in cœlo eſt. Cui noſtrum, cum ea notitia, quam habemus, intolerabile non foret, vivere iterum per novem menſes in utero matris? quid potius non toleraret, ut talibus miſeriis non ſubjaceret! Qui fuerint dolores Chriſti! pati per novem menſes, cum ea, quâ præditus erat, cognitione obſcuritatem hujus loci, viciniam atque inſtrumenta viſcerum humanorum ac in ſumendo ſuo alimento ſubjici miſeriis iſtis. O quàm verum eſt, Domine, pro te nec diſpenſationem eſſe, nec levamen; Tu nec pondus nec menſuram ſervas in patiendo, niſi eam, quam habes in deſiderio patiendi, teque deprimendi & affligendi. Quî fieri poteſt, ut ſummo pudore non ſuffundar, dum recogito, quanto cum ſtudio refugiam, quicquid moleſtũ eſt, nihilq́; tuâ causâ pati velim? dolor, & propoſitũ imitandi Chriſtum.

Secundum. Conſidera, quòd JESUS novem menſium carcerem declinare noluit, vel tempus illud contrahere; quin potius illud voluit prævertere, & ne unum quidem momentum prætermittere, quod dolori non daret. Alii infantes toto illo tempore non ſolũ carent uſu rationis, ne cum notitia veniat illis ſenſus doloris, ſed etiam anima privantur, & vita per quadraginta dies: His porrò diebus non pepercit *D*eus, eos extra leges naturæ addidit vitæ, ut adderet pœnæ, ita ut nullam partem novem menſium, ne primâ quidem horam vitæ ſuæ abire permiſerit immunẽ à dolore. Miſerum me! quid ad illud exemplum dicam! quomodo non erubeſco, cum non ignorem, me tota vita mea nihil aliud appetere quàm gaudia, commoditates, delicias! muta, domine, hanc meam debilitatẽ & delicatũ agendi modum in robur animi firmumque propoſitum, patienter tolerandi labores exemplo tuo, non vivendi remiſſè, non ſtudendi commoditatibus meis, ut in

poſterum legis tuæ rigorem ampleƈtar, coerceam ſenſus meos, nec ſinam cum offenſâ nominis tui licenter vagari cupiditates meas.

Tertium. Conſidera, quid faceret Chriſtus in illa obſcuritate, privatus luce, in hujus loci anguſtiis contraƈtus & conglobatus, ſine dubio tempus agebat amando, offerendo, patiendo. Amabat me, quem præſentem habebat, ſe offerebat pro me, quem ſalvare cupiebat, patiebatur pro me, quem volebat erudire. O ſi ſcirem viciſſim reſpondere, uniri tecum per amorem, ſummitti tibi per integram & omnimodam meæ voluntatis abnegationem, tibique per imitationem aſſimilari! Jam inde cogitabas venire in ſtomachum meum, ut me paſceres, tantaque voluptate afficiebaris, ſtando intra Virginem, quæ te ferventiſſimo amore compleƈtebatur, ut ſtatueris te collocare ſub ſpeciebus panis, ut rurſus in ejus, & poſtmodum hominum corda deſcenderes. Quem amoris affeƈtum, ô anima mea, producere deberet in te talis cogitatio Jeſu! quod deſiderium accendere, eundi obviam venienti, quam reverentiam excitare in eo recipiendo! quas gratiarum aƈtiones? quas laudes? quas benediƈtiones? ſtude deinceps id præſtare, & præteriti veniam pete.

XIX. Decembris.

MEDITATIO XXIII.

Occupatio JESU in utero Virginis.

PUnƈtum primum. Conſidera, Jeſum ne uno quidem momento temporis otiari, dum cæteri infantes in alvo maternâ tenebris ignorantiæ obvoluti, vel uſu rationis privati nihil operantur. Quis poteſt aſſequi affeƈtus internos, in quos exardebat illa anima, dum mente reflexâ diligenter attendebat, ſe ex nihilo creatam uniri Verbo, tot cœleſtibus gratiis gloriæque

cumu-

cumulo donatam? Quid dictura erat illa anima, quæ ex nihilo ad ſubſiſtentiam Verbi tranſiverat? quam opinionem habebat de duobus iſtis extremis, deque illo tranſitu tunc primum facto, neque in poſterum unquam amplius faciendo? Quibus lætitiis exultaſti, mi Domine, cum te ad tantam amplitudinem evectum vidiſti? Quis illud mente capere, nec dicam verbis aſſequi poteſt? O ſi ego pariter poſſem miſericordias à divina benignitate meo nihilo conceſſas cogitatione complecti! Hei mihi, qui tam parum accuratè eas perpendo, & è perpenſis tam exiguum fructum refero: Tu Domine, qui miſericordias Dei penetraſti, fac ut eas norim, ſed præſertim tu, qui gaudio ſingulari exultaſti, cum te ad tam ſublimis dignitatis gradum vidiſti eſſe electum, benefac animæ meæ, elige me per tuam bonitatem, ut ſim conſtanter tuus, non habeas rationem vilitatis meæ, ſed propter miſericordiam, quam accepiſti, tua in me dona liberali manu profunde.

Secundum. Conſidera affectus, quibus JESUS comitatus eſt eam, quam ipſe habebat de ſua electione notitiam. Quibus ardoribus exarſit ad Deum? quibus encomiis, quibus gratiarum actionibus, quibus benedictionibus, quibus deſideriis gloriæ divinæ, quo zelo honoris paterni? Quod ſi dum viveret auditus eſt in has voces erumpere, modò, *Confiteor tibi pater*; modò, Pater, gratias ago tibi: quales gratiarum actiones JESUS in utero matris incluſus egit Patri ſuo? quàm acceptas, quàm gratas? O nobiliſſimum exercitium: O ſuaviſſimum planè colloquium: O ſi pariter ego JESUM imitarer: forte mihi deeſt occaſio repetendi continuò & ſingulis momentis, *Gratias tibi ago*: Attamen beneficiorum Dei non recordor, jejunè admodum gratias rependo illi, qui ſuis beneficiis cir-

cumquaque me cumulat, ſuisque benedictionibus plenâ manu continuò me coronat, quantum verecundabor, ſi recogitem annos meos! ſollicitum tenet animum meum & vigilem leve aliquod beneficium, quod mihi contulit creatura, & cor meum divinis ex omni parte beneficiis cumulatum, iis non tangitur, ut verum debitæ gratitudinis affectum rite concipiat. En Pater æterne, quas tibi Jeſus egit gratiarum actiones, loco illarum quas tibi agere toties omiſi & tu Jeſu, qui in tam ſancto exercitio occupabare, accende in me ardens deſiderium te imitandi inpoſterum, cum hactenus mei officii parum memor extiterim.

Tertium. Conſidera affectum, quo Jeſus erga homines, & in particulari erga te ferebatur. Vidit humanitatem ſuam fuiſſe à Verbo aſſumptam occaſione lapſus Adami in peccatum, totque gratiis cumulatam, ut ex plenitudine ejus acciperes. Quàm benignè, quàm amanter reſpexit in te? qua teneritudine cordis res noſtras amplexus eſt? quomodo mala noſtra doluit? quomodo ea in ſe ſuſcepit? *Venit* (ait Sanctus Paulus 1. ad Timoth. 1.) *Jeſus Chriſtus in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* Hoc negotium admiſit, ad illud ſuas omnes cogitationes convertit. Quam fiduciam excitare non deberet in nobis iſte amor Jeſu, qui jam ab utero negotiabatur ſalutem noſtram cum Patre æterno, ſtudebat illi ſatisfacere noſtro nomine, ejus amorem ardenter promovebat, miſerias noſtras lugebat? quid ego facere non deberem, quo tanto amori reſponderem? quomodo totus eſſe in laudando tam ſingulari benefactore, eique benedicendo, offerre patri æterno deſideria quibus æſtuabat cor Jeſu, & ejus dolore intenſo compenſare levem dolorem, quem mihi parit peccatorum meorum recordatio? Eja Pater æterne, *reſpice in faciem Chriſti tui*, qui ex utero matris pro me tuam miſeri-

ſericordiam implorat, cumque ſatisfaciam tibi tam negligenter, accepta filii ſui ardentiſſimum affectum, & fac, ut ejus exemplo annos meos, quos malè tranſegi, coram te recogitem in amaritudine animæ meæ.

XX. Decembris.

MEDITATIO XXIV.

Ab Angelo revelatur Incarnatio S. Joſepho.

P*Unctum primum.* Cum Virgo concepiſſet ex Spiritu Sancto, rem ſilentio preſſit, neque eam ſponſo ſuo Joſepho detexit. Norat illa quidem, fore ut temporis progreſſu res veniret in cognitionem illius, unde poſſet fidem ſuam & puritatem in dubium revocare, tacuit tamen toto tempore, neque unquam os aperuit, tametſi ſignum exterius appareret. Quid eſt, *Domina* mea, quòd in negotio tanti momenti utaris ſilentio tam diuturno, & apud eum, qui illud ignorare non debebat? Vide, quot Virginis virtutes ſplendeant in iſto ſilentio. Profundiſſima humilitas, eligendo potius ſiniſtram aliquam ſuæ exiſtimationis notam incurrere apud S. Joſephum, quàm tantum myſterium revelare. Excelſitas & magnitudo animi, ſuperior omni contemptu. Pleniſſima & omnimoda fiducia in Deo, cui ſe totumque rei eventum committebat. Patientia admirabilis: licet enim adverteret, ſe venire in ſuſpicionem violatæ fidei, noluit tamen ſe ſponſo ſuo purgare, contenta teſtimonio conſcientiæ ſuæ coram Deo. Quantum tu differs à Virgine; quàm ſollicitè tueris exiſtimationem tuam, quam libenter ſermonibus divulgas, quæ tibi famam aliquam & honorem poſſunt conciliare? quàm parum tibi abnegationis eſt ac fiduciæ in Deo? quàm ægre fers vel minimam ſpeciem tui contemptus? Te collige, erubeſce in conſpectu Dei, & ora Virginem ſanctiſſimam ut tibi gratiam obtineat, quâ dignus efficiaris, qui ipſam imiteris.

Secundum punctum. Cum Virgo rediiſſet à viſi-

tatione Sanctæ Eliſabeth, apud quam tres menſes commorata fuerat, tunc Sanctus Joſeph deprehendit gravidam eſſe ſponſam ſuam, & cauſæ ignarus vehementer animi pependit, ancipiti cogitatione diſtractus. Virginem in ſuſpicionem adulterii vocare, probata jam virginis ſanctitas ſuſpicioni locum non dabat: Adduci, ut crederet opus eſſe ſupernaturale, fundamento carebat; illam ut adulteram traducere, hoc enimvero refugiebat; habitare cum illa, exiſtimabat ſibi non licere. Vide, ut Deus agit cum Joſepho ſibi charo & virtutibus eximio, in quas illum animi afflictiones non conjicit; ut ipſum probat, ut exercet; ſed adverte ex altera parte, quomodo Sanctus Joſeph hujuſcemodi moleſtias & angores animi fortiter ſuſtinet, qua charitate tractat Virginem, non in ipſam exaſperatur, non prodit aliis ſuam ſuſpicionem, non illam infamat, non capit præceps conſilium; nam ait Sanctus Matthæus Evangeliſta. *Hæc eo cogitante* non dat ullum impatientiæ ſignum, ſed cum admirabili magnitudine & tranquillitate animi ſtatuit, ab homine juſto, uti ipſe erat, non degenerare. Ad te mentem reflecte, & attende, ut te geras, cum aliquid adverſi tibi contingit; quàm facile prorumpis in lamenta? quàm inconſideratè aperis occultos proximi tui defectus! quæ ſigna impatientiæ non edis? Erubeſce, & Deum roga tibi gratiam impertiat, quâ bene vivas, atque *in ſilentio & ſpe* cœleſte ſubſidium expectes.

Tertium. Conſidera, quomodo S. Joſepho volenti occultè dimittere ſponſam ſuam miſit Deus Angelum qui ipſum moneret de myſterio incarnationis, nec à ſua ſponſa diſcederet. Vide, ut Deus honori virginis conſulit, & tempeſtive rebus omnibus proſpicit, ſi fiduciam noſtram in illo collocemus, & vitam cum virtute ducamus. Gratulare Virgini peculiarem

Dei

Dei tutelam,ſub qua latet. Inde animos ſumes,quibus propter vanos terrores non deterrearis à bene operando, ſed fretus divina providentia in virtutis exercitio perſeveres. O quàm bonum eſt, ſervire Deo,qui tot modis abundat ſuos adjuvandi, conſervandi,defendendi,eorumque innocentiam declarandi quando ita exigit gloria nominis ſui & utilitas noſtra! Gratulaberis Sancto Joſepho quòd per manifeſtationem tam alti myſterii ſit illi ſublata omnis ſuſpicio. Diſce,quàm cautus debeas eſſe in ſuſpicando, & judicio minus æquo ferendo de aliis. Quàm graviter erraſſet S. Joſeph, ſi ſtatim judicium tuliſſet, vel rem evulgaſſet! Roga Deum, per ſingularem illam lætitiam,quam ex revelatione incarnationis ſibi ab Angelo factæ percepit, tibi obtineat gratiam, quâ charitas tua proximi defectus operiat.

XXI. Decembris.

MEDITATIO XXV.

Quomodo S. Joſeph ſe geſſit cum Virgine, circa myſterium Incarnationis.

P*Unctum primum.* Cum excitatus eſſet Joſeph à ſomno,in quo fuerat ab Angelo admonitus de incarnatione filii Dei,non receſſit, prout juſſus fuerat. Quales erant ex eo tempore illius affectus,quàm reverenter ſe gerebat cum ſponsâ ſuâ, quam ut Dei matrem intuebatur! quàm officioſè illi ſerviebat? quàm felicem ſe reputabat,quòd poſſet totum impendere ſe in obſequium illius, quæ mundo Salvatorem paritura erat? quibus benedictionibus proſequebatur,à quo fuerat electus, ut illum haberet in filium cui nec in terris, nec in cœlis pater alius eſſet, præterquam Pater æternus. Lætaberis tu quoque in

ſinu

ſinu tuo de tanta felicitate, quæ Sancto Joſepho obtigit, optabis poſſe exemplo illius rite virginem venerari, ejuſque filii obſequio totas vires tuas impendere, nec parum erubeſces coram *D*eo, quòd multum utrique officio defueris.

Secundum. Attende alacritatem Virginis, ubi reſcivit myſterium incarnationis divinitus fuiſſe revelatum Sancto Joſepho, ſeque ab hac animi moleſtiâ liberatam eſſe ſenſit. Imaginare, te verſari in domo Nazarena, & Virginem cum ſuo ſponſo ſuper hoc myſterio ſermones miſcentem audire. Narrat illi fideliter, quid reſponderit Angelo ad ſe cœlitus miſſo, quomodo Spiritus Sanctus, qui eſt amor divinus, virtute ſua operatus erat hoc opus amoris, opus amabile, opus ſimul ex divinitate & humanitate compoſitum. Perpende attentionem Sancti Joſephi ad hoc nuntium, totus abit in lachrymas præ teneritudine cordis, audi interrogantem, quâ die, quâ horâ tantum opus ſit peractum; mox ſuaviter de Virgine conquerentem, quòd rem ipſi non aperuiſſet. O ſuavem, ô dulcem omnino converſationem, in qua cor Mariæ ardebat, & verbis ſuis animum Joſephi divinitus accendebat! Adverte quòd è Sanctis colloquiis percipitur vera voluptas, colligitur ſolida conſolatio, in colloquiis autem mundanis, licet in ſpeciem ſit riſus & gaudium, cor tamen aridum manet, & vera atque interna conſolatione vacuum. Mentem in te reflecte, qualia ſint colloquia tua & ſtude ea emendare, ſi reperias aliqua emendatione indigere.

Tertium. Conſidera, quomodo ſe gerebat hoc tempore Sanctus Joſeph, cum Filius *D*ei lateret in utero Virginis; quibus oculis intuebatur matrem factam JESU Thronum, quâ reverentia abſconſum adorabat *D*eum, quibus ſublimium cogitationum æſtibus extra ſe rapiebatur, cum ſecum attonita mente ver-

ſabat,

ſabat, *D*eum tam profundâ ſui demiſſione depreſſum, & contrà hominem ad ſtatum divinitatis evectum, animam beatam in corpore doloribus obnoxio, comprehenſorem in viatore, & matrem in Virgine. Quos affectus in ſe non experiebatur, dum attendebat, quàm ingens donum Pater eſſet largitus mundo, ut idem eſſet & *D*ei & Mariæ filius, Salvator, idea & regula hominibus bene vivendi. Hæc & ſimilia arcana altè penetrabat Sanctus Joſeph, his animum inflammabat ſuum, his ſibi ipſe animos addebat ad magna operandum pro *D*eo, ad ejus gloriam longè lateque promovendam. O ſi ad radios earundem veritatum, ſanctorum affectuum ignem corde conciperes, nec tua culpa frigeres dum nihil arduum audes aggredi, quod divini nominis gloriam promoveat. Pigeat te inertiæ tuæ; fac, ut hujuſcemodi veritates non evadant ſteriles tibi & infructuoſæ. Roga Sanctū Joſephum, te in partem vocet ardentiū affectuū, quos in ſe fructuoſiùs experiebatur.

XXII. Decembris.

MEDITATIO XXVI.

Expectatio partus Virginis.

P*Unctum primum.* Aderat jam menſis nonus, cum Virgo horam partus ardentiſſimè expectabat; penetra cogitatione cor virginis, & adverte ſacrum ardorem, quo flagrat, quantò majori cum affectu ingeminabat hæc verba ſponſæ. *Quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te foris, & deoſculer te?* Optabat Dei & ſuum filium videre, cupiebat eum exterius adorare, amanter complecti, obſequiis demereri, deſiderabat ut omnes mortales eodem quo ipſa bono gauderent, expetebat illum eximi ab his moleſtiis, quas patiebatur in carcere tam anguſto, & obſcuro, cum moleſtiſſimo corporis ſitu flagitabat, ut unguentum è vaſe, in quo includebatur, effluerer,

Sol

ſol diſcuteret tenebras, quibus involvebatur. O ſi appetente feſto nativitatis creſcerent in me deſideria Jeſu naſcituri! at cur non jam quàm maximè? *Veni domine, noli tardare*; deſiderando, ut pariter naſcatur in cordibus omnium Chriſtianorum. Demum, attende, quòd Virgo conceptum Dei filium parere cupit. Vide, ſi hac in parte Virginem imiteris. Quàm multa per diem ſanctè proponis? quam pauca exequeris? Quam verè poteſt iſtud tibi adaptari, *& non erat virtus* pariendi? Iſai. 37. ſtude emendari.

Secundum. Conſidera, quomodo Virgo ſe diſponebat ad partum, eliciendo actus heroicos: & quemadmodum omnes horologii rotæ laxantur priùs, quam hora audiatur, ita in corde Virginis omnes ſimul virtutes ſuos actus eliciebant, cor illius frequentiùs ſuſpirabat ad Deum, quam pulmo reſpirabat. Quomodo humilitate ſe omnib. poſtponebat, quomodo charitate omnibus anteibat? adornabat ſcilicet thalamum, quò filius ſuus majori cum pompa mundum ingrederetur. Gratulare Virgini diligentiam, qua ſeſe ad partũ diſponit. Diſce exemplo Virginis venienti Domino cor tuum præparare, ut in primo illo egreſſu hoſpitetur in anima tua, ſimulque diſponas te diligenter ad exitum tuum ex hac vita, ut Deus te cœleſti hoſpitio viciſſim accipiat.

Tertium. Conſidera, quàm ardens foret Jeſu naſcendi deſiderium, non tam ut ex anguſtiis carceris exiret, quàm ut ſe videndum præberet iis qui ipſius ingenti deſiderio tenebantur. Deliciæ Jeſu erant, operari ſalutem mundi juxta voluntatem patris, arctè complecti paupertatem, deliteſcere in vili ſtabulo, ferre duros labores vitæ aſperæ, edere Exempla patientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum, ac virgininem nativitate ſua dignam Dei matrem efficere. Quàm efficaciter Verbum

æternum ſimilibus deſideriis te hortatur, non ut fugias parvos labores, ſed ut graviores accerſas? Tua deſideria non reſpondent deſideriis Jeſu; non quæris contemptum tui, non obviam is crucibus, ſed eas diligentiſſimè declinas, de divina gloria promovenda vix cogitas. Erubeſce, opta renaſci cum Jeſu, ut Jeſu vivas, non amplius moribus tuis pravis & indomitis animi tui cupiditatibus.

XXIII. Decembris.

MEDITATIO XXVII.

De beneficiis à Jeſu Virgini collatis, tempore novem menſium.

P*Unctum primum.* Conſidera, quid faceret potentiſſimus aliquis princeps, qui peregrinus in via ſplendide exciperetur alicujus hoſpitio; num liberaliſſimè compenſaret hoſpitem ſuum? haud dubie. Nunc quotusquisque noſtrum eſt, qui poſſit aſſequi mente favores innumeros, quibus Verbum æternum cumulavit Virginem, quæ ipſum in terris peregrinum per novem menſes geſtavit in utero? Alii infantes trahunt qualitates à matribus, at filius iſte ſuas qualitates Virgini communicavit, ita ut inſtar ferri in ardentem fornacem conjecti candefacta ſit, & recepto in ſe Deo tota divina evaſerit. Quàm ardentes puriſſimæ lucis radios intellectui communicabat Sol iſte abſconſus? quàm ſuaves paradiſi odores efflabat puriſſima caro Filii Dei? quos ardores accendebat in mente Virginis hæc humanitas Deificata? Graulaberis Virgini tot favores, gaudebis quòd filius hoſpitium novem menſium tam liberaliter ſit remuneratus. Erubeſces, quòd tam raro experiaris in anima tua effectus ejuſdem *D*omini venientis ad te, non contrahis qualitates panis cœleſtis; reſidet eadem cæcitas, in intellectu, idem tepor in voluntate. Illi demum humillime ſupplica,

plica, cum idem ipſe ſit, quem hoſpitio accipis; ut ſimiles in te producat effectus, omniaque ab anima tua impedimenta removeat.

Secundum. Reputa, alios infantes per novem menſium ſpatium multos labores graveſque moleſtias afferre matribus ſuis dum geſtantur in utero, Chriſtum autem, longè aliter ſe erga matrem ſuam exhibuiſſe. *Portabam eum.* lib. 1. c. 10. (Virgo dixit Sanctæ Brigittæ) *ſine gravedine, ſine dolore, & tadio ventris*, ita ut infans non eſſet matri ſuæ vel oneri vel moleſtiæ, ſed potius levamento. Si ille erat quaſi arbor vitæ in medio hujus virginalis paradiſi, ſi erat veluti lilium in hoc horto, quomodo poterat matrem gravare, ſed potius roborare? Gaudebis, quòd Virgo gauderet his privilegiis, & certe merebatur omni corporali onere levari à filio, quem cum tanto affectu portabat in corde. Tibi contrà, quàm laborioſum eſt jugū legis Chriſti, quàm gravis obſervatio præceptorum! nec mirum, cum verè non ames. Roga beatiſſimam Virginem, per levamentum, quod ſenſit in portando filio, tibi gratiam obtineat, quæ jugum legis Chriſtianæ ſuave tibi reddat & leve.

Tertium. Conſidera, quòd ſi Jeſus in ipſo ingreſſu Virginem implevit gratiis, quas deinde continuavit, auxitque, qualis eſſet gratiarum cumulus, quem ſuperintulit in egreſſu. Fuerat illi maternus uterus pro cœlo Empyreo, in quo anima Jeſu clarè videre Deum cœperat, fuerat ille ager, in quo theſaurus cœleſtis hominis-*D*ei fuerat abſconditus, quibus eum cœleſtium donorum divitiis exeundo non locupletavit? quibus gratiis non auxit puritatem, ut ſemper virgo perſiſteret? Gratulaberis Mariæ acceptos à filio ſuo favores, & attendes, quàm liberaliter Deus compenſet hoſpitalitatem, quam illi per actus virtutum exhibemus, ô ſi ſcires te colligere, & cordis tui ſtatum

ſcere: poſt diſceſſum Domini tui, qui ſub ſpeciebus Sacramenti ad te acceſſerat, ut remaneas pauper, frigidus, diſtractus: quia ſcilicet præſentem minus honorificè tractas. Interpone apud Filium Dei preces matris, ut dignus ſis, qui venias in partem bonorum illorum, quæ illa tunc temporis accepit.

XXIV. Decembris.

MEDITATIO XXVIII.

Profectio Virginis Bethlehem.

Oratio præparatoria, more ſolito.

P*Rimum præludium erit.* Revocare ſibi in memoriam, ut Virgo Nazaretho profecta eſt Bethlehem unà cum S. Joſepho, ut juxta edictum profiteretur, & Imperatori Auguſto tributum penderet.

Secundum præludium erit imaginari itineris modo aſperitatem, modo lenitatem paſſim occurrentem, & demum ſtabulum, quod ambo eligunt pro hoſpitio.

Tertium erit, petere à Deo gratiam, quâ cognoſcas conditiones, quibus Filius De ſe ſubjicit in iſto primo itinere & ingreſſu in mundum.

Punctum primum. Conſiderabo mirabilia divini judicii veſtigia in iſta profectione. Volebat Filius Dei ordiri vitam ſuam, privatus omnibus commoditatibus, ſummos inter labores, cui foret pro domo ſtabulum, pro cunis præſepe beſtiarum; ecquid agit? eodem tempore facit, ut exeat edictum à Cæſare Auguſto, quo jubenter omnes in patriam ſuam proficiſci, ubi ſinguli in ſua civitate, unde oriundi erant, profiterentur, ac tributum penderent; & hujus edicti ſpecie tegit omnes labores, quibus ab ortu ſuo ſe ſummiſit; quaſi eos neceſſitate & fortunæ, non ſuæ voluntati deberet. Vide artificiũ Jeſu in operando, eodem tempore exercet obedientiã patientiam, humilitatem & paupertatem, & omnes has virtutes ſub velo neceſſitatis abſcondit, quia

Imperatoriæ urgebat imperium. O quantum pudoris mihi hoc exemplum debet afferre, quia non ſolum ægre me privo commoditatibus meis, & difficile obediẽtiæ divinæ legis ſubjaceo, ſed præterea cum virtutes meas abſcondere deberem, abſcondo vitia, & bonum appello, quod in ſe malum eſt, præ me ferendo, pati me multum, ubi nihil patior, imò ſæpius titulo neceſſitatis meis commodis ſervio! ſtudebis dolere de præteritis, & emendari in poſterum.

Secundum. Perpende quis foret Virginis ſenſus & Sancti Joſephi, ubi edictum imperatoris Romani audiverunt proclamari, quo jubebantur exire Nazaretho, & longum iter ſuſcipere, tempeſtate aſpera & incommoda maximè, atque appetente jam partu. Non queſti ſunt de edicto, quod ſuperbia & avaritia imperatori ſuggeſſerant, iter non diſtulerunt, propter labores tolerandos; agnoſcebant ſcilicet divinam authoritatem in imperatore terreno, non ignorabant Deum trahere ſuam gloriam ex ſuperbia & avaritia Auguſti, ac proinde omni dilatione ſublata itineri ſe commiſerunt. Ægregium ſane exemplum, quo docemur in ſuperiorum, etiam temporalium, authoritate, divinam authoritatem revereri, quantò promptiùs morem gerere debes ſuperioribus ſpiritualibus, & legi *D*ei ipſius? oculos conjice in Sanctum Joſephum & Virginem, contemplare modeſtiam amborum in incedendo, alacritatem in perferendis incommodis tempeſtatis frigidisſimæ, paupertatis, & teneritudinis Virginis ſexdecim ferme annorum. Audi encomia, quibus ornant divinam bonitatem, veluti duo Cherubini non avertunt oculos à theſauro abſcondito in virgine. *D*emum benignè agitur cum iis, qui fruuntur *D*eo. Gaudebis cum ambobus, & optabis, ut in hujus vitæ mortalis peregrinatione ſemper Deum habeas præſentem in corde.

Ter-

Tertium. Conſidera, quomodo Sanctus Joſeph & beatisſima Virgo, cum perveniſſent Bethlehem atque ab omnibus hoſpitiis excluderentur, tum propter ingentem hominum tunc confluentium multitudinem, tum propter ipſorum paupertatem & modeſtiam, ſeceſſerunt in unam ſpeluncam vicinam muris Bethlehemicæ civitatis, ad quam paſtores & peregrini repentina tempeſtate correpti ſe recipiebant. Vide admirabilem utriusque acceptationem diſpoſitionis providentiæ divinæ, quæ tantam exterius ſeveritatem exercet. Noverant ſcilicet, ſtatutum fuiſſe ab æternitate, ut Filius *Dei*, qui cœli & terræ amplitudine contineri dignè non poterat, in vili ſpelunca naſceretur. Quinam in ambobus extiterunt ſenſus? laudis, quòd res ita fuiſſent diſpoſitæ; humilitatis, exiſtimando ſe eſſe indignos meliore hoſpitio, dum Filius Dei habitaret in ſtabulo; patientiæ, non conquerendo de inhoſpitalitate civium; Sic derepente ſpeluncam verterunt in Paradiſum, totos ſe dantes profundiſſimæ contemplationi de Jeſu brevi naſcituro. Tibi res adaptabis, & diſces, qua ratione te gerere debeas cum ſimiles tibi ſeſe offerent occaſiones.

XXV. Decembris.

MEDITATIO XXIX.

De Nativitate Chriſti.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Virgo hanc ſpeluncam ingreſſa cum Sancto Joſepho, & agnoſcens jam tempus felicis partus adeſſe, cœpit pro cunis ſternere præſepe fœno, & viles aliquot pannos extendere, quos ſecum Nazaretho detulerat, ut his infantem involveret. Vide, quæ pompa naſcituro Dei Filio præparetur, quod palatium ei deſtinetur. Non poteſt hoc dari fortunæ, non poteſt

dubitari, quin Deus vel filium ſuum amaret, vel illum liberaliùs habere non poſſet, *cum Domini ſit terra & plenitudo ejus*. Quis non ſtupeat judicia divina? Quis major unquam princeps natus eſt? & tamen, quis egentior unquam apparatus? Quid dicis, anima mea? Contemplare virginem, en, ut illa feliciorem ſe reputat ſervando præſepe ſtabuli, quàm ſi commodiſſimas ædes Bethlehemiticæ civitatis habitaſſet, admirando ſingularem providentiam, Dei qui ſic omnia ſtatuebat pro ſua gloria & noſtro exemplo. Diſce confundi nimia tua ſollicitudine in procurandis commodis tuis, & ſimul cum ſe dabit occaſio, voluntatem tuam divinæ diſpoſitioni ſummittere.

Secundum. Conſidera, quod appetente in horas partu creſcerent magis ac magis non dolores, non contractiones nervorum (quæ partum comitari ſolent) ſed conſolationes, ſed exultationes, ſed amoris exceſſus in Virgine, donec inter ardentisſimos precum & deſideriorum fervores adfuit momentum illud, cum Benedictus fructus vitæ ſuaviter ex arbore cecidit, & *peperit filium ſuum*, facta vera mater, & Virgo permanens illibata. Adeſte properate beati Spiritus, ut veſtro Deo & Domino homagium præſtetis, & tu, anima mea, collige omnes vires tuas; ſiſte te præſentem huic ſpectaculo, ut adores ex toto corde tuo hunc infantem cœli terræque dominum. *Conſideravi opera tua, & expavi, in medio duorum animalium cognoſceris*. O quàm ſtupenda ſunt opera Dei & inveſtigabilia conſilia ejus? Tu, mi Deus, naſci vis in ſtabulo? tu, qui Reges terræ collocas in throno, eligis præſepe pro cunis? inter duo animalia cupis adorari? Ergo in toto orbe non eſt alter locus, quo mundi conditor excipiatur? Sic creatura recipit creatorem? At at ſi una vice mundus ſic Deum ad ſe venientem excepit, væ mihi qui non majo-

rem

rem erga Deum quotidie hoſpitalitatem exerceo, quanquam ille pulſet ad cor meum, ut admittatur, ſed eo quo optat modo, hoc eſt, non vigilem tantum noͤcte, non ſim contentus ſola meditatione myſterii, ſed ejus exemplo induam alios mores, mutem affectus meos, & pluris faciam humilitatem, patientiam & rerum temporalium contemptum, quàm omnes hujuſce mundi divitias. Sic excipitur, ſic excipi cupit. Et ego quid hactenus feci, & quid inpoſterum facere volo?

Tertium. Virgo advertens natum eſſe filium, forte ad vagitum & lachrymas eum reverenter adoravit, & cum ſumma animi alacritate in ulnas ſuſcepit infantem, & pannis involutum reclinavit in præſepio. Vide, ut ſe contrectari ſinit; nihil timendum erat ab incompoſita corpuſculi ſeſe moventis agitatione, atque adeo faſciis ligandus non erat; ſufficiebat, ſi cooperiretur, tamen ſinit ſe regi & inſtar alterius cujusvis infantis tractari cupit, & licet mater ipſum ſtricte ligat, non lamentatur; licet in præſepi ipſum reclinat, nec ſuis ulnis appreſſum teneat, manet tamen contentus. O quam admirabili exemplo te docet, contemnere ac pro nihilo habere omnem affectum terrenum commoditatis, honoris, divitiarum, & in deliciis habere tui contemptum & crucem? me miſerum, quàm graviter ego quoque deludor! Opta ſcilicet, ut Chriſtus in me naſcatur, nec intelligo, quod ſi velim, ut Chriſtus naſcatur in anima mea, non debeo ſervire honori & utilitati meæ ſed paupertati ſtabuli me conformare. Ego equidem mihi volo Chriſtum, ſed nolo illum cum his, quæ ejus nativitatem indiviſo conſortio comitantur, nempe cum paupertate, cum honoris contemptu, cum laboribus, cum meæ voluntatis abnegatione. Aperi, Domine, oculos meos, fac, ut videam hanc veritatem, eamq; praxi amplectar. Tunc vere naſceris in corde meo, cum amabo propter te, quod in hac temporali nativitate pro me amare non dubitaſti.

XXVI. Decembris.

MEDITATIO XXX.

Pretioſa inſtantia nativitatis Jeſu.

PUnctum primum. Conſidera ultimum punctum temporis quod præceſſit nativitatem Jeſu. Suſpice, & videbis in cœlo æternum patrem, qui amore immenſo, quo fertur erga mundum vult illi tunc dare unigenitum filium ſuum. Deſcende cogitatione ad ſtabulum, & intuere Jeſum, qui in eodem temporis articulo ventre Virginali incluſus ſe paternæ voluntati ſummittit, & ſtadium laborioſiſſimæ vitæ ingredi cupit. Attende ad Virginem, quæ congruenter ad voluntatem patris & filii eodem temporis puncto filium humillime & ſtudioſiſſimè rogat, ut naſci velit & in lucem prodire. O pretioſiſſimum inſtans, Patris erga nos amore locupletatum! O nobiliſſimum momentum, in quo anima Jeſu & Mariæ divino decreto conformantur! O unionem Patris, Filii & matris, in deſiderandâ ſalute noſtrâ! Quas gratiarum actiones meretur hoc inſtans? ut ſemper illud menti penitus inhærere deberet? quæ ſimul cogitationes, quæ deſideria, quæ operationes eliciendæ non eſſent à potentiis meis, ut continuis honoribus decorarent Patrem, Jeſum & Mariam, eorumque amori ardentisſimè reſponderent?

Secundum. Conſidera hoc punctum, quod eſt alterum inſtans, in quò Jeſus inviolato clauſtro virginali, ejusque puritate intacta & conſecrata, cor Mariæ inæſtimabili dulcedine cumulavit, & quaſi maturum pomum, quod ſponte cadit ex arbore, vel potius quaſi radius integram cryſtallum penetrans, prodit in mundo & mortalibus ſeipſe largitur. O momentum! negotium omnium ſæculorum ardenter expectatum à cœlo & à terra! O memoria penitus in cordibus no-

ſtris ſculpenda! Gratulaberis Virgini, quod ſit jam facta mater Dei, & ſimul manſerit Virgo ante partum, in partu, & poſt partum. Lætaberis, quòd tunc temporis cor illius ſuavitate difflueret, quodque non ſolùm ſine dolore, ſed cum inenarrabili etiam gaudio filium pareret mundo, & quia ille in ipſo ortu voluit fœnum habere pro cunis, hanc rogabis ut impetret tibi gratiam, quâ filium ipſius dignè accipias in corde tuo; *Omnis* namque *caro fœnum*. Iſaias.

Tertium. Conſidera, momentum illud primum, quod ſubſecutum eſt partum, in quo Jeſus levavit oculos ad Patrem, eique obtulit demiſſionem hanc ſui, ſeque pro nobis omnibus quaſi victimam ſacrificavit. in quo Jeſus oculos convertit in Mariam, ut intueretur creaturam, quæ reliquas omnes ſive in cœlo, ſive in terris exiſtentes meritis ſuperabat, & tenerrimo vagitu illam ex altiſſima contemplatione revocatam invitavit, ut ad ſe oculos verteret, ſe jacentem ſinu exciperet ac foveret. Quis fuit Virginis ſenſus ad primum dulciſſimi infantis aſpectum? ut corde exarſit? in illum oculos fixit, illum adoravit, ut Deum; amavit, ut filium; illum cum profundisſima reverentia & amore, ſed amore reverentiam ſuperante ſuſcepit in manus, gremio applicuit, lactavit, faſciis involvit. O actiones Mariæ dignas, quas colamus, quas imitemur! O momentum nunquam apud me intermoriturum, & dignum, quod abjectâ tot inutilium cogitationum vanitate, perpetua mentis conſideratione perpendatur! Offer unà cum Maria infanti nato obſequium & amorem toto tempore vitæ tuæ.

XXVII. Decembris.

MEDITATIO XXXI.

Dolores Chriſti in Nativitate.

Punctum primum. Conſidera,quomodo cum adeſ-
ſet tempus exeundi in lucem regalis apparatus,
quem Jeſus ſuæ humanitati voluit exhiberi, non fue-
runt ulnæ matris ſanctiſſimæ,ſed nuda humus, in qua
jacuit extenſus non ſine dolore,propter aëris injurias,
& membrorum teneritudinem. Quàm jure dicere po-
tes,O *Domine*, *Ego ſum vermis, & non homo.* Pſal 21.
quia nullus homo ſuper nuda humo naſcendo excipi-
tur: ita exemplo inſtruis humanitatem tuam, quòd
non ad quietem,ſed ad laborem naſcatur. Ergo ne pri-
mum quidem momentum ortus tui abire ſinis, quin
aſperè tractes corpuſculum tuum? Avibus recens na-
tis non deſunt nidi; mollibus plumis ſubſtrati, at tibi
dura humus cunas præbet? Quomodo poteras duriùs
habere carnem tuam, ſi ſenſiſſes inimicam? & tamen
ego, qui carnem meam ſentio inimicam, vix poſſum,
quin eam blandè habeam & delicatè. Diſcute has tene-
bras cordis mei,& fac,ut exemplo tuo diſcam dura &
aſpera mihi eligere,cum ea non tibi,ſed mihi debeantur

Secundum. Attende,quòd Jeſus naſcens nullas de-
licias, nullam pompam voluit admittere, ſed tantum
ea,quæ ſibi omnino erant neceſſaria,& quidem ægre;
implevit mammas Virginis lacte,quo viveret,acceptat
viles pannos,quibus tegatur; at aliquid ignis non ha-
bet,quo calefiat; non feneſtras,quibus aërem noctur-
num& frigidum arceat; non commodas cunas, ſed
fœnum aſperum ſenſui; non ulnas matris & gremium,
quo foveatur,ſed jacet in præſepio, tremens artubus,
ſine ullo contra frigus ſubſidio, ſuper durioribus pa-
leis, reſpirans aërem hyeme perfrigidum & à ſtabulo
malè olentem. O mi Domine, quàm verùm eſt, quòd
parvus ſis & *magnus!* parvus quidem ſtatura corpu-
ſculi ob membrorum teneritudinem frigori valde ob-
noxii,ſed magnus in patiendo,& in te ipſo rigidè ad-
modum & ſeverè tractando. Reliquæ vitæ tempus
non

non deerit, ut quid tam properè & tam ardenter appetis miſerias noſtras experiri ? Si talis eſt ſementis dolorum, qualis futura eſt meſſis ? O me miſerum, cur non erubeſco ? Ego famulor huic corpori, non ſecus ac Domino, ejus commodis ſollicitè ſtudeo, perinde atque amici; illi blandior, ut fideli; ejus labores quàm mihi graves exiſtunt, quàm tenerè ejus miſeriis ad miſericordiam flector; ejus excuſationes quantumvis vanas quàm facile admitto! utque illi gratificer, in quot imperfectiones labor, tibique diſpliceo, ne illi diſpliceam ? Da mihi, clementiſſime *Deus*, ſpiritum novum, cumque inimicum tam arcto amicitiæ vinculo conjunctum odiſſe neſciam, ſaltem deprehendam ejus fallàcias, neque ei indulgeam, quæ muneri meo, & voluntati tuæ contraria à me obtinere meditatur.

Tertium. Conſidera modum, quo ſeſe iſtis doloribus ſummittit; non temere & caſu eos nactus eſt, ſed providentia peculiari diſpoſuit, ut regnum Judææ non amplius à poſteris *D*avidis poſſideretur, ut mater egeſtate premeretur; expectat, ut Imperator Romanus potiatur Judæa, & edictum figat, quo Nazarethum deſerere cogeretur, & adire Bethlehem, eo tempore, in quo non haberet hoſpitium, præter ſtabulum, omni humano ſubſidio & ſolatio deſtitutus. O quàm longè abſunt cogitationes tuæ à cogitationibus meis! tu edicto Imperatoris Romani totum, ut ita dicam, terrarum orbem permiſces, ut naſcaris pauper, & ego quid nòn moneo ut commoda mihi procurem ? Quot curæ, quot cogitationes, quot excuſationes, quibus declinẽ, quidquid mihi poteſt leviter incommodare ? tot artes, quibus mihi & honori meo ſatisfaciam, tot rationes, quibus mihimet blandiar. Tua caro perfectè ſubjacet divinitati, nec in ulla re ejus voluntati reſiſtit, & tamen illam tam aſperè tractas, & ego delicatè habeo meam tot fraudum artificem, tot criminum ream,

quaſi innocentem, tibique in omnibus morigeram! Cur ſaltem modo (quanquam ſerò) non diſcam mihi ipſi bellum indicere, te mihi imitandum proponere, & perſuaſum habere, eum qui te verè ſequitur, (ut ait Apoſtolus) carnem ſuam crucifigere cum vitiis & concupiſcentiis ſuis? Hoc deſiderium imprime cordi meo. Colloquium, prout dictabit affectus.

XXVIII. Decembris.

MEDITATIO XXXII.

Quid egerint Angeli in Jeſu Chriſti nativitate?

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo ſtatim atque Jeſus prodivit in lucem, illud beatis ſpiritibus æternus Pater declaravit, ut Jeſum abjectum & contemptum adorarent. Si Deus oſtendit Eliæ regem humiliatum, eique dixit *nonne vidiſti Achab humiliatum coram me*? 3. Reg. 21. quantò lubentius haud dubiè Pater æternus oſtendit omnibus Angelis Filium ſuum, regem regum, pro ſe abjectum, & quidem abjectum ſtabulo tenus? quo ſtupore percuſſi ſunt Angeli admirentes inenarrabile conſiliũ Dei in humilando ſe ipſo, & quaſi pudore ſuffuſi, quòd Filius Dei, qui in ſinu patris divina majeſtate præfulget, in terris tamen humanæ unitus naturæ, ad tantam vilitatem deprimeretur? quibus reverentiæ & demiſſionis affectibus beati illi chori ſe proſtrarunt? & tamen non illum ſuâ causâ humiliatum videbant, neque ad præſepii vilitatem abjectum, ut ipſorum ſaluti conſuleret: quis deberet eſſe ſenſus tuus, cum Deus ut tibi viam muniret ad cœlum, ſuam majeſtatem depreſſerit & exinaniverit? quale à te grati animi teſtimonium non exigit iſta nativitas, quam dolor, humiliatio, paupertas aliaque adjuncta planè ſingularia comitantur? O beatæ mentes, ſitis mihi ſubſidio, & mihi, quæſo, impetrate ali-

aliquid ex illo affectu & reverentia, quam nato Domino exhibuiſtis , ut in comitatu veſtro poſſim divino infanti debita obſequia rite præſtare ; tuque , O Domine, ſupple in me fervoris defectum actibus profundiſſimæ reverentiæ, quos tibi tunc temporis è cœlo tota natura angelica reverenter exhibuit.

Secundum. Conſidera incredibilem alacritatem, quam perceperunt omnes novem chori , & maximè Archangelus Gabriel à Deo deſtinatus ad tam ſublime myſterium, cum tandem viderent tempus adeſſe per tot ſæcula tam ardenter expetitum, & per merita hujus infantis , qui Seraphinos amore , Cherubinos ſapientiâ, Thronos conſtantiâ ſanctitatis longè ſuperabat , redimendos eſſe mortales, & vacuas cœlorum ſedes implendas. Non inviderunt naturæ humanæ ſummæ dignitatis faſtigium, ad quod Deus illam extulerat, lætati ſunt de favoribus cunctis illi communicatis, quanquam natura noſtra Angelis eſſet inferior : Bonum hominis reputarunt ut ſuum. Ito, anima mea, ito ad hanc ſcholam, ut illorum exemplo addiſcas perfectam charitatem, quæ procul omnem pellit invidiam, nec ex alieno bono minorem, quàm è ſuo lætitiam capit. Tu non ita te geris, cum ſeſe offert occaſio , dona ſiquidem naturæ, quibus alii ornantur, & favores , quibus à Deo cumulantur, adeo non exhilarant animum tuum , ut potius triſtitiam pariant. Hoc non eſt amare virtutem , ſed ſeipſum , ſed gloriam nominis ſui. Gaude , quòd alii gloriam divini nominis promoveant, id ſolatii capi, quòd dum tu Deum non colis, ut debes, reperiantur alii, qui Deo rite inſerviant, tuoſque defectus ſuppleant. Lætare de bonis, quæ in aliis deprehendis ; ſic tu quoque in eorum partem venies, & jure dicere poteris, *Particeps ego ſum omnium timentium ſe*. Pſalm, 118.

Tertium. Conſidera, quomodo Angeli non adorarunt ſolum è cœlo divinum infantem in præſepio jacentem, ſed catervatim deſcenderunt in terras, adoraturi & comitaturi Regem ſuum & Dominum, cui in medio duorum animalium jacenti fœnum erat pro ſolio. Vide, ut æternus Pater honorat eos, qui Dei cauſâ ſe deprimunt. Adverte, quantò major in te incumbat obligatio ſectandi hunc Dominum, qui tuâ cauſâ procul ab oculis mundi jacet ignotus in præſepio. Stude id temporis cogitatione & affectu frequenter illi te ſiſtere in comitatu Angelorum Attende inſuper, quomodo Angeli vellent poſſe illum manifeſtare toti terrarum orbi, & efficere, ut ab omnibus mortalibus adoraretur; quare ſeſe offerunt ad omnem ejus nutum & imperium expeditos, ut quibuslibet infantis nativitatem annuntient. Opta tu quoque, ut in corde tuo accendatur ſimile deſiderium promovendi gloriam JESU, eum manifeſtandi aliis, & annitendi pro viribus tuis, ut cognoſcatur & ametur ab omnibus: quòd ſi hactenus non multum tibi cordi fuit gloria JESU, tuæque potius quàm divinæ gloriæ ac voluntati ſtuduiſti, ſtatue mutare mores tuos, & ora ſanctos Angelos, qui ſemper ſtant expediti & quaſi alis aërem plaudunt, divini numinis juſſa promptius executuri, ut tibi angelicam in obediendo præceptis divinis celeritatem obtineant.

XXIX. Decembris.

MEDITATIO XXXIII.

Annunciatur tribus paſtoribus Chriſti nativitas.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo cum natus eſt Chriſtus in ſtabulo, voluerit Pater æternus ſtatim

tim homines conſolari, ipſiſque Salvatoris adventum declarare. Miſit Angelum, quem facile crediderim fuiſſe Gabrielem. Iſte aſſumpto ſibi corpore quàm maximè reſplendente curſum accelerat, ut nuncium nativitatis afferat tribus paſtoribus, qui primo ab urbe lapide invigilabant gregi ſuo. O *D*omine, non alios habebas, quos invitares ad te viſitandum, agnoſcendum, adorandum, quàm tres ruſticanos paſtores? Quot ſine dubio principes viri & opibus ac dignitate illuſtres in urbem Bethlehem eo tempore confluxerunt? Rex erat in Judæa, aderant permulti principes ſynagogæ; Hos igitur non vis? non à ſe quidem abjicit Deus Reges & principes, ſed demum *Eſt cum ſimplicibus ſermocinatio ejus*. Prov. 3. placet illi morum ſimplicitas & innocentia; ſi nobiles ad præſepium invitaſſet, forte puduiſſet illos ſummæ paupertatis, nec eum agnoviſſent. Mundus gerit ſpiritus nimis altos, non facile ſui contemptu delectatur. Quid dicis, anima mea? quis ſpiritus in te dominatur? mundi, an Dei? ſtude exſpoliari ſpiritu mundi, cum ſimplex & innocens ruſtacitas dignior fuerit, quæ Chriſtum agnoſceret, quàm ſuperba magnatum nobilitas, Præterea Angelus videndum ſe præbet paſtoribus, qui gregis ſui cuſtodiæ pro muneris ſui ratione diligenter invigilabant. Animadverto Domine, te favores tuos iis elargiri, qui cogitationibus ſuis invigilant, & veluti paſtores motibus ſuæ voluntatis attendunt. Sumne ego ex iis, qui cuſtodiunt cor ſuum, vel liberè ſinunt vagari cupiditates ſuas? ite te gere, ut gratiis cœleſtibus donari, & ad *D*ei notitiam pervenire merearis.

Secundum. Conſidera, circumſtantias apparitionis Angeli, & verba quibus paſtores compellavit. Primò, Angelus facie auguſtâ reſplendens, luce divinâ

paſto-

paſtores circumcinxit; deinde iſti ſancto horrore & reverentiâ correpti ſunt. Quàm bene hæc duo inter ſe conciliantur, lux divina, & reverentia in corde. Quomodo ſtatim anima ſancto timore & horrore ſacro corripitur, quando cœlitus illuminata ſublimem incipit opinionem imbibere de majeſtate divina. Vide nunc, unde oriatur, tua in exercitiis ſpiritualibus irreverentia: deprehendes eam oriri ab exiguâ amplitudinis & majeſtatis divinæ notitiâ, quæ ut animæ lucem præfert ad nihili ipſius abyſſum profundam penitius cognoſcendam, ita illi timorem & ſui contemptum ingenerat. Opta mereri ſimiles illuſtrationes, & roga Deum, ut ſemel ſupra te radios ſuæ claritatis infundat. Tertio. Angelus dixit paſtoribus, *nolite timere*, & quidem merito à quo ſibi timere poterant ii, quibus primis Chriſtus ſuum ortum declaraverat? Perpende omnia Angeli verba. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*; & vobis primùm; & quod gaudium? de Salvatore. Ecquod gratius nuntium illo, quod agit de ſalute & de Salvatore? Sed iſte Salvator, reponere poterant paſtores, pridem expectatur. Eja agite, ſubjungit Angelus, hac ipſa nocte natus eſt, & quidem natus pro veſtra ſalute. Sed in quo loco? quomodo poterimus illum videre? non procul hinc natus eſt, reſpondet Angelus, in civitate Bethlehem. At jam alii venerunt Salvatores, ut Joſue & ſimiles. Eja, iſte Salvator, ait Angelus, non eſt, ſicuti alii, non eſt homo ordinarius; & Meſſias promiſſus; eſt Chriſtus Dominus & Rex univerſi, homo & Deus ſimul. Tecum reputa, quis lætitiæ ſenſus fuerit in animis paſtorum, ubi jam ſibi natum eſſe Salvatorem acceperunt. Applica hoc totum tibi, gaude unà cum paſtoribus beneficio mortalibus collato, & ora patrem æternum, ut tibi ſalutem conferat per

iſtum Salvatorem, quem pro te quoque miſit in mundum.

Tertium. Conſidera, quænam Angelus dederit paſtoribus ſigna, quibus Chriſtum reperirent. Primò quòd eſſent inventuri infantem. Secundo pannis involutum. Tertio non in lecto, non in cunis ſed in præſepio, & in ſtabulo poſitum. Quid narras, ô Angele? Annuncias paſtoribus populi Salvatorem, & ecce dat illis tantæ debilitatis, paupertatis & abjectionis indicia! quomodo fidem habebunt dictis? Ergo Meſſias tamdiu expectatus domunculam non habuit, in quâ naſceretur, ita ut in ſpelunca jaceat? Ita narrat Angelus, ut intelligant primum Filii Dei in terras pro nobis adventum eſſe omnino humilem, omnino pauperem, omnino ludibrio expoſitum, ſine ullo regiæ dignitatis apparatu. Hac inſtructione egebat mundus, hoc faſtus mundanus carebat exemplo. Mentem adverte, quod ſi Chriſtum reperire vis, illum reperturus es in humilitate, in contemptu rerum terrenarum, in corporis maceratione, quandoquidem eo animo venit, ut ad ſtudia hujuſcemodi virtutum corda mortalium accenderet. Vide utrum virtutes iſtæ egerint radices in anima tua; vide utrum eas ames, utrum exerceas. O quantum erubeſcere debes coram Deo! Quid deteſtabilius (ait Sanctus Bernardus) quàm ubi Deus ſe deprimit, exaltet ſe homo? nec ullatenus tolerandum eſt, ut poſtquam exinanivit ſe majeſtas, vermiculus intumeſcat. Et verò quæ major diligentia adhiberi poſſet ab hominibus in acquirendis temporalibus bonis, ſi Deus verbo & exemplo docuiſſet ea ſectari? Propones quærere & ſequi Chriſtum per humilitatem, per rerum terrenarum contemptum, per carnis macerationem & ſupervacanearum commoditatum exſpoliationem.

XXX. Decembris.

MEDITATIO XXXIV.

Paſtores eunt in ſpeluncam ſalutaturi Chriſtum natum.

Punctum primum. Conſidera, quomodo Angeli colloquium excepit numeroſa multitudo Angelorum laudantium Deum & cantantium, *Gloria in altisſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Ita ut omnes Angeli ſummis laudibus extollerent infinitam Dei miſericordiam, ſapientiam & fidelitatem, miſſo in terras filio ſuo Patriarchis promiſſo; ut pacem adventu ſuo inter Deum & homines conciliaret. Quàm juſtam occaſionem id dicendi habent Angeli? quàm magnam Deus miſericordiam mortalibus tunc exhibuit? enitere, anima mea, ſimilem animi affectum induere, & in beatarum mentium comitatu propter tam inſigne beneficium Deo gratias ſingulares rependere. Vide inſuper, quàm aptè partiuntur Angeli gloriam & pacem: Illa ſpectat ad Deum, iſta ad homines; ſed jure Sanctus Bernardus addit, diſplicere hominibus iſtam pacis & gloriæ partitionem factam ab Angelo. Quot homines reperiuntur, qui vellent & volunt ſibi gloriam, quæ debetur Deo, ſicque privantur pace, quæ ad illos pertinet? Mentem reflectes in te, ſi verè tibi vendices gloriam, quæ *Deo* debetur; & ô quoties! adverte præterea, pacem, quam Chriſtus deſert in terras, eſſe pacem, quam omnes non conſequuntur, ſed ii tantum, quibus *Deus* benevolentiæ ſuæ & gratiæ favores impertitur. Exopta tu particeps eſſe tanti beneficii ac reconciliari *Deo*, & roga illum, ut te benignè reſpiciat, te ſua benevolentia complectatur. hac ratione dignus eris, qui fruaris pace cum Deo & conſcientia tua.

Secun-

Secundum. Conſidera, quomodo paſtores audito nuncio de ortu redemptoris, fuerunt interius illuminati, atque excitati, ne ſpernerent gratiam tam ſingularem collatam ſibi, non ſcribis & magnatibus Judææ; quare *loquebantur ad invicem, tranſeamus atque Bethlehem, & videamus.* Attende primùm, paſtores non eſſe apertè juſſos ab Angelo, ut proficiſcerentur, ſtatuunt tamen proficiſci. Satis illis eſt, noſce bonum, ut illius conſequendi deſiderio teneantur. O Domine, quoties me invitas interius, ut te inviſam, tecum ſermones miſceam, tecum familiariter agam, & ne mihi incommodem, vel aliâ de cauſâ, fingo me non audire, & vocanti non reſpondeo, neque agnoſco quàm gravem injuriam inferam tibi, dum aures præbere renuo, quamque indignus evadam gratiis cœleſtibus, qui eas ultro oblatas abjicio? O me miſerum! quid eſt, quòd tamdiu repugnem? quæ res me retinet? commoditas mea, utilitas, reſpectus humanus. Rumpe ô Domine, catenas has, *Trahe me poſt te.* Cant. 1. ne tanti boni jacturam patiar. Secundo, paſtores ſeſe mutuo adhortantur, ut ſtatim itineri ſe committant. O quàm efficax exemplum mihi præbent, non avocandi alios à bono, ſed etiam eos ad virtutem hortandi, animandi, impellendi; nec verò illorum aliquis dicebat ſociis, ite & videte, ſed eamus & videamus. Quiſque ſocium ita hortabatur, ut ſimul euntem comitaretur, hinc diſco, me debere quidem alios verbis hortari ad ſanctitatem, ſed quò efficatiora ſint verba, iis exempla eſſe conjungenda hac ratione, ait Sanctus Paulus, *te ipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt* .1. ad Tim. 4. Tecum animo reputabis, an fueris è numero eorum, qui cæteros revocarunt à virtute, ſive vituperando ſanctas actiones, ſive eas in jocum riſumque convertendo? vel utrum hortatus ſis tantum alios, verba exemplis non confirmando? Luge errores præteritos, & ſtatue, bo-

num proximi promovere linguâ & manu, dictis ſimul & factis.

Tertium. Conſidera, quomodo tres ſimul paſtores nulla interpoſita mora greges ſuos deſeruerunt, & pergentes ſpeluncam verſus Bethlehemiticam, quâ ipſis Angelus indicarat, iter illud cum multa celeritate magnoque animi fervore confecerunt: Non fuerunt illi impulſi mera curioſitate vel deſiderio explorandi oculis, quod auribus ab Angelo didicerant, ſed pietate, ſed amore erga natum Salvatorem, ut illum officii cauſa inviſerent, colerent, adorarent, eiq; gratitudinis ſuæ teſtimonium exhiberent. O beatam illam animam, quæ cum magna diligentia & inſolito ſpiritus fervore progreditur in obſequio divino, omnem à ſe teporem abigit! O tuum in vita ſpirituali languorem! Et tamen maledictus eſt, qui facit opus Dei negligenter. O ſi lugeres tuas in vita ſpirituali negligentias, non præteritas tantum, ſed etiam præſentes! Memento, te ſervire Deo, qui meretur infinitum amorem. Attende præterea, quos ſermones toto itinere conferebant; quomodo tanti beneficii conſideratione ſuccenſi divinitus exardebant, donec ſpeluncam ingreſſi, Mariam, Joſephum & infantem in præſepio jacentem invenerunt. O felicem ſortem! O fortunatum occurſum! O ſuaves delibati paradiſi delicias, intueri triadem iſtam beatam! O ſi tu, anima mea digna eſſes, quæ vel ſemel videres Jeſum, Mariam & Joſephum! Vobis, ô paſtores, dici poteſt, *beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, Luc.* 10. Fac, Domine, merear hanc gratiam, ut in comitatu horum felicium paſtorum poſſim Mariam, Joſephum & ſanctum infantem reperire.

XXXI. Decembris.

MEDITATIO XXXV.

De modo, quem tenuerunt Paſtores ad ſanctum præſepium.

Pun-

Punctum primum. Conſidera, quomodo iſti paſtores in ipſo ſpeluncæ ingreſſu primoq; aſpectu ſanctiſſimi infantis in medio duorũ animalium reclinati coram Maria & Joſepho, ita vivæ fidei radiis fuerunt illuminati, ut omnis dubii ſuſpicione ſublata contra omnem veriſimilitudinem & rationem humanam, crediderint hunc infantem ſuum eſſe Salvatorem, quem parvulum, quem pannis involutum, mutum, & pauperrimum, ſupra fœnum jacere cernebant. Adeo verum eſt, Deum ſe ſimplicibus manifeſtare. Quot egregia & ſubtilia ingenia voluiſſent revelationẽ Angeli diligentius examinare, rationem humanam in conſilium vocare, movere quàm plurima dubia pro ſua ſiquidem prudentia ſingulari temere rebus fidem habere noluiſſent. Hi ſancti paſtores non ita enucleatè rem examinarunt, ſed cũ animi ſimplicitate, ſapientiæ humanæ longè anteferendâ crediderunt. O quàm verum eſt, ſæpius diſcurſus curioſos æternæ veritati repugnare! Qui vult omnia prius intelligere, quàm ea credat, nihil demum credet. Corde quippe ſimplici & humili delectatur Deus. Vide, utrum coram Deo procedas cum ſimplicitate paſtoritiâ, nolendo ſapere, plusquam oporteat. Pro certo habeas, Deum non manifeſtare ſe ſapientibus & prudentibus hujus ſæculi. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus*, ajebat Jeſus patri ſuo, *& prudentibus, & revelaſti ea parvulis*. Matth. 15. Demiſſè de te ſentias coram Deo, quò facilius venire poſſis in notitiam cœleſtium myſteriorum & amplitudinis majeſtatis divinæ.

Secundum. Conſidera, quam magni affectus conſecuti ſunt claram notitiam, quam paſtores habuerunt de nato Salvatore; quis ſtupor, quis amor, quæ compaſſio, quæ alacritas, quis fervor, quàm promptè ſe illi ſubmiſerunt, quàm ſtudioſè ſe illi obtulerunt! O quam ſtrictè adhæſerunt Chriſto, colligati, ſanctificati, in alios mutati! O ſi cor tuum hujuſcemodi arderet affecti-

bus! Adjunge te piis paſtoribus, unà cum eis infantem adora, tangat te illius miſeria. Nec verò ſolum egerunt cum divino infante. Sine dubio Virgini matri ſigna reverentiæ exhibuerunt, ſignificando illi apparitionem Angeli, data tibi ab illo indicia ad inveniendum infantem, & lætitiam, quam beati Spiritus teſtati ſunt, cum ſuaviſſimo muſicæ cœleſtis concentu admirantium aures demulſerunt. Non eſt pariter dubium, quin illis Virgo ſuæ benevolentiæ ſigna præſtiterit, ut iis, qui primi meruerint Jeſum natum agnoſcere; quin eos inſtruxerit atque in fide confirmarit. Digni prorſus invidia ſancti illi paſtores, utpote feliciores in ſua humili fortunâ, quàm potentiſſimi quique Reges & Imperatores. Adeo verum eſt, omnia eſſe, vanitatem præterquam noſſe te, amari à te ac benevolentiæ tuæ favoribus cumulari. Attende præterea ſingularem animi lætitiam, quam S. Joſephus percepit, ubi vidit jam ab hominibus honores referre eum, qui ſe pro illis exinanire non dubitarat, atque ex his omnibus tu aliquam pro anima tua utilitatem collige.

Tertium. Conſidera, quomodo Paſtores cum per aliquod tempus reverenter ſubſtitiſſent in ſtabulo, inde tam ardentes flammæ cœleſtis ardores retulerunt, ut omnibus palam enarrarent, quæ circa Chriſti nativitatem auribus oculisque uſurpaverant, nec ceſſarent, Deum ubique laudibus celebrare. Vide, ut gregis ſibi commiſſi curam reſumant, ita ut deliciæ cœleſtes, quas plenè ad cunas Chriſti deguſtarunt, non eis attulerint oblivionem paſtoralis officii. Cupit Deus, ut quisq; proprii ſui ſtatus obligationib. ſatisfaciat. Diſce tu quoq;, non deeſſe officio tuo. Inſuper adverte, quomodo aliis natum Salvatorem enunciant, & omnes Deum laudibus celebrant, nec tu prætermittere debes occaſionem juvandi proximum, ut fruatur & ipſe bono, quod tu poſſides, & multò magis exemplo horum

paſtorum

paſtorum cavere debes, ne te aliquando capiat oblivio beneficiorum, quibus te divina liberalitas afficit: Attende præterea quòd nonnulli verbis paſtorum impulſi ſpeluncam adierint, ſed ejus forſan vilitate atque paupertate repulſi, incognito Salvatore redierint; quia ſcilicet interiori lumine carebant. O quàm multis Chriſtianis idem accidit, qui Chriſti myſteria apud ſe non magnifaciunt! Forte tu ex illorum numero es? precibus Deum ſollicita, ne te ſinat tantæ miſeriæ ſubjacere. Denique attentâ mente conſidera, quomodo Virgo apud ſe tacitè revolveret, quæ audiebat à paſtoribus, circa apparitionem Angeli, & ſecum ea conferebat, conſolationis ſuæ gratia, cum illis quæ ſibi in annunciatione & partu contigerant; tum profundiſſimam incarnati verbi humilitatem comparabat cum majeſtate, quam in ipſo agnoſcebat, ſtabulum cum cœlo: viles pannos cum luce veſtiente, præſepium cum throno cœleſti, animalia, in medio quorum Jeſus jacebat, cum Seraphinis, qui regnantem in gloria circumdabant. O ſanctum exercitium! ſimiles cogitationes ſuſcipe ad imitationem Virginis; quantò tu felicior eſſes, ſi tempus in tam ſanctâ occupatione tranſigeres? Hoc opta, hoc propone. Hoc roga Virginem, ut impetres.

I. Januarii.

MEDITATIO XXXVI.

De Circumciſione Domini noſtri.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo cum octavus ab ortu dies illuſceſceret, in quo infantes Hebræorum circuncidebantur, juxta legem à Deo datam Abrahæ, ac noxa primi parentis delebatur, ut populo à Deo electo adſcriberentur, jure Chriſtus ab hac circumciſionis lege immunis erat, quippe qui labem originalem non contraxerat ſimulque erat Deus & ho-

mo; ac proinde Virgo & S. Joſeph de infante circumcidendo cogitare non debebant, tamen ille inſpiravit matri ſuæ & S. Joſepho, ut huic legi quantumvis duræ & difficili ſe ſummitterent. O Domine, non ſatis tibi eſt, tot labores, totque incommoda perpeti, cum tantâ paupertate, ut cultri dolorem in tenera carne deſideres experiri: Tanto deſiderio teneris jam nunc patiendi, & ſanguinem tuum profundendi? Quis non ſtupebit, ô mi Jeſu ad obedientiam tam promptam, tam accuratam tametſi legi non ſubjaceres. Num luculento teſtimonio confirmas deſiderium, quo flagras de nobis bene merendi? quàm egregium certè exemplum mihi præbes non recedendi unquam ab officio meo, quantumvis graves difficultates occurrant, cum tu immunis & liber à lege, te ipſe ultro legum ſeveritati ſummittas! Dum hæc reputas, anima mea, num tota deberes pudore ſuffundi? Quoties ut aliquam fugias incommoditatẽ, tecum ipſa diſpenſas in iis, quæ ſunt muneris tui! Et hoc eſt imitari Salvatorem tuum? Excita in te deſiderium inſiſtendi veſtigiis hujus divini infantis, & diligenter explendi, quicquid tibi Deus præceperit quantũvis grave, nec aperto tibi mandato ſignificatũ. Satis tibi eſt, quod placeas Deo, exẽplo Chriſti, qui ſe ſumittit circumciſioni quia ſciebat illam fore patri ſuo gratam atq; acceptã.

Secundum. Conſidera, quomodo Virgo & S. Joſeph (Deo illis hanc mentem injiciente) cum agnoviſſent, hanc eſſe Dei voluntatẽ, ut infans circumcideretur, obedire ſtatuerunt. Adverte fortitudinem Virginis. Mater erat, tenerrime amabat filium ſuũ, ſciebat magnum fore doloris ſenſum, tum propter ætatis teneritudinem & temperamentum maximè delicatum, tum multo magis propter plenitudinem cognitionis quâ præditus erat; in quo diſcrepabat à reliquis infantib. qui perferenda non prævident; quamobrem Virgo ſummopere filio compatiebatur; nihilominus affectui materno non cedit, licet paſſurus ſit filius; præfert voluntatem divinam privato

dolori,

dolori,& cum magna animi fortitudine,vel ipſamet,vel S. Joſephus operi manum admovet &manantib.licet ex oculis lachrymis non deſiſtit,donec voluntatem divinã executioni mandarit.Quam rarũ exemplum mihi præbetur ſuperandi omnem cordis affectũ,quando agitur de implendo Dei pręcepto! Quanquam videamus,rem proximo non fore gratam,tamen charitas vera,tametſi patiens & benigna,omnem affectum humanũ Dei cauſa fortiter ſuperat,retinet aculeum,quo pungat,quando voluntas divina ita exigit. Ecquis, ô ſanctiſſima Mater, tunc temporis erat ſenſus animi tui? tuis nimirum ex oculis lachrymas profundebas amaras dum filius ſpargebat ſanguinem ſuum; imò culter ille,qui teneram infantis carnem vulnerabat,eodem ictu cor tuum crudeliter diſſecabat,nihilo tamen minus ſuperato omni alio affectu uni voluntati divinæ implendæ incumbebas. O ſi ego te imitarer,& omnem affectum humanum generosè conculcarem,cum divina lex imperat! ita ut dicere poſſem cum Apoſtolo ad Gal.1. *Cum autem placuit ei,non acquievi carni & ſanguini.*

Tertium.Perpende dolorem,quem hoc novo martyrio paſſus eſt infans ſanctiſſimus,acerbum certè,cum ex eo perſæpe infantes morerentur,ſed multò acerbiorẽ, quòd Chriſtus delicatiſſimo foret temperamento,atq; adeo dolori magis pateret,imò plenâ& perfectâ cognitione præditus eſſet,ac proinde futuri tormenti timore cruciaretur.O bone Domine,quàm citò incipis agere pœnitentiam de peccatis meis! Quæ peccata cœpiſti lugere,cum primũ in lucem veniſti,hęc ſanguine tuo laviſti poſt octiduũ vitæ tuæ.O quantò carius tibi indies conſtabit ſalus mea! Nunc quidẽ pauculas guttas ſpargis,at hæ pignora ſunt fluviorum ſanguinis,qui èx toto corpore promanabunt.O quam carè tibi conſtare incipiunt animæ: Certe non injuria dicere poſſum,*ſponſus ſanguinum tu mihi es*.Exod.4. Atenim dicere nequeo,me tibi parem gratiam referre; Nam licet tibi

ſanguinem debeam, ne unam tibi lachrymam ex verâ compunctione rependo. Erubeſce, quòd ſub tanto magiſtro adhuc non didiceris, ſenſus tuos domare, frangere cupiditates quidquid in te eſt ſuperfluum & terrenum, reſecare, & JESUM obſecra per ſanguinem, quem primo anni die ſpargit, ut tibi gratiam concedat, qua poſſis illi vivere toto hoc anno, quem ordiris, & jam nunc eidem conſecra cunctas actiones, verba omnia, & ſingulos motus cordis tui, renuntians omnibus deſideriis, deliciis & commodis, quæ ſanctisſimæ Jeſu voluntati repugnant.

II. Januarii.

MEDITATIO XXXVII.

De cauſis, propter quas Dominus voluit circumcidi.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo nonnulli futuri erant, qui dicerent, Chriſtum Dominum non aſſumpſiſſe ſibi verum corpus, ſed phantaſticum & imaginarium, vel potius cœleſte & non humanum; ac proinde voluit circũciſionis legi ſubjacere, ut ſanguis, quem ſpargeret, & caro, quæ ſecaretur, fidem facerent, ipſum eſſe verum hominem ſimilem nobis, infirmum & doloribus obnoxium. O ſi ego in anima mea præſtarem, quod Jeſus ſuo præſtat in corpore! contentus ſum ſpecie virtutis, & virtutem ipſam abjicio, amo videri, at eſſe bonus non multum laboro. Quod ad vitium attinet, longè aliter me gero, re ipſa malus ſum, & bonus haberi volo. O Domine, quando ego veram ſolidamque virtutem posſidebo, nec ſola ſpecie virtutis contentus ero? Hactenus verè poſſum dicere & confitere, ut ait Apoſtolus ad Cor. quod *factus ſim velut æs ſonans, aut cimbalum tinniens*, nihil aliud in corde meo eſt præterquam vanitas & ſonus, virtus autem nullatenus. Vide, quòd Jeſus declaret ſe

verè

verè carnem humanam aſſumpſiſſe, dum ſe dolorib. & cruentæ circumciſioni ſummittit. Tu certe gloriari non potes, quòd veram virtutem poſſideas, cum nobis quid tolerare pro Deo, vel reſecare, quod ſuperfluum eſt in cogitationibus, verbis & operibus tuis. Largire mihi, Domine, hanc gratiam quã te etiam atq; etiã rogo, ut quemadmodum tu ipſe te verum hominem probas ſanguinis effuſione, ita ego me verum nominis tui ſervum eſſe declarem, domitis cupiditatibus meis, & voluntario crucis amplexu.

Secundum. Conſidera, Jeſum voluiſſe circumcidi, ut ſe Filium Abrahæ teſtaretur, cui Deus injunxit, ut ſe ſuosque omnes poſteros circumcideret. Non poteras, ô bone Jeſu, profiteri te originem trahere ab Abrahamo, cui Deus promiſerat, fore ut Meſſias ex ejus ſtirpe naſceretur, niſi tibi ſignum imprimeretur, quod laturum erat & dolorem & verecundiam, quaſi peccator eſſes, cum tamen peccato ſubjacere non poſſis? Tamen non refugiſti notare hoc ſigno tuam ſanctiſſimam carnem, nec ignominiæ duxiſti te unum ex poſteris Abrahami profitere. Quàm illuſtre mihi præbet exemplum, ut ea opera non fugiam, ex quibus alii colligere poſſunt, me velle Chriſtianè & religioſè vivere, tuis veſtigiis inſiſtere, & me tibi in adoptionem mancipare. Quam parùm profeci ex hac doctrina? Quoties puduit me declarare verbis vel factis, quod eſſe profiteor. Vanus aliquis timor, reſpectus humanus, dicterium aliquod me ſæpius à bene operando deterruit. Perges in poſterum ita te gerere? ſubjicit ſe Deus, & per ſummum dolorem & opprobrium inſignia Filii Abrahæ non detrectat, & tu Deum ſequi, ejuſque inſignia geſtare verecundaberis, quanquam honoris jacturam & crucem pati deberes? Certe non oporteret rem ita eſſe; & tamen quàm longe abſum ab imitatione Chriſti? Fac, ô Domine, ut de-

mum omnem timorem excutiam ; non me pudeat, ſed glorier potius, quòd tuus ſervus & ſectator agnoſcar.

Tertium. Conſidera Jeſum voluiſſe hoc levi ſanguinis rore ſatisfacere pro peccatis contra puritatem admiſſis. Aquæ diluvium non ſufficit, ô Domine, ad abſtergendas maculas mundi ; tu incipis dare pœnas iſtorum præſertim peccatorum, eaque ſanguine luere ? Vide, quanti illa conſtent Filio Dei, & tu ſimilia peccata deteſtare, non tantum tua, ſed quotquot ſunt peccata, in quibus mundus immerſus jacet. Inſuper adverte, Jeſum voluiſſe circumciſione ſua finem imponere circumciſioni, quam lex Hebræorum imperabat, & dare initium alteri circumciſioni ſpirituali, congruenti cum lege gratiæ, quæ circumciſio ſpiritualis non unam tantum corporis particulam circumcidit, ſed quicquid in anima vitioſum eſt, quicquid in potentiis ſuperfluū; quicquid in ſenſibus externis, in paſſionibus & affectibus cordis rationi contrariū, fortiter amputat, adverte, hanc circumciſionem eſſe alterâ tantò perfectiorem, quantò anima nobilior eſt corpore. Quantum tibi debeo, Domine, quòd mihi præceperis circumciſionem tanti momenti, quæ non uno cultri ictu perficitur, ſed toto vitæ tempore continuatur ? Fac, Domine, ut noverim hujuſce circumciſionis dignitatem, mihi gratiam largire, quâ illam exequar. Quantum mihi timendum eſt à me ipſo, cui deſunt animi ad ſumendum generoſæ mortificationis cultrum, quo reſecem, quicquid incompoſitum eſt in memoria, in intellectu, in voluntate & appetitu, in ſenſibus meis, atque in omnibus aliis motibus ? ſubminiſtra vires debilitati meæ ; hanc corrobora te rogo atque obſecro, per meritum ſanguinis illius, quem in circumciſione profudiſti. Quàm pauca hactenus feci ? & tamen tempus jam exigeret, ut incipere ſtatuerem ; ſic etiam ſtatuo.

III. Ja.

III. Januarii.

MEDITATIO XXXVIII.

De virtutibus, quas Jeſus exercuit in circumciſione.

PUnctum primum. Circumciſio erat Sacramentum veteris legis, in quo per fidem & ſpem in Meſſiam futurum, & per obſervationem legis divinæ, remittebatur infantibus noxa primi parentis; ita ut Sacramentum iſtud eſſet nota & remedium peccatorum. Hic porrò attentâ mente conſidera magnam Chriſti circumciſi humilitatem. Ille peccare non poterat, utpote Deus & homo, author gratiæ, & agnus Dei, qui tollit peccata mundi; attamen hujuſcemodi remedium & characterem peccatoris in ſe ſuſcipere non detrectat. Quid facis, ô Domine? quis iſte inauditæ humilitatis exceſſus? In incarnatione formam hominis aſſumens, factus es minor Angelis; nunc in circumciſione ulterius progrederis, & ſpeciem peccatoris aſſumis. Num fortaſſis times, ne cadat in te maledictio *maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo?* Gen. 17. Et quomodo agnoſcet te Pater, ſignatum hoc peccatoris charactere, qui tantopere à ſua majeſtate abhorret? Quid habet imago peccatoris commune cum fonte ſanctitatis? non habere vulnus, nec cicatricẽ, & adigi ad remedia, quæ nonniſi vulneratis adhibentur? Enimvero patet, quàm jure à S. Paulo humilitas vocata ſit *Virtus Chriſti*, cum eam pro vitæ ſuæ fundamento ponere voluerit. Quantum pudoris mihi debet afferre iſtud exemplum? O ſuperbiam! gloriamur de peccatis, & erubeſcimus remedia, non reveremur Deum peccando, & veremur, ne ab hominib. peccatores habeamur. Quæ major miſeria? Vix cognoſcimus utplurimum peccata noſtra, & iniquius ferimus, quòd ab aliis cognoſcamur. Mali ſumus propenſione ad malã, & pejores difficultate, quã ſentimus in malo curũdo volen-

volentes haberi in opinione hominum, quod reapſe non ſumus. O Jeſu bone, cura humilitate tua ſuperbiam meam, *& concede mihi* (dicam cum Sancto Auguſtino) *propitius theſaurum humilitatis tuæ in ſolit.*

Secundum. Conſidera, eò clarius eluxiſſe in circumciſione humilitatem Chriſti, quòd nihil pompæ adjungere voluit huic operi, ex quo, ſicut ex aliis operibus poſſet ſibi aliquam ampliſſimi nominis famam conciliare; Si naſcitur vagiens & tremens, eum Angeli prædicant, eum paſtores & magi adorant: ſi veluti peccator offertur in templo, de eo Simeon magna prædicit; ſi baptizatur à Sancto Joanne, cœlum aperitur, & Pater ſuum filium eſſe declarat; in ipſa demum paſſione dignoſcitur à creaturis ſenſu carentibus, imò & ab iis, qui cruci eum affigebant, palam confitentibus, quò verè Filius *D*ei eſſet. Hîc in circumciſione nec Angeli, nec Sol, nec miracula declarant hunc infantem alium eſſe ab eo, quod præ ſe fert. Videtur omnino ſui ſuæque exiſtimationis eſſe oblitus. Quot fuerunt neceſſaria ad illuminandam cæcitatem meam, & deprimendã ſuperbiã, & ea omnia culpa mea effectu carent? peccare me delectat, & peccator videri volo, virtutẽ ſectari me piget, & alius ab eo, qui ſum, haberi volo. O ſi bene noſſẽ, quàm parum noſtra refert reputari peccatores, modò non ſimus rei corã *D*eo! Fac, ut capiam veritatem iſtam, quam me tuo doces exemplo, & intelligam æterno opprobrio affici non poſſe eũ, qui peccator exiſtimatur licet ſit innocens. Appares tu peccator, ſed nõ es, quod adeo tibi non officit apud *D*eum, ut potius illi gratior exiſtas, ſub ſpecie peccatoris: ita mecum agetur, ſi me deprimam; gratior ero divino numini, quantumvis ab hominibus in numero peccatorum reponar.

Tertium. Conſidera, charitatem admirabilem, quæ eluxit in Chriſti circumciſione. Amor, qui illi pro lege erat, primitias ſanguinis ex ejus ſacratiſſimo cor-

pore

pore non ſine vi, & ſenſu doloris extraxit. Introſpice cogitatione cor Jeſu, & vide, quibus ardeat flammis, quo ardore expectet tempus illud, quo primam redemptionis noſtræ ſolutionem repræſentaturus eſt, & primos cultri dolores toleraturus. Ea erat vis affectus & deſiderii in Jeſu, ut octiduum illud multorum annorum ſpatia duratione ſuperaret. Chriſtus non magni facit, ſuum nobis amorem declarare operando ſublimia, ſed humilia & acerba quæque patiendo. Quantum debeo coram te, ô mi Jeſu, rubore ſuffundi? non es ſegnis in patiendo, plus mora pœnæ, quam pœna ipſa te cruciat; Ego vero in obſequio tuo tardum & negligentem me præbeo, vel minima difficultas, quæ occurrit propter te ſuperanda mihi gravis eſt; rem nunquam ad exitum perduco; nec mirum eſt, cum meus erga te amor verbis potius, quàm factis, ſimulatione, quàm veritate contineatur. Una gutta ſanguinis tui verum amorem accende demum in corde meo, & fac, ut verbis facta reſpondeant, neque, ut hactenus erga te adeo tepidum & negligentem me geram.

IV. Januarii.

MEDITATIO XXXIX.

De ſanctiſſimo nomine Jeſu.

P*Unctum primum*. Solenne erat apud Hebræos, imponere nomen infantibus eo die, quo circumcidebantur; Hic mos ſervatus fuit erga ſanctiſſimum infantem & vocatus eſt Jeſus, congruenter ad id, Archangelus Grabriel Virgini dixerat, cum illi attulit nuntium, & ſancto Joſepho, cum ab eo removit ſuſpicionem, quam de graviditate Virginis conceperat. Conſidera, quàm reverenter hac prima vice protulerunt hoc ſanctiſſimum nomen Virgo & ſanctus Joſeph; ambo in genua prociderunt, & cum magno animi ſenſu nominarunt infantem Jeſu, hoc eſt, Salvatorem. Diſce-

ſce tu quoq; reverentiam, cum quâ proferre debes hoc nomen: Attende inſuper conjunctionem circumciſionis cum nomine Jeſu, ita ut ſi circumciſio eſt character peccatoris, nomen indicet eum eſſe Salvatorem, non tantum corporũ, ſed etiam animarum & quidem haud contra hoſtes viſibiles & temporalem ſervitutem, ſed contra tyrannidem dæmonis & peccati. O fœlix, ô lætum nuntium! Quantum his verbis exhilarari debet anima tua! *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis.* Sanctè accede, anima mea, ad hunc divinum infantem. Gaude, quòd Salvator ſit, licet peccatoris ſpeciem præſe ferat, expone illi neceſſitates tuas; hunc roga, ut ſit tibi Jeſus, ſit tuus Salvator, in te ſanctiſſimi ſui nominis efficacitatem exerat, ut ejus beneficio ſalutem æternam conſequi poſſis.

Secundum. Conſidera, hoc nomen non fuiſſe excogitatum in terris, ſed delatum è cœlis, ſed miſſum à Patre æterno, cujus eſt nomen imponere filio ſuo, quem generat ab æterno & quem perfectè cognoſcit; quare eſt nomen maximè proprium Chriſto cujus merita pleniſſimè nobis exhibet. O nomen diviniſſimum, ego te adoro in tua origine, atque in ore ſacratiſſimo Patris æterni. Inſuper attende, hoc nomen ſignificare duas filii naturas, humanam ſcilicet & divinam, ſine quibus eſſe non poſſet perfectus hominum peccatorum Salvator, quia nec ſola natura humana cumulatè ſatisfacere, nec pati ſola natura divina poterat. Gratulor tibi Jeſu nomen quod tua merita tuasque perfectiones ſua ſignificatione complectitur; quoties illud ore proferam, toties volo, te ut Deum & hominem honorare, & fateri atq; agnoſcere, quæ in eo ſublimia merita continentur. Deniq; hoc nomen eſt veluti inſtrumentum Sp. S. quo utitur ad mirabilia exequenda, ſine cujus gratia proferre non poſſum hoc nomen, cum eo affectu eaque fide, ut mihi prodeſſe poſſit ad vitam æternam, quemadmo-

dum

dum ait S. Paulus. Fac, ô ſancte Spiritus, ut ſanctiſſimum nomen Jeſu altè hæreat in corde meo, & frequenter in ore meo verſetur, eo utere tanquam inſtrumento, quo opereris in anima mea prodigia tua, & ego reverenter ſæpius ingeminando ſanctiſſimum idem nomen Jeſu, æternæ beatitudinis præmia conſequar.

Tertium. Conſidera virtutes iſtius nominis: & primò, ut dicatur eſſe ſuper omne nomen, in quo omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Eſt nomen medicinale, quod curat animę morbos, ac proinde aſſimilatum oleo; *Oleum effuſum nomen tuum.* Cant. 1. oleum ſparſum primò in Judæa, deinde per omnes partes orbis univerſi. Et jure S. Bernardus addit, hoc nomen propter ſuam dulcedinem eſſe mel in ore, propter concentum eſſe melos in aure, & propter ſuavitatem eſſe jubilum in corde. Quàm magno igitur in pretio habere debes nomen tam excellens, cum quanta amoris teneritudine illud pronunciare, cum quanta reverentia & pietate proferre vocabulum, quod tibi exhibet hominē Deū, hoc eſt, Deū amoris, miſericordiæ, bonitatis! Statue igitur, anima mea, ſæpius hoc ſanctum nomen pronunciare, & crebro ingeminare cum S. Auguſtino, *Jeſu, eſto mihi Jeſus, & ſalva me.*

V. Januarii.

MEDITATIO XL.

De eodem argumento.

P*Unctum primum.* Conſidera, Chriſtum non ſine myſterio ſparſiſſe ſanguinem ſuum & aſſumpſiſſe nomen Jeſu, ſive Salvatoris. Voluit nimirum declarare, ſe quidem non fore Salvatorem peccatorum, niſi ſanguinem vitamque profunderet, ac proinde pauculas illas cruoris guttulas eſſe pignus rivorum ſanguinis, quas profuſurus erat in cruce; nos verò eodem tempore monebat, quòd ſi velimus ſaluti noſtræ conſulere debemus crucem amplecti, pravam

animi cupiditates coercere, nec ſanguini & vitæ parcere; O ſi penetrares hanc veritatem! *Qui ſunt Chriſti* (ait S. Paulus ad Gal. 5.) carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Expende diligenter anima mea, hæc verba; falleris; ſervire Chriſto non potes, niſi ſpiritualiter te crucifigas. Vide, utrum primum mallei ictum ad te cruci affigendum incaſſeris. Fruſtra tibi blandiris tuum eſt pœnas exigere ab homine veteri, à paſſione, quæ prædominatur, à vitio, quod ſummum in ſe imperium tenet; exclamare debes generoſè, *crucifigatur, crucifigatur, reus eſt mortis*. Feciſtine illud hactenus? facis jam? quid cogitas? quid moliris? accuſare te ipſum debes, & pœnas repetere. Hei mihi, omne aliud ago, & tamen *ſine ſanguine non fit remiſſio*. Neceſſe eſt, ut tu ipſe ſis reus, accuſator, judex, & animadverſor. Roga Jeſum, tibi ut vires ſubminiſtret, ut quemadmodum ille ſparſo ſanguine tibi Salvatoris nomen comparavit, ita tu repetitis à te pœnis ſalutem conſequaris.

Secundum. Conſidera, Chriſtum evadere Salvatorem ſpargendo ſanguinem, ſed non eodem ſemper modo. Primus modus fuit in circumciſione per manum, non inimicam illam quidem, ſed ſanctiſſimæ Virginis vel ſancti Joſephi, aut Sacerdotis alicujus, exercendo actum religionis & cultus divini. Alter modus fuit in horto, quando ipſemet dolorum ſuorum artifex fuit atque ex omnibus venis copioſum ſanguinem ſudavit. Tertius modus ſpargendi ſanguinem ſuum fuit per manus carnificum, tempore paſſionis: ita pariter tu, ſi ſaluti tuæ conſultum velis, æquo animo ferre debes, quòd Patres ſpirituales & ſuperiores cooperentur circumciſioni ſpirituali tuarum cupiditatum, & occaſionum omnium, quæ tibi beatitudinis viam præcluderent, debes inſuper ultro reſecare ſuperflua & coercere cupiditates, deniq; proficere ex rabie & mali-

tiâ

tiâ inimicorum tuorum, & patienter ferre, ut illi quoq; ſint iſtius circumciſionis miniſtri. O quanti tua intereſt, ut tu hanc doctrinam reducas ad praxim! Hactenus non fuiſti miniſter circumciſionis tuæ, & abhoruiſti ab eo, qui tibi id officii præſtabat. Stude in poſterum, te tuaque omnia divinæ voluntati relinquere, nec elabi ſine occaſiones, quæ per diem ſe offerent progrediendi in obſequio divino.

Tertium. Conſidera, quam diligenter ſanctiſſima Virgo collegit ſanguinem, quem filius ſparſit in circumciſione, & quam magno in pretio illum habuit. Noverat ſanguinem eſſe valoris infiniti, quòd eſſet ſanguis ſparſus ab eo, qui erat Deus & homo, ſciebat ſanguinem illum à filio ſpargi libenti prolixoque animo, ut pro hominibus ſatisfaceret, eoque tanquam balneo peccatrices animæ lavarentur; Non ignorabat, eundem ſanguinem, clementius ſanguine Abelis, vocem attollere, non ut vindictam, ſed veniam à Patre ſuo æterno pro mortalibus impetraret. Adora tu pariter, anima mea, has guttas ſanguinis, in quibus pretium tuæ ſalutis continetur. Has cum ſanctiſſimâ Virgine venerare; has ſimus offer Patri æterno; per eas humillimè roga ipſum, ut erga te miſericordiam exhibeat, gratiamque tibi largiatur, quà fiduciam tuam colloces in hoc pretioſo ſanguine, quem Jeſus pro tua ſalute tam liberaliter libenterque profudit.

VI. Januarii.

MEDITATIO XLI.

De Vocatione *M*agorum ad ſtabulum Bethlehem.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo cum natus eſſet Jeſus in ſtabulo Bethlehem, ut mundum ſalvaret, eumque redimeret, eâ de re Pater æternus voluit certiores fieri homines; & quidem ab Hebræis incœpit, ut à populo inter omnes nationes electo, & Ange-

lorum miniſterio Chriſti nativitatem paſtoribus ſignificavit, nec prætermiſit Gentiles, ſed tres Magos ad ſe ſtella duce perduxit. Attende Dei bonitatem; neminem à communione ſuæ ſalutis excludit. *Illuminat omnem hominem*, & inſtar ſolis radios ſuos longe lateque diffundit. Gratias illi age pro iſto beneficio, in cujus partem tu quoque venis; gentilitate ſiquidem ad Verbi incarnati notitiam vocatâ, tu quoque eodem gaudes favore. Quàm magnum beneficium eſt, fide illuminari! *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te.* Memorem animum præſta erga Deum, qui tibi mentem colluſtrat fidei lumine. Diſce præterea ex his, quæ fecit hac occaſione Pater æternus, eodem modo te gerere erga proximum tuum, omnes diligere, ſingulis bene velle, nemini invidere, non uni potius parti favere, quàm alteri, non habere rationem perſonarum, ſed cor tuum charitate dilatare, exemplo Moyſis, Num. 11. dicentis, *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum ſuum?*

Secundum. Conſidera ſtatum miſerabilem in quo gentilitas verſabatur prius, quàm ad fidem & ad Verbi incarnati notitiam vocaretur. Infelix adorabat creaturas inanimes, animalia, homines ſceleratos, dæmones ipſos; Hi erant Dii, quos colebat; non agnoſcebat verum Deum, qui ipſam creaverat & conſervabat: verſabatur in obſcuriſſimis tenebris, in medio umbræ mortis, atque innumera execrandorum ſcelerum multitudine: Tamen *populus, qui habitabat in tenebris, vidit lucem*. Iſai. Nihilominus Deus oculos miſericordiæ ſuæ convertit in gentilitatem, ut ipſa ſuas miſerias & infelicem ſtatum, in quo jacebat, agnoſceret. Mentem reflecte, & diligenter attende quo progreditur malitia, ad quod præcipitium nos deducit; ad quam ignorantiam, ad quem ſtuporem: Ex altera parte, tecum ipſe perpende divinæ charitatis exceſſum, quæ

bene-

beneficiis afficit eum, à quo injuriis afficitur. O quantum deteſtari deberes quodlibet peccatum, quod eſt ſpiritualis idololatria, & quo creatura Deo præfertur: quanto amore proſequi deberem tantam bonitatem, quæ tametſi graviter offenſa, malè de ſe meritos beneficiis cumulare non ceſſat? O ſi exemplo Salvatoris tui compati ſcires tot infidelibus, qui luce cœleſti privantur; veram illorum converſionem optare, ac pro viribus tuis adlaborare, ut mortales omnes agnoſcant tantum Deum, eique inſerviant.

Tertium. Conſidera, quomodo iſti magi dediti erant aſtrologiæ, & quid fecit Dominus, ut eos ad ſe vocaret? eorum ſtudiis morem geſſit, novam in oriente ſtellam accendit, quæ novi principis ortum declarabat: Nec ſolum præſtitit ſignum, ſed ſigni quoque notitiam ac ſecretâ internaque inſpiratione effecit, ut mentem adverterent ad illud, quod ſtella ſignificabat. *Dedit denique intellectum, qui præſtitit ſignum*, ut ait Sanctus Leo. Vide, quomodo neceſſe eſt, ut Deus venientes ad ſe & vocet, & moveat, & excitet & illuminet & accendat. Adeo verum eſt, neminem poſſe venire ad illum, niſi trahatur à Patre: quamobrem clama ſeriò ad Dominum, *trahe me*. Vide inſuper, ut ille ſeſe ad ſtudia noſtra accommodet, ut animos noſtros ſine vi & ſuaviter ſibi conciliet. Hunc roga, ut ita tecum ſe gerat, & tu quoque enitere, ut cum Sancto Paulo ſis omnibus omnia, ut omnes Chriſto lucrifacias, denique deeſſet aliquid beneficio Magis collato, ſi ſtella nova luxiſſet in oriente, neque alia interna ſtella eorum cordibus illuxiſſet; ſine hac internâ ſtella ſuo fine caruiſſet externa. Deum roga, ut eadem tecum miſericordiâ uſus, tibi mentem illuminet ad attendendum miſericordiæ divinæ,

ne tuâ culpâ reddatur inutilis & infructuoſa vocatio & pœnas, ingratitudinis tuæ pendas, quòd tot inſpirationibus gratiisque cœleſtibus non reſponderis. Demum bono ſis animo, vocat Deus non quærentem ſe, quantò lubentiùs ſe præbebit inveniendum ab iis, qui ipſum quærunt & deſiderant? Excita in te iſtud deſiderium.

VII. Januarii.

MEDITATIO XLII.

De Magis reſpondentibus vocationi.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo non ſatis erat comparuiſſe ſtellam, quæ Magos ad divinum infantem deduceret, niſi ipſi cœleſti vocationi paruiſſent; ex quo intelligas, tibi eſſe gratiæ Dei cooperandum. Deus non vult vim nobis inferre; agit nobiſcum, ut cum cauſis liberis; relinquit omnino liberum noſtræ libertatis exercitium, quare dicebat Sanctus Paulus, non ego, ſed gratia Dei mecum. Hinc collige, tibi eſſe laborandum in rebus, quæ pertinent ad ſalutem tuam; non debes eas negligenter tractare, ſed exequi, quæ tibi ſuggerit Deus, & uti ſubſidio, quod tibi præbet. Agnoſce beneficium tibi collatum à Deo, libertatem humanam nobilitante, dum eam occupat in tam nobili materia, qualis eſt ſalus & juſtificatio propria: Ex alterâ parte pudeat te, quòd potentiam ita nobilem, qualis eſt propria libertas occupes in rebus abjectioribus & temporalibus, & ut plurimum tuæ ipſius ſaluti contrariis. Statue, inpoſterum ita te gerere ut divinas inſpirationes defectu cooperationis non reddas infructuoſas, & à Deo gratiam poſtula, quâ ſerio pro viribus tuis ſaluti tuæ conſequendæ inſiſtas.

Secundum. Conſidera, quomodo ſtella illa quæ in oriente apparuit, non à tribus Magis duntaxat viſa eſt, ſed ab omnibus, attamen non eum in aliis, quem in

tribus Magis effectum ſortita eſt, ſive quia illam alii non magnifecerunt, ſive quia nolebant ſibi incommodare & iter arripere, ad quod ſpectantes invitabat. Vide, quàm parum tangantur mortales amore rerum cœleſtium, & quàm ardenter appetant temporales. Tres tantum è multitudine innumera hominum ſubiit cogitatio, ſtellæ ductum ſequi. De quo igitur poſſumus expoſtulare? non certe de Deo, at de nobis qui vocanti Deo aures præbere recuſamus: Et Deus jure conqueri poteſt de paucitate eorum, qui ſequuntur facem, quam præfert, & ſuis gratiis reſpondent. Te collige. Ah quoties, ô Domine, juſtè conqueri potes de me, qui hactenus abuſus ſum, & jam abutor gratiis tuis! *Numera ſtellas, ſi potes*. Geneſ. 15. quas Deus accendit in anima tua, ut te deduceret ad ſe, & tu forte manes in eodem loco; non te movisti affectu & bonis operibus, quibus illum quæreres. Roga Deum veniam de præteritis, & poſtula gratiam, qua favores tibi collatos non reddas inutiles.

Tertium. Conſidera, quomodo Magi adverterunt quidem apertè, reliquos mortales nihili vel parvi facere ſtellam, quæ apparuerat, at non ita ſecum ſunt ratiocinati. Tanta hominum multitudo non ſe movet ad aſpectum ſtellæ, nos ſumus tantum tres, qui novum Regem indagamus. Quorſum nos velle plus aliis ſapere? Num ſatius eſt, ut imitemur alios qui ſubſiſtere decreverunt? Non is fuit eorum diſcurſus. Promptè inſpirationi divinæ paruerunt; non eos tot hominum exemplum retardavit, vel in aliquam dubitationem adduxit. Diſce hinc, non duci aliorum exemplis, quando agitur Dei obſequium. Non eſt multitudinis, in hujuſcemodi rebus conſilium dare; quia pauci ſunt, qui Deum velint, ſed debemus conſulere legem divinam, rectam rationem & lumen fidei; quanto enim minor eſt numerus eorum, qui cum virtute & laude

operantur, tantò in iis imitandis major eſt gloria. Erubeſce in conſpectu Domini, quòd hactenus actiones ſuas ad hanc regulam non direxeris. Gratulaberis his ſanctis Magis, quòd lumine interno regerentur; Gratias ages Salvatori, quod eos ſibi in primitias gentilitatis elegerit. Hunc rogabis, ut tibi adſit, teque in ſemitam rectam deducat.

VIII. Januarii.

MEDITATIO XLIII.

De egreſſu Magorum è patria.

P*Unctum primum.* Conſidera magnitudinem animi trium Magorum in deſerendâ Patriâ. Non eos palatiorum magnificentia detinuit, non itineris incommoditas deterruit, non Regis quem quærebant ignorantia ubi eſſet retardavit. Æſtuant ardenti illius deſiderio, viva fides & grandis in divina providentia fiducia ſunt comites profectionis. Vide, quanta ſit iſta magnanimitas, & tamen rudes (ut ita dicam) erant in cognitione Dei. O quam potens eſt gratia, quando ſubit cor, ut illud ab omnibus expediat? qua efficacitate operabatur in eorum animis natus infans? O Felices Magi! O viri fortitudine verè regiâ præditi, qui vos rebus omnibus ſponte privatis, ut Deum factum hominem inveniatis! Quanto rubore ſuffundor ego, cui poſt tot annos cognitionis, fidei, & luminis, animus non eſt deſerendi ea, quæ inordinatè amo, ac tollendi, quæ meum in ſpiritu profectum & acceſſum ad Deum impediunt. Timeo, ne me, ut ita dicam, ſub pedibus terra deficiat, nec imperare mihi poſſum, ut me totum committam illi, qui dives eſt omnium, nec pro ſua bonitate deſerit ſperantem in ſe. Recurre ſeriò ad Dominum, ut tibi ſubminiſtret vires, quibus

ma-

magnanimitatem Magorum imiteris,& eam,quam in Deo fiduciam oſtendunt.

Secundùm. Conſidera, ea quæ Regibus iſtis evenerunt,domo exeunt, iter ſuſcipiunt incertum; neſciunt, ubi natus ſit novus Rex, fixum tamen illis eſt conſilium, in eo quærendo diligentiam omnem adhibere. Quid agit Deus? quomodo iſtam altitudinem animi fiduciamque compenſat? Eadem ſtella,quæ Magos ipſo exortu vocavit, eis deinceps ducem ſe præbuit,iter habentibus prævit, & ipſi ſtellam præeuntem ſequuntur,fixis ſemper in eam oculis, eos in nullam aliam partem declinando. O Domine, quàm ſollicitè invigilas quærentibus te: quomodo difficultates emollis, quomodo te ducem præbes: voluiſti quidem,ut Reges ignari, eorum,quæ eventura erant, itineri ſe darent, ſed eos diu anxie torqueri non ſiviſti. Ah,tota noſtra fiducia in Deo collocanda eſt,nec cedendum primo timori, cum ſtatim Deus laborantibus ſuppetias ferat, *Et qui dedit velle, dat & perficere.* Tune hoc modo te geris? ſuperas, ut ita dicam, fluctus natando? quàm puſillo animo es? attamen dixit, *Inſtruam te in via hac, quâ gradieris.* Pſal. 31. Quis ſenſus fuit Magorum videntium ſtellam moveri & præire? quæ voluptas animi,ſuſcepiſſe iter, cujus feliciter ſucceſſuri certiſſimum pignus tenebant? Imitare hos Reges in tuo itinere ſpirituali, & roga Dominum, tibi animos addat, & cum tempus exiget,ſuppetias ferat.

Tertium. Conſidera, quos animos ſumpſerint Magi,videndo ſtellam præire, quam Angelus regebat; quomodo gradum haud dubie accelerarunt, magnis itineribus properando, ſed cordis affectibus celeriores: quinam erant eorum ſermones? quænam eorum deſideria? Æſtuabant ſcilicet deſiderio

incredibile perveniendi ad terminum, & novum Regem à cœlo nunciatum ſalutandi. Quàm leves illis videbantur difficultates omnes itineris, cujus ducem ſtellam tibi ſingulari privilegio conceſſam ſequebantur! O ſancti Reges, quàm fortunata fuit veſtra profectio! non eſt dubium quin cœlo grati eſſent veſtri omnes paſſus, & multò magis veſtri cordis affectus; nondum noveratis, quisnam eſſet hic recens natus Rex, & tamen omnem diligentiam adhibebatis, ut quam celerrimè ad eum perveniretis; & eximium illud Magorum exemplum non me rubore ſuffundet? Hi tam ſollicitè quærunt Jeſum, & ego tam clarâ rerum cœleſtium cognitione inſtructus, tot divini luminis radiis illuſtratus, tam ſegnem me gero in obſequio Jeſu? Vix de eo cogito, parvi facio ejus beneficia. Væ mihi, quàm longè abſum ab eo fervore, quem ſtella viſa in animis Regum accendit! Opta tandem, ut peregrinatio vitæ tuæ, horum Regum ardoribus incaleſcat, ne in caſſum progrediaris, ſed Deum invenias, inventumque poſſideas per totam æternitatem.

IX. Januarii.

MEDITATIO XLIV.

De adventu & ingreſſu Magorum.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo Regibus iter perſequentibus Judæam verſus, cum non procul abeſſent Jeroſolymis, ſtella, quæ præibat, ab eorum oculis ſe ſubduxit. Vide, quomodo Deus voluerit abſconſâ ſtellâ illorum fidem & conſtantiã probare. Felix & nimium felix fuiſſet illa profectio, ſi ſemper cœleſtem itineris ducem ſibi præeuntem vidiſſent; voluit modum mutare, illisque declarare, divinæ voluntatis eſſe dare vel ſubtrahere gratias ſuas prout vult,

vult, & quando vult. Diſce, idem accidere in hac peregrinatione ſpirituali; modò ſtella conſolationis divinæ & inſpirationis ſe videndam præbet, ſuosque nobis benignos influxus communicat; modò ſe abſcondit ac ſubtrahit; ut intelligas, bona omnia à Deo proficiſci, & illius eſſe, vel dare vel negare mortalibus favores ſuos. Totum te divinæ voluntati permitte; novit ipſe quid ſit è gloria ſua, atque è re noſtra. Scit omnia, poteſt omnia, & nos amat. Attende inſuper, Magos amiſiſſe ſtellam non culpa ſuâ, ſed exercitii cauſâ, non ad longum ſed ad breve temporis ſpatium. Non hoc modo tibi contingit; quoties conſolationem tibi divinitus immiſſam & lumen internum amittis culpâ tuâ, quòd gratiis non reſpondeas, quod tacitâ de tuis rebus æſtimatione intumeſcas, ita ut adigas Deum, manum retrahere, & ſuos favores reſtringere; Saltem iſtud noſſes, & in poſterum eſſes cautior. Roga *Deum* enixè, ut te non deſerat, & à te Spiritum Sanctum non removeat, ſed ejus benevolentiam diligenter foveas, dicendo cum Sancto Davide. *Ne derelinquas me Domine Deus, ne diſceſſeris à me.*

Secundum. Conſidera ex una parte, quis fuerit ſenſus Magorum ubi ſe ſtellâ privatos viderunt; ex altera verò parte, quòd conſilium inierint. *D*ura ſine dubio fuit illis iſta privatio, ſed divinæ voluntati ſe accommodarunt, laudantes modum, quem *D*eus in regendis ſuis creaturis tenet; non tamen animum demiſerunt, ſed rati Regem Judæorum in regia civitate Jeroſolymis naſci, urbem ingreſſi, ſciſcitari cœperunt, ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? O inauditam animi magnitudinem? Ergo non timetis? Non formidatis aperire, quid ſentiatis? Audetis quærere, ubi ſit novus Rex Judæorum? non advertitis periculum, in quod veſtram ſalutem conjici-

 tis?

tis! quæritis Jeroſolymis, ubi regnat Herodes, alium regem Judæorum, nec timetis? num ſatius erat, cautionem majorem adhibere, & ſolerter percunctari, de his, quæ à vobis quærebantur? O Domine, hæc ſunt miracula gratiæ tuæ; ſunt illi rudes & tirones in fide, & veluti eſſent jam veterani, timoris expertes intrepidè te palam quærunt. Quàm viva erat in illis fides! quàm magnus amor, quo illorum corda flagrabant! O anima mea, quantum erubeſcere debes ad hujuſcemodi exemplum! quot anni ſunt, cum veram fidem profiteris, & tamen ita puſillanimis & timida es in exequendis iis, quæ *D*eus à te exigit, ita trepidas in quærendo palam *D*eo? quando animos ſumes? quando intrepidè Chriſtum ſectaberis? quando cum amore ferventi & viva fide quæres apertè Jeſum? concede mihi *D*omine gratiam hanc per viſcera miſericordiæ tuæ.

Tertium. Conſidera quæ ſecuta ſunt. Extemplo monitus eſt Herodes de adventu Magorum, & de eorum fine, ſparſus eſt rumor tota urbe. Quis fuit Herodis & civium ſenſus? de nato Rege nuntium allatum forſitan urbem exhilaravit? certe ſic fieri decebat, cum cives Tyranni jugo premerentur crudeliter, & ſuum liberatorem jamdudum expectarent. Scilicet. Turbatur Herodes timore amittendi regni, turbatur civitas adulando Regi ejusque cupiditatibus morem gerendo. Vide, ut immoderata Regnandi ambitio Herodem agitat, & cordis pacem diſturbat. Adeo verum eſt, pacem abeſſe à corde, in quo dominatur impietas. *Non eſt pax impiis.* Imò inſtar maris proceloſi ſusque deque turbantur. Ergo ſi non vis turbari interius, enitere, ut nulla effrænis cupiditas vel honorum vel divitiarum in animo tuo dominetur, & frueris pace. Vide inſuper,

quo-

quomodo ei, qui libidini ſuæ cupiditatique paret, illud quod alacritatem animi deberet afferre, timorem incutit. Civitas recreari debebat accepto expectati Salvatoris adventu, & tamen cum Herode turbatur, quia cum vitium dominatur in nobis, facit ut abhorreamus à medicinâ, & ab eo, quod poteſt ſanitatem reſtituere. Naſcente pietate turbatur impietas, ut ait Sanctus Auguſtinus, quia ſæpe qui jacet in peccato, hinc ſe expedire non curat. Ecce ad quam calamitatem deducitur anima per peccatum, ita ut amet duriſſimæ ſervitutis jugum, exemplo civium urbis Jeruſalem, qui Herodianâ tyrannide oppreſſi, ad nuntium adventus Liberatoris turbantur. Roga Deum, ut nunquam ſinat te delectari jugo Regis extranei, qualis eſt Dæmon & peccatum, vel te abhorrere à remedio, ſed ſpe remedii recreeris & veri Regis Chriſti Jeſu ſuaviſſimo jugo delecteris.

X. Januarii.

MEDITATIO XLV.

Quid fecerit Herodes accepto nuntio de nativitate novi Regis.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Herodes ad nuncium adventus Magorum ſciſcitantium, ubi natus eſſet novus Rex, cupidus proſpiciendi regno, quod ſibi eripi formidabat, congregavit principes Sacerdotum & doctores legis, atque ab eis ſciſcitatus eſt ubi Chriſtus naſceretur? cui reſponderunt naſci Bethlehemi, congruenter prophetiæ Michææ. O Domine, quàm profunda ſunt judicia tua! eodem tempore uteris Herode aliiſque perverſis & ſceleratis hominibus, quorum opera dirigas Magos ad verum

ter-

terminum, ſimulque omnem illis excuſationem præſcindas, quòd hactenus Chriſtum indagare non ſtuduerins; ita ut doctores, quales ſunt ſcribæ, æternùm pereant, Sæculares verò, quos nobis exhibent Magi ad ſummum ſanctitatis gradum evehantur. O quàm demiſsè de nobis ſentire debemus coram *Deo*, atque omni ope eniti, ut quam de veritatibus fidei notitiam habemus, eam non reddamus inutilem, dum ea quæ cognoſcimus, executioni mandare non laboramus! Vide inſuper, quam laudem non mereretur Herodes, ſi ſyncerè & ex animo *Doctores* & peritos legis interrogaſſet; ut diſcas, tuo non adhærere judicio, ſed in rebus dubiis & difficilibus recurrere ad eos, quos loco *Dei* tenes. *Denique* ſcribæ ab Herode interrogati ſyncerè & palam veritatem aperiunt; tunc agis hoc modo? aliud dicis, aliud ſentis, vel certe veritatem occultas? Induc animum, cum ſe dabit occaſio, liberè profiteri, quod *Deus* jubet, & dicere, quod ſilentio premi non debet, utpote veritati & legi divinæ conforme.

Secundum. Conſidera, quid egerit Herodes cum Magis, ubi reſcivit, Chriſti Bethlehemi natum eſſe clam eos accerſit, diligenter diſcit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit ipſis, mittit eosdem Bethlehem verſus, ut diligenter inquirant de infante nato, ſibique renuntient, quid certi deprehenderint, ut & ipſe pariter queat principi nato debita obſequia præſtare. Vide, quò malitia Herodis perveniat, ut ſibi regnum temporale conſervet. Fingit pietatem in vultu, qui nihil præterquam odium fovebat, in corde profitetur ſe velle adorare, quem volebat occidere, ſimulat ſe lætari ortu principis, quem de medio tollere meditabatur; præſefert animum bene affectum, qui toto pectore venenum anhelabat. Quid non agit, quid non tentat regnandi deſiderium, & divitiarum quas poſſidemus,

con-

conſervandi dira cupiditas? Quot ſimulationes, quot doli, quot hypocriſes! Et ad comparandum ſibi primum locum in cœlo, ad conſulendum æternitati, ad collocandam in tuto ſalutem ſuam, ad conciliandam ſibi *D*ei gratiam & benevolentiam, quàm parum adhibemus ſollicitudinis, ſtudii, diligentiæ? Miſerum me! quàm pauca feci & facio beatitudinis ergo. Herodes, ut ſibi regnum ſtabiliat, conſilium capit occidendi Chriſtum, & mihi ſalutis æternæ conſequendæ gratia non eſt animus, mortem inferre amori proprio, & frangere cupiditates? num erubeſcere deberem & ſeriò à me ipſo removere, quidquid diſplicet *D*eo, quò poſſem in ejus amicitia firmiùs ſtabiliri? Vide præterea, quàm grave malum ſit, rerum bonarum notitiâ ad malum finem uti, inſtar Herodis adhibentis ea, quæ de nativitate Chriſti acceperat, ad mortem ipſimet Chriſto maturandam. Felix illá anima, cui cuncta ſunt uſui ad *D*ei gloriam & ſuam ſalutem procurandam! Opta id ſemper præſtare, & *D*eum roga, tibi ut gratiam iſtam largiri dignetur.

Tertium. Conſidera infelicitatem Judæorum, naſcebatur Chriſtus præcipuè pro ipſis, quibus promiſſus erat, & jam à multis annis ab ipſiſmet expectabatur: indicant aliis locum, neque unus quidem ex illis ſe movet, & licet civitas Bethlehemitica non multum Jeroſolymis diſtet Magos illuc comitari dignatur nemo. O *D*omine, nullo indiges; ſi Judæus, cui tuo adventu promiſſum exſolviſti, te miſſum facit, ſtatim tibi occurret gentilis, qui à te vocatus gratiam non abjiciet; lumini reſpondebit & te requiret. Quam neceſſarium nobis eſt non altum ſapere coram *D*eo? quanti noſtra intereſt, non abuti divinis miſericordiis: illicò magis obſequentem ſibi *D*eus inveniet, ſeque honorantem, ſi tu deſis officio tuo. Hinc diſce, neminem contemnere quantumvis tibi malus eſſe videatur;

deatur; neſcis qualis erit; forte progreſſu temporis te melior evadet. Judæi veram Dei notitiam habebant,& ſe populum electum eſſe gloriabantur, & tamen hac occaſione gentilis currit ad Chriſtum, & Judæus ad illum adire non dignatur. *Quis non timebit te, Domine?* Vide inſuper, quomodo Deus ſcelera-tos laqueis irretit, eorumque prudentiam confundit. Herodes in re,quæ tanti illius intererat, magis fidit; Num tutius erat mittere unà cum Magis fidum aliquem ex ſuis,qui exploraret omnia diligenter, & explorata referret? ſine dubio. Atenim Deus malignos obcæcat in ſuâ prudentia. Enitere tu,ambulare coram Deo in ſimplicitate & ſynceritate, ſicque non te ſinet errare in conſiliis tuis.

XI. Januarii.

MEDITATIO XLVI.

De egreſſu Magorum Jeroſolymis,& eorum adventu in civitatem Bethlehem.

P*Unctum primum.* Tres illi Magi cum accepiſſent, Regem Judæorum natum eſſe Bethlehemi, nulla interpoſitâ morâ illuc verſus,iter corripuerunt, Attende hîc Magorum iſtorum in perſequendo itinere ſollicitudinem & diligentiam. Non deerant urbi ampliſſimæ (qualis erat Jeruſalem ſedes imperii Judaici) quàm plurima digna viſu,templum videlicet Salomonis,& alia ſuperba ædificia; nihil horum eos moratur, ab omnibus ſe expediunt de ſolo itineris termino cogitantes. Felices Magi! tenebat vos ſcilicet ardentiſſimum videndi Chriſti deſiderium, quos neque magnificentia curiæ Herodis,nec ſumptuoſa fabrica templi,nec aliæ curioſitates vos detinent, moras omnes rumpitis, ab omnibus vos expeditis. Quam longè aliter te geris? quàm varia quæris diverticula? quoties

aliò

aliò animum diſtrahis, inconſtans & leſſus in perſequendo itinere virtutis miſerè tempus terendo vel in colloquiis cum creaturis, vel in occupationibus minus idoneis! seriò non quæris ſalutem & profectum tuum. Erubeſce ſummopere in conſpectu Dei, quem fallere non potes. Imitare hos Sanctos Reges; Collige te ſeriò & quantum in te eſt, ſolitudinem externam adjunge, excute mundanas ſollicitudines, recordare loqui Deum cum anima, quæ à ſtrepitu mundi ſeceſſit.

Secundum. Exeuntibus tribus Magis ex urbe Jeruſalem, rurſus ſtella comparuit, eoſque ad ſpeluncam uſque in qua novus Rex jacebat, prævia luce deduxit. Vide, quàm liberaliter Deus compenſet patientiam, quâ boni illi Magi ſubductam ſibi non procul ab urbe Jeroſolyma ſtellam æquo animo tulerunt. Magis ſtella reſtituitur. Adeo verum eſt, citò illuſtrationes & conſolationes divinas reſtitui illi, qui in deſolatione & ariditate mentis exercitia ſolita ſpiritus non intermittit, ſed cum patientia & ad Deum fiducia conſtanter in illis perſeverat. Curat Deus ſervos ſuos, novit in hac etiam vita remunerari moleſtias & labores, qui ſuâ cauſâ tolerantur. Numerat dies, horas & momenta; ſcivit ſiquidem turbas, quæ ipſum ſequebantur in deſertum, à triduo famem ſuſtinere, neque habere quod manducarent. Quare ſume animos, amitte timorem; perge, age, fac, quod potes, expecta miſericordiam Dei *in ſilentio & ſpe*, nec dubita, quin brevi illam ſis experturus. Attende inſuper, quàm magna fuit illa alacritas, quam Magi recuperatâ ſtella perceperunt. Certum inde teſtimonium ſumpſerunt, quod iter Deo probaretur. Hinc diſce qualis debeat eſſe tuæ materia lætitiæ, quando Deus tibi confert aliquod beneficium, quando tibi videntur opera tua divinæ majeſtati pla-

placere; hæc ſunt vera gaudia, non voluptates, & deliciæ mundi quæ ſunt communes cum beſtiis & hominibus ſceleratis. Enitere, ut iſta exemplo Magorum ſint tibi ſolatio.

Tertium Stetit ſupra domum, in qua Infans deliteſcebat, & introgreſſi invenerunt illum cum Maria matre. Attende, quo ſtupore percuſſi ſunt Magi, ubi viderunt ſtellam adeo lucidam ſtare ſupra caſam viliſſimam. Expectabant, ut cætera reſponderent magnitudini & pulchritudini ſtellæ, nec tunc poterant ſibi perſuadere, quod Rex habitaret in hoſpitio tam paupere: Adhuc quippe ignorabant amplitudinem hujus Principis recens nati non in pompâ mundanâ, ſed in ipſius pompæ mundanæ contemptu contineri. Quanto major debet eſſe confuſio tua, quòd tu non rudis diſcipulus rerum cœleſtium, ut Magi, ferre non valeas Chriſtum humilem atque abjectum; Magnifacis quod ſplendet in oculis hominum, nec ſequi potes, Deum hominem inter opprobria & abjectionem. Roga Jeſum, ut tibi mentem illuminet, quò tanti momenti veritatem agnoſcas, & opere comprobes. Vide inſuper, quomodo Magi non ſunt ſpecie hac exteriore deterriti. Ingreſſi ſunt ſtabulum, & invenerunt Jeſum, & Mariam, duos comites indiviſos, filium & matrem. Gratulaberis ſanctis Regibus, quòd invenerint, quem quærebant. O ſi poſſes ad eum felicitatis gradum evehi, ut Jeſum & Mariam reperires: ſtabulum eſſe non poteſt, ſed cœlum ubi iſti inveniuntur, obſequiis coluntur, amantur, adorantur. Deſidera, ambobus æterno obſequio mancipari, & roga eos, ut te acceptare dignentur.

XII. Januarii.

MEDITATIO XLVII.

De Adoratione & oblatione Magorum.

P*Unctum primum*. Conſidera, quomodo hi Magi, licet in ipſo ingreſſu nihil viderent, niſi vile ſtabulum omnibus rebus deſtitutum, ſine ullo regio apparatu, attamen fidei lumine colluſtrati, contra id, quod ſenſus & oculi corporei ſuggerebant, crediderunt, illum infantulum eſſe dominum cœli & terræ, verum Deum & hominem ac mundi redemptorem. O quàm potens & efficax fuit apud iſtos lumen cœleſte, adverſus ea omnia, quæ judicabat humana prudentia! ſummiſerunt rationem, intellectum in ſervitutem redegerunt, nihil illos humilitas ſtabuli, nihil præſepii vilitas, nihil pannorum paupertas vel infantis offendit infirmitas: quem in fœno vagientem & plorantem audiebant, eundem in cœlo tonare crediderunt. O fortuti Reges, qui primi Deum noſtrâ carne veſtitum aſpexiſtis! Quot Reges voluerunt, & volent videre, quæ vos vidiſtis, nec tam felici ſorte donati ſunt, vel donabuntur. Quos puri luminis radios divinus hic infans in corda veſtra non vibravit? quàm acriter penetraſtis theſauros ſapientiæ & ſcientiæ divinæ, qui latebant in hoc infante! quibus ardoribus mentes veſtræ ſunt inflammatæ! quàm liberaliter & copioſè longi itineris moleſtias compenſavit dulcedo cœleſtis? O quis mihi daret radium hujuſce ſplendidæ lucis & fidei, quo dignoſcerem majeſtatem ejuſdem Domini, quem equidem toto die præſentem habeo, non in ſtabulo Bethlehem, ſed in altari, ſed intus in corde, cum ad ſacram Synaxin accedo! non me gererem tam irreverenter, non tam frigidè accederem, quaſi illum

O non

non agnoſcerem, vel ibi adeſſe non crederem. Hoc opta, hoc flagita, & JESUM roga ut in te operetur partem eorum quæ in cordibus Magorum eſt operatus.

Punctum ſecundum. Magi peculiaris luminis beneficio agnoſcentes, quem videbant infantem, eſſe verum Deum, illum adorarunt cultu latriæ, & proſtrati in terra exterius declararunt, quanti facerent ejus divinitatem, & ſupremam, quod in ipſos habebat, dominium; ita ut nihilum ſe eſſe reputantes, ad centrum uſque terræ ſi potuiſſent, ſeſe penitus depreſſiſſent. Vide, quid in nos poſſit Jeſu notitia, quàm magnam de ſe exiſtimationem conciliet, quomodo ſibi mortalium corda ſubjiciat. O ſi tu illum cognoſceres, quid non faceres? Vix tibi notus eſt, propterea tam pauca operaris. Roga Jeſum, ut tibi communicet ſcintillam unam ex illa cognitione clarâ & luce cœleſti, cum affectus ardore conjunctâ, quam è divino vultu in ſpectantium oculos immittebat, ut poſſis colligere omnes cogitationes tuas, omnia deſideria, potentias omnes, & una cum totâ tuâ familiâ ire obviam illi, dicendo, *Venite adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.* Ego te adoro cum iſtis Magis, dulciſſime mi Jeſu, agnoſco in te ſupremam tuam majeſtatem, fateor coram te vilitatem meam & nihilum meum, libenti prolixoq; animo me totum tuæ voluntati committo; proſtratus corpore & animo in ſignum ſummiſſionis meæ, in terram me abjicio. Accipe me cum his ſanctis Regibus in ſervum & mancipium perpetuum.

Tertium. Magi poſtquam Chriſto ſe ipſos obtuliſſent, apertis theſauris ſua etiam bona liberaliter obtulerunt, aurum ſcilicet, myrrham & thus; & myrrhâ quidem illum agnoverunt, ut hominem morti obnoxium;

xium; auro Regiam illius authoritatem; & thure divinitatem declararunt, Teſtati, ſe eidem offerre in myrrha domitas animi cupiditates, in auro ſynceram charitatem, in thure tenerum & ardentem erga res divinas affectum. Vide, non ſolam ibi fidem eſſe, ſed eam operibus conjungi oportere. Non ſatis eſt iſtis Regibus, ſi credant, niſi dona offerant Deo; nolunt ſe ſiſtere illi vacuis manibus, ſed theſauros ſuos aperiunt, ut pateat, quàm liberali animo ſua omnia ad pedes Chriſti abjiciunt. O ſi tu, anima mea, imitareris hos reges! Aperi Jeſu infanti cor tuum, nihil in eo ſit, quod illi non des. Huic offer thus hoc eſt cor pium & per aſſiduam divini nominis memoriam à rebus terrenis ad cœleſtes elevatum. Da illi myrrham cordis contriti & corporis, cujus paſſiones ſint domitæ; offer demum aurum ſinceri erga proximum tuum amoris. Attende inſuper dona ſpiritualia, quæ illis infans ſanctiſſimus impertivit. Ah, quomodo ſublimia cogitantes & ad magna nobilibus deſideriis aſpirantes, ſeſe *Deo* amore ſancto conjunxerunt, ac ſe in alios omnino homines transformatos obſtupuerunt? O vos felices ſancti Magi! impetrate etiam mihi partem illorum munerum, quibus Jeſus propter nos factus egenus, mentes veſtras magnificentiſſime locupletavit.

XIII. Januarii.

MEDITATIO XLVIII.

Digrediuntur Magi, & aliâ viâ revertuntur ad ſua.

IN primo puncto poteris conſiderare alacritatem & lætitiam animi ſingularem, quam Jeſus, Virgo & ſancti Magi perceperunt. Mirificè lætatus eſt

Jeſus, quòd in primitiis horum trium Regum jam delibaret converſionem gentilitatis, ſalutem generis humani, confuſionem Dæmonis, triumphum de peccato & victoriam tot martyrum & confeſſorum, quos divini nominis gloriam promoturos eſſe prævidebat. Túne es inter illas primitias Regum, quas Deus vidit fore, ut aliquando de peccato glorioſè triumpharent, & ſuis obſequiis *Deo* cumulatiſſimè ſatisfacerent? Erubeſce, ſi non es ex iſtorum numero, & ſume animos, ut aggregeris in numerum. *Secundo*, quibus lætitiis exultavit Virgo, dum audiret ab iſtis regibus, quæ in itinere contigerant, eorumq; cerneret lachrymas, munera, pietatem, fidem. Quæ lachrymæ manabant ex oculis matris, quibus flammis ardebat ſacratum Virginis pectus, cum adverteret, Dei regnum amplificari, optatam tantopere filii ſui gloriam promoveri, & omnibus votis expetitam mundi converſionem accelerari? Te collige, & vide utrum Virgini præbeas occaſionem lætandi de tuo vivendi modo, qui filio & matri honorem conciliet: quod ſi ita non eſt, cave, ne ſanctiſſimæ matris lætitiam morum pravitate corrumpas. Ultimo, quanta voluptate perfuſi ſunt Reges iſti, ubi pervenerunt ad terminum peregrinationis ſuæ, ipſiſque conceſſum eſt, tantum filium & tantam matrem adorare! at qualis erit ille conſolationum & voluptatum cumulus, cum in fine peregrinationis tuæ frueris conſpectu Jeſu, non in ſtabulo, ſed in cœlo, non in fœno, ſed in throno, non in anguſtiis humilitatis, ſed in amplitudine majeſtatis, in comitatu Mariæ ejus matris, quæ ad filii dexteram ſuum ipſa ſolium collocabit: Vide, quid de te fiet; jam ſic vive, ut hujuſcemodi gratia & lætitia donari merearis. Enitere, ut terminum aſſequaris.

Secundum. Conſidera, quid ante diſceſſum egerint ſancti Reges cum Jeſu & Maria. Ipſorum corda divi-

num infantem alloquebantur, nunc illi gratias agendo, quod ſe vocaſſet per ſtellam, quòd acceſſum probaſſet, quòd munera acceptaſſet; nunc offerendo ſe illi in ſervos perpetuos prompto & alacri animo ad laudes ipſius ubique gentium celebrandas; nunc ad pedes ejus ſeſe abjiciendo, illiquæ manus oſculando, in ſignum ſervitutis atque eidem ſupplicando, ut ſibi ſuam benedictionem impertiretur. Contrà, quid fecit ipſis Jeſus? Eis benedixit, eos acceptavit in ſuos, eos ornavit virtutibus, eis pollicitus eſt fore, ut nunquam à ſe deſerentur. O qui ſimiles meruiſſet favores? quàm liberaliter Deus compenſat eos, qui ipſius cauſâ ſibi incommodant & aliqua patiuntur. Opta cum iſtis Regibus habere facilem acceſſum ad Jeſum, cui tuas neceſſitates exponas & ab eo ſubſidia referas & favores. Progredere ulterius, & expende colloquia inter Reges & Virginem ultro citroque habita ſunt. Vide quomodo illam reverentur ut *D*eiparam; quibus lætitiis geſtiunt, quòd electa fuerit in matrem, quantâ cum fiduciâ in ejus tutelam præſidiumque ſe conferant, eamque rogant enixè, ut ſibi benedictionem impertiat. Quàm lubenter *D*eipara probat hæc ſigna amoris, quâm benevolè eos adoptat in filios, quàm liberaliter eos accipit in fidem ſuam, quàm ſtudioſè eos hortatur, ut filii ſui laudes celebrent, quàm accuratè eos docet vivendi modum, quem domi ſuæ tenere debeant! O felix ille qui congreſſibus & colloquiis tam ducibus potuiſſet intereſſe! O fortunati oculi Regum, qui tam magna vidiſtis! fortunatæ aures, quæ tam ſalubria documenta accepiſtis! Ecce me etiam, Virgo ſanctiſſima, ad pedes ſuos, adde mihi animos, documentis me imbue. *Ego ſervus tuus.*

Tertium. Hærebant Reges ancipiti cogitatione diſtracti, nam ad ſua redeuntes tranſirent Jeroſolymis, ut fidem Herodi datam exolverent? Ad illas

anguſtias redacti recurrerunt ad orationem, & Deus eos in ſomnis admonuit, ne redirent ad Herodem: quare divino oraculo morem gerentes per aliam viam reverti ſunt in regionem ſuam. Hinc collige, quàm ſollicitus Dominus ſit, ut ſuos ſecurè ducat; his adeſt in rebus dubiis, nec unquàm prætermittit, illuminare eos, qui recurrunt ad opem divinam, in eaque ſpem omnem reponunt. Opta, ut *D*eus te dirigat hoc tramite, quem ipſe videt, is enim te ad ſalutem deducet: *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum.* Quotuſquisque eſt, qui Deo duce non egeat in hac vita? vel in dubium poſſit revocare, quin Deus ſervos ſuos dirigat? quamobrem illi ſervire debes, & ejus arbitrio te totum permittere. Præterea Magi præſto ſunt ad obediendum *D*eo, nec curant promiſſum hominibus factum explere, quando Deus contrarium quid præcipit. Habesné *D*eum eo in loco? Num imitaris ſanctos Magos, qui voluntatem humanam divinæ poſtponunt, vel potius, ut placeas creaturis, Deo placere non curas? *D*enique diſce ex iſtis Regibus, eum qui *D*eum invenit, non debere antiquum iter terere, ſed novam ingredi ſemitam, exuere veterem hominem, ac tranſire à ſuperbia ad ſui contemptum, ab iracundia ad patientiam, ab affectibus animi male compoſitis ad actiones honeſtas & virtuti congruentes. Roga Dominum, ut tibi concedat gratiam, quâ depoſitis priſtinis moribus novos induas, *In ſanctitate & Juſtitia omnibus diebus vitæ tuæ.*

XIV. Januarii.

MEDITATIO XLIX.

JESUS in præſepio docere incipit.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo mortales ante Jeſu adventum pene omnes dediti erant idololatriæ, pleni erroribus in intellectu circa notitiam Dei rerumque cœleſtium, affectibus autem terrenis mancipati in voluntate, quare à vero tramite devii in ſuum ruebant exitium. Quid excogitavit Deus? compaſſus eſt miſeriis creaturarum, & ſtatuit, nobis dare *Doctorem juſtitiæ*, qui nos viſibiliter doceret veram viam, ſanas & ſolidas doctrinas ſtabiliret, & falſas quidem refelleret, quæ circa bona temporalia, delicias, voluptates, honores verſantur, praxin autem ſolidarum virtutum induceret. Et iſte magiſter alius non fuit, quàm Jeſus ejus filius, *Deus* & homo, in quo erant reconditi omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, atque adeo magiſter, qui errare non poterat. Quantum debes inexplicabili charitati Dei, qui tam ſollicitè bono tuo ac ſaluti conſulit! Quàm ſtudioſè & benevolè debes illi gratias rependere? ſi peregrinus, qui dubitat an veram teneat viam, in magni beneficii loco reponit, ſi reducatur ad rectam, quanto tu beneficio obſtrictus eris illi, qui tibi ad cœlum tendenti monſtrabit viam, qua ſecurè ad felicitatem posſis pervenire? Audi patrem æternum qui tibi monſtrat Jeſum in præſepio, & tibi & omnibus dicit, *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Non induces igitur animum accedere ad ſanctum præſepium, teque tradere in diſciplinam talis magiſtri, qui jam inde præcepta tradere diſcipulis incipit?

Secundum punctum. Conſidera ſtabulum, in quo natus eſt Chriſtus, eſſe primam ſcholam, ad quam invitat omnes animas, & te nominatim, præſepe eſſe pulpitum, & Jeſum in fœno reclinatum eſſe doctorem ſedentẽ in cathedra, quòd ſi adhuc per ætatẽ verba proferre non poteſt, utitur tamẽ nobiliore docendi modo, nimirũ exemplo, ita ut Jeſu ſilentiũ ſit eloquentius omni ſermone, *quia clamat ſtabulum, clamat præſepe, clamãt*

panni, ut ait *S. Bernardus*. Jeſus virtutes omnes docet, exercendo virtutes omnes. O admirabilem & Jeſu proprium docendi modum, ordiri ab operibus, & poſtmodum ad verba venire! quàm paucos imitatores habet Jeſus? Quiſque potens eſt linguâ, at pauci facta præmittunt. Ex iſtorum numero tu es, non multum curas virtutem exercere; quaſi verò ſine operibus verba ſufficerent, & opera ipſa vires non adderent verbis. Imitare Jeſum, pauca loquere & multa operare. Perſuaſum habeas potentiora eſſe exempla, quàm verba, & plus tibi profuturum ad ſalutem, ſanctè vixiſſe quàm præclara de ſanctitate dixiſſe.

Tertium. Conſidera, virtutes iſtius Doctoris. *Docet* res valde ſublimes, parùm cognitas & parum ſenſui & humano judicio conformes; ſed tamen adeo ſolidas, & adeo veras, ut qui eas operabitur, futurus ſit ſanctus. *Docet* gratis, mercedem non petit, ut alii magiſtri, illuminat intellectum, inflammat voluntatem, ut intellectus clare veritates percipiat, & eas voluntas diligenter exequatur. Denique docet omne genus virtutis, detegit omnes omnium ſcelerum fraudes; oſtendit, quid Deo, quid proximo, quid nobis ipſis debeamus. Vide, quanti facere debeas talem magiſtrum, quove ſtudio ejus præceptis obedire. *Denique* quod bonum ſolidius, quàm virtus, quæ eſt ſanctitatis & divinæ perfectionis communicatio, quæ pacem internam parit, quæ animam complectitur, quæ illam cum Angelis conſociat, quæ facit, ut naturæ humanæ & rationi congruentur vivamus. Pudeat te, quod hactenus non andieris Jeſum, ſed mundum, ſed ſenſum, ſed appetitum tuum, aliam ſcholam frequentaſti, raro Jeſum docentem audiviſti: miſerere tot hominum, qui contrarias doctrinas ſectantur? ô utinam arderes deſiderio comparandæ tibi virtutis, quæ eſt proprium & verum hominis bonum, atque adeo ingrediendi ſtabulum,

quod

quod eſt prima ſchola JESU, in qua incipias eſſe ejus diſcipulus, & operari, quæ ille te docebit! Id facere ſtude; Offer te Jeſu in diſcipulum, & ipſum roga, ut te acceptet & inſtruat.

XV. Januarii.

MEDITATIO L.

JESUS in præſepio magiſter paupertatis.

PUnctum primum. Conſidera, quis ille ſit, qui ſupra fœnum jacet in ſtabulo. Num ipſe eſt Dei Filius, Dominus cœli & terræ, pater univerſi, qui cæteros ditat, qui omnia hujuſce vitæ bona diſtribuit, qui aperit manum ſuam & implet omne animal benedictione! ſi habita fuiſſet ratio dignitatis, quid non exigebat? num ei debebamus palatium longè ſumptuoſiſſimum, apparatum longè nobiliſſimum, lectum longè pretioſiſſimum, comitatum longè numeroſiſſimum? Tametſi rerum omnium abundantibus copiis ditatus fuiſſet, hæc omnia meritis ejus longe ceſſiſſent. Luſtra oculis ſtabulum, excute angulos omnes diligenter, inveniesnè inibi rem ullam, quam poſſis dicere eſſe ſuperfluam, & minimè neceſſariam? O Domine, quis non ſtuperet tantam majeſtatem, quæ ditat omnes, ad tantam egeſtatem redactam? Quid ſentis de cæcitate mortaliũ, qui nihil niſi divitias & opum redundantiam admirantur? expleturne unquam humani cordis aviditas? num ſemper appetit plura, & ſpecie tuendæ dignitatis ſuæ quid exiſtimat redundare? Et tu quid agis? quâ ratione te geris intra terminos conditionis tuæ? quem magiſtrum audis, Jeſum, an mundum? amas abundantiam? Ah! ſeriò inſiſte veſtigiis illius,

qui cum dives eſſet, *propter nos egenus factus eſt*, non neceſſitate, ſed electione voluntariâ.

Secundum. Conſidera, quomodo Jeſus non ſolum nos docet exemplo ſuo, non habere ſuperflua; quod ſi quæ ſint ipſi neceſſaria, iis ita utitur, ut rebus neceſſariis egere videatur. Panni vix corpori involvendo ſufficiunt, pro cunis habet animalium præſepe, non jacet ſuper plumâ, ſed ſuper fœno & paleâ, non habet, quo ſe tueatur contra tempeſtatis aſperitatem; nihil, quo frigus arceat, ſi halitum animalium excipias. Verſatur eo in loco, unde nullum poteſt habere ſubſidium; Eſt apud matrem ita egenam, ut non poſſit ipſi neceſſaria ſubminiſtrare. Quàm verè dici poteſt de te, Domine? *Ego vero egenus & pauper ſum*. Et vero habent ipſæ aves nidos quàm molliſſimè ſubſtratos, in quibus commodè quieſcant, & tu ne res quidem neceſſarias. Hoc unum ſpectas, ô Domine, ut exemplo tuo de medio tollas effrænem illam bonorum temporalium cupiditatem, ex qua veluti radice oriuntur tot mala: attamen nullus fere eſt, qui velit ſibi quicquam deeſſe, quod ſi quando alicujus rei inopiam patiatur, in quas ille inquietudines, impatiẽtias & murmurationes non prorumpit? ita ego me gero; volo eſſe pauper, ſed paupertatis incommoda experiri nolo; profiteor me amare paupertatem, ita tamen, ut nihil mihi deſit. Laudo in te paupertatem, eam admiror in aliis, ſed ipſã in me experiri, hoc enimvero refugio. Fac, Domine, ut libenter caream aliqua re, quam mihi deeſſe permittis, & beneficii loco ponam paupertatem tuam imitari.

Tertium. Conſidera, quomodo Jeſus non ſolum docuit nos in ſtabulo, reſecare ſupervacanea & minimè neceſſaria, ſed uti rebus vilibus & incommodis, quæ paupertatem comitantur. Quid vilius ſtabulo, in

in quo naſci elegit, illudque per quadraginta dies habere voluit pro domicilio? quid abjectius præſepio animalium, quod ſibi aſſumpſit in cunas? fœno, ſuper quo jacere voluit? bove & aſino, quos habuit contubernales? faſciæ quibus fuit involutus nullius pretii erant & valoris. Denique nihil pretioſi ſibi ſumpſit, ſed viliſſima quæque, eaque conjuncta incommoditati loci, qui patebat omnibus, atque ex omni parte tempeſtatis, inclementiæ & vi frigoris erat expoſitus. Ecquis mihi dabit affectum ſancti Bernardi, quò dicam ex intimo corde? *Quanto pro me vilior, tanto mihi carior.* ſerm. de Epiph. O ſanctum præſepe, quanto rubere ſuffundis non ſæculares ſolùm, qui in habitatione, veſtitu & victu res appetunt pretioſiores, ſed ipſos religioſos, qui tametſi renunciaverint mundo, in medio paupertatis perſæpe volunt & ſtudent habere meliora! Quantum erubeſcere & verecundari deberem, quòd hactenus tam parùm ex tuis exemplis profecerim! Excita in me talem fervorem, ut diligam non ſolùm paupertatem, ſed paupertatis amore libenter amplectar, quod in omnibus rebus vilius erit, atque abjectius.

XVI. Januarii.

MEDITATIO LI.

JESUS in præſepio magiſter humilitatis.

P*Unctum primum.* Conſidera, humilitatem fuiſſe à ſancto Paulo 2. Cor. 12. propriè dictam virtutem Chriſti, qui licet omnibus virtutibus fuerit ornatus, humilitas tamen fuit illi propria, utpote illi intima; & ex ea videtur JESUS ipſe conſtare, quatenus incarnatio Verbi vocatur exinanitio

*D*ei, aſſumentis ſibi formam ſervi, & Jeſus eſt exinanitus & humiliatus; ideoque non exercet ſemper actus aliarum virtutum, quandoquidem nunc in cœlo non amplius patitur, non amplius ſubjacet creaturis, non amplius premitur egeſtate, nunc tamen & quamdiu *D*eus erit ſimul & homo, hoc eſt, per totam æternitatem erit *D*eus pro nobis & in nobis, nimirum in humanitate aſſumpta, reipſa humiliatus & exinanitus. O ſi comprehenderes hanc veritatem, quod humilitas ſit virtus intima Jeſu, & quidem virtus cariſſima, quæ per totam æternitatem in illo reſplendebit, atque adeo digna, quæ ſemper adoretur & honore afficiatur! num tibi ſufficit hoc motivum, ô anima mea, ut virtutem iſtam ames, cordi inſeras, atque exerceas, quoties ſe dabit occaſio? Jure dixiſti, *D*omine, *Diſcite à me* quia mitis ſum & humilis corde: Matth. 11. à primo ſiquidem ſuæ conceptionis inſtanti per totam æternitatem virtutem iſtam arctè complecteris. Quàm longè abſum ab imitatione virtutis iſtius: ſi ſubeo in cor meum, meque introſpicio, ne veſtigium quidem humilitatis deprehendo, ſed me totum agnoſco ex ſuperbia faſtuque concretum. Pudor, & deſiderium comparandi humilitatem.

Secundum. Conſidera, quòd, propriè loquendo, nullus unquam præter Jeſum humilitatis virtute præditus fuit: quia ſe humiliare eſt, vilem atque abjectum ſe reddere, ſeque infra ſuam conditionem collocare; qui autem *D*eus exiſtens ſeſe abjecit ad naturam humanam, & ſe quaſi infra omnes homines collocavit, ille verè dici poteſt humiliatus, & quidem potiori jure, quàm qui ex ſe nihil ſit, & per peccatum infra ipſum nihilum ſe reliquis mortalibus ſummittit. Tu igitur, qui ex nihilo trahis originem tuam, neceſſariò debes te humiliare, & tamen cum ſis pulvis & cinis ſuperbire non deſinis, ac poſt peccatum intumeſcis, & al-

tiora

tiora conſcendis. O mi Jeſu, qui veniſti expulſurus è cordibus noſtris ſuperbiam, quam Satanas princeps ſuperborum introduxit, inſere quam tuo exemplo docuiſti. Tu, qui nunquam admiſiſti peccatum, nec admittere illud potuiſti, atque in te habes, quod non procedit ex nihilo, ſcilicet perſonam Verbi & divinitatem, amaſti & elegiſti humiliari, & primum comparuiſti in ſtabulo, rumpe hoc exemplo obices omnes: fac, ut amem virtutem iſtam, expulsâ à me procul omni ſuperbia, origine omnis mali, ſtabilias in me veram humilitatem, quæ tibi eſt acceptiſſima.

Tertium. Conſidera, humilitatem Jeſu eſſe infinitam, quia ſi eò major eſt humilitas, quo altioris eſt dignitatis, qui ſe humiliat, cum Jeſus ſit dignitatis infinitæ, certò colligitur, humilitatem illius eſſe infinitam. Quam magna igitur erat humiliatio Jeſu, dum inter duo animalia reclinatus jaceret in ſtabulo? Quis neſcit humiliationem eſſe tanto majorem, quantò profundius ſe demittit, qui ſupra cæteros eminet? Quæ tandem alia poteſt altitudo major cum majori profunditate conjungi, *D*eus cum ſtabulo? Ecquis thronus iſte eſt, in quo ſedens adiri ambis, non dico à paſtoribus, gente paupere & humili, ſed à Regibus Orientis, ibique per quadraginta dies moraris perlubenter, non curans mutare locum adeo vilem, & tantopere alienum à tuâ dignitate? quàm egregie reducis ad praxim illud Eccl. 3. *quanto magnus es humilia te in omnibus*! Quid dicitis angelicæ mentes, quæ toto illo temporis ſpatio natum infantem honoris cauſa circumdatis, & dignitatem principis tantopere humiliati probè cognoſcitis? O humana ſuperbia, quæ levi de cauſa intumeſcis & inſoleſcis: Huc accede, ingredere hoc præſepium; conſidera, quid faciat Jeſus; audi, quid te tacitus doceat, cumque adeo ſis miſerabilis, humilia te ex animo in conſpectu Domini; trade te in

diſci-

diſciplinam illius, & perſuaſum habeas, humilitatem tuam fore quidem fortaſſis laude dignam, ſed non admiratione, cum nullas habeas cauſas te efferendi, ſed quàm plures te deprimendi.

XVII. Januarii.

MEDITATIO LII.

Tractatur idem argumentum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus agnoſcens corpus ſuum & animam ſuam eſſe creata ex nihilo, & quicquid haberet, tam in ordine naturali, quàm ſupernaturali gratiæ, gloriæ & unionis hypoſtaticæ, beneficium eſſe à divina liberalitate profectum, non ſolùm valde reverenter ſe habet erga ſupremi Numinis majeſtatem, ſed inſuper profundiſſimos actus humilitatis in ſtabulo exercere decrevit. Occultat amplitudinem divinitatis & humanitatis ſuæ ſub forma pupi vagientis, infinitam ſapientiam ſub infantiâ, potentiam ſub debilitate corpuſculi, divitias ſub egeſtate ſumma, denique totus videtur eſſe in quærendis latebris ne agnoſcatur is eſſe, qui eſt. Egregium certe mihi hic præbet documentum, Domine Jeſu; nullum ſuperbiendi periculum adibas, cum Deum & te perfecte cognoſceres, & altiore notitia præditus, apud te tacita cogitatione diceres illud Apoſtoli, *Gratia Dei ſum, id quod ſum*, tamen abſcondis theſauros ſuos, non manifeſtas merita tua, & ego, qui vanitas ſum, præterea nihil, nec quid ſolidæ virtutis ineſt mihi, capto occaſiones prodeundi in lucem, tuendi dignitatem meam, conciliandæ mihi famæ. Apertè conſtat, quod frequentem ſcholam mundi, qui totus eſt in comparanda ſibi gloria & æſtimatione coram hominibus, at non ſcholam JESU, qui totus latet. Quid de me fiet,

Secundum. Conſidera, quòd congruenter ad iſtud Chriſti judicium, quicquid ille in ſua nativitate elegit, ſit parvum & humile. Elegit Beth-le-hem civitatem exiguam, in qua naſceretur, in eaque jam natus ſubſiſtit; præterea in civitate exigua humillimum locum elegit, hoc eſt ſpeluncam beſtiarum receptaculum, atque in iſta ſpelunca habitat & invenitur inter ulnas pauperis matris, ut eatenus contemnatur veluti cæteri infantes, qui ex humili loco naſcuntur. Affectat pro cunis præſepium, pro faſciis pauperrimos pannos, ut prætereuntes qui caſu oculos in illum conjiciebant, nullo in pretio haberent. Denique his circumſtantiis dat anſam exiguæ exiſtimationis, quam quisque de ipſo habet, & modi, quo tractatur, ut vile mancipium, nec mediocri voluptate afficitur, quod parvi fiat, ô altisſimum humilitatis gradum, quem me doces, ô bone Jeſu! *Magnus & parvulus Dominus.* Magnus es apud illum, qui te novit, & parvus apud eum, qui verſatur in tenebris; at in hoc facit admirabilitatem, quòd cum tam magnus ſis, tam parvo in pretio haberi velis. Ego in alia ſum opinione, ſtudeo videri quod non ſum, & nolo videri, quod re ipſa ſum coram te. O ſi ego poſſem dicere cum Sancto Davide, *Domine, non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me?* O ſi ſtuderem magnus eſſe, ſed coram te; ſed non reformido oculum tuum, qui decipi nullatenus poteſt, paſcor aura populari ac judiciis hominum, qui ſæpius errare ſolent. Statue, exemplo JESU nolle videri, & beneficii loco ducere, aſſimilari illi, qui pro te delituit in ſtabulo.

Tertium. Conſidera, humilitatem ita JESU fuiſſe cordi, ut non contentus fuerit

ab

ab exortu vitæ ſuæ atque in primâ infantiâ nos illam edocere, ſed toto reliquæ vitæ ſuæ tempore mortalibus in ea virtute erudiendis inſtiterit. Ad trigeſimum uſque vitæ ſuæ annum latuit in paupere officina, exercendo artem fabri lignarii; cæterum eligendo diſcipulos pauperes & idiotas, & infima plebe familiariter utendo, contemptui fuit omnibus, atque ita tractatus, ut in ſtabulo natus, quemadmodum omnes norunt, in cruce vitam finierit. Poſt reſurrectionem corpore glorioſo ſubſtitit in terris per quadraginta dies, & nobiſcum remanſit ſub ſpeciebus panis & vini, ſub ſtatu profundisſimæ humilitatis. Quanto pudore ſuffundere me deberet hoc exemplum humilitatis, ſi me colligerem, atque attenderem tot cogitationes vanæ gloriæ & propriæ exiſtimationis, quibus paſcor aſſiduè! Quomodo fieri poteſt, inquit Sanctus Bernardus, ut homo non ſit humilis *ſub tam humili Deo?* attamen fieri poteſt; imò videtur hominem neſcire, vel non poſſe verè de ſe demiſsè ſentire. O Virgo ſanctiſſima, quæ toto tempore interfuiſti documentis, quæ filius tuus in ſtabulo dedit de humilitate, in qua tam magnos progreſſus feciſti, gratias age meo nomine filio ſuo pro exemplo, quod mihi præbet, ſed ſimul acue mihi diligentiam ad comparandam mihi iſtiusmodi virtutem & fac, ut illam exerceam. Deberet quidem mihi cordi eſſe virtus, quæ tantopere Jeſu eſt chara; ac demum mihi ſapiet, quod Deo gratum eſt: quæ tua eſt bonitas, ita ſit.

XVIII. Januarii.

MEDITATIO LIII.

Jeſus in præſepio docet mundi contemptum.

P*Unctum primum.* Conſidera, mundum magnifacere famam, exiſtimationem, concurſum, & alia ſimi-

ſimilia, ex quibus noſtra apud homines commendatio proficiſcitur. Quid agit Chriſtus? alia omnia. Venit in mundū; naſcitur, ſed ſine ſtrepitu, ſine pompa majeſtatis, ſine oſtentatione eorum, quæ operabatur. Eſt nativitas ſecreta, &, ut ita dicam, incognita, ita ut tenebras affectare videatur. Totus orbis, ſi ita loqui fas eſt, ſusque deque vertitur, omnis Judæa turbatur, non propter Chriſti nativitatem, ſed propter tributum quod Romano Imperatori pendi debebat; de Chriſto naſcituro non fit mentio, & tamen præceſſerant tot oracula, tot prophetiæ, tot deſideria iſtius adventus; & Chriſtus naſcitur in profundo noctis ſilentio, nullus ſomnum rumpit, vel ſibi incommodat, ut venientem excipiat. Vix Chriſti adventus innoteſcit tribus paſtoribus, viris rudibus atque agreſtibus, qui non procul à civitate Beth-le-hem noctu gregi ſuo invigilabant. Hiſce tribus Chriſti adventus declaratur, hi tres invitantur ad ſalutandum infantem & tamen illi utpote ad aulicam urbanitatem minime facti, neſciunt obſervantiam ſuam vel primis officioſæ ſalutationis cerimoniis comitari. Quàm apertè condemnat, ô Domine, tua in ſtabulo nativitas vanos illos applauſus, concurſus & officioſas ſalutationes, quibus mundus tantopere ducitur. Non ſic ego, non ſic: Meis de rebus ſermonem haberi volo, omnem diligentiam adhibeo, ut illæ reſciantur, ut iis applaudatur. Paucis multa complectar: nominari cupio, & digito monſtrari. O admirabile documentum, quod tibi dat Deus! Hoc, quod eſt velle latere non capit mundus; non capio ego qui vanitatem & fumos ſector: ſed capit quidem certe, qui Jeſum ſequitur. Tempera in me, Domine, vanam illam, quæ in me tantopere regnat, humanæ gloriæ cupiditatem.

Secundùm. Conſidera, JESUM hunc modum tenuiſſe non in nativitate ſolum; ſed per quadra-

ginta dies integros, quos exegit in ſtabulo. Venerunt quidem Magi natum infantem ſalutaturi, ſed præterea nullus, ne unus quidem pedem movit è civitate Jeruſalem, tametſi cives fuiſſent de ortu Salvatoris admoniti? An è civitate Bethlehem aliquis? ignoramus; manſit incognitus toto tempore, quaſi foret infans aliquis plebejus, cujus habenda non eſſet ratio. Ah! quomodo, *D*omine, tuo exemplo condemnas mortales; qui tanto cum ſtudio & ſuæ ſalutis damno nihil non agunt ut cognoſcantur, in magnis occupentur, honorentur & magnifiant? Hoc eſt documentum, quod tradis, tacendo quidem, ſed jacendo in ſtabulo; Et tamen habes pro hoſpitio ſinum Patris æterni, & tamen unà cum illo mundum Regis, & aliis bona cuncta diſtribuis. Quonam ſtupore perculſi ſtabant Angeli? O ſi ſcirem contemnere faſtum omnem & pompam mundi, minimè curans cognoſci, ad dignitates evehi, laudibus celebrari, mihique ſufficeret à *D*eo cognoſci! Felicem me: Inſere, O mi Jeſu, verum contemptum harum rerum terrenarum, quæ intra unum momentum ex oculis evaneſcunt, ut poſſim non ſolum dicere, ſed multo magis exequi cum Paulo, *omnia arbitror, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*.

Tertium. Conſidera, Jeſum ſubſtitiſſe in eodem loco, in quo natus erat, usque dum iret in templum, in domicilio non ſuo, in cunis non ſuis, veluti excluſum & rejectum ab omnibus, non inveniendo, apud quem hoſpitaretur, etiam poſtquam fuit adoratus à Magis; ut nos doceret contemptum omnium commoditatum. Obtulerant enimvero illi aurum etiam Reges; quare eo non utitur, ut additiorem fortunam aſcendat? cur pecuniâ non conducit ædes ſibi commodas intra mœnia civitatis Bethlehem, ne cogatur rure inter animalia degere, expoſitus inclementiæ aëris, & contemptui externorum, qui con-

flue-

fluebant,ut penderent tributum Imperatori,& in ipſo ingreſſu ſpeluncæ videbant infantem ad ſummam paupertatem redactum, & quis ille eſſet penitus ignorabant? Num iſtud erat, pedibus conculcare faſtum mundi? O mi Jeſu, ſi quis poſſet introſpicere cor tuum, & profundas cogitationes & alta conſilia tua penetrare: Tibi gratias rependo pro exemplo, quod exhibes mihi, ſubminiſtra mihi vires, quibus me tibi offeram ad ferenda arma contra me ipſum, ad comprimendum terrenæ vanitatis affectum, & tecum ex animo fumum omnem mundani honoris contemnendum. O ſi inpoſterum ita viverem,ut jure poſſem dicere: Ego non ſum de hoc mundo.

XIX. Januarii.

MEDITATIO LIV.

Jeſus in præſepio magiſter patientiæ.

P*Unctum primum.* Conſidera,quomodo Jeſus,cœleſtis medicus infirmitatis humanæ, & ſingularis doctor omnium virtutum, ut remedium afferret nimio erga delicias affectui,quem Satanas induxit,utque rerum difficilium tolerantiâ nos in virtute firmaret,non expectavit ætatem maturam & robuſtam,ſed naſcendo in ſtabulo grande nobis patientiæ documentum tradidit,dum inibi ſponte & non coactè tam multa perpeſſus eſt. Poterat aſſumere ſibi corpus, quod doloribus non eſſet obnoxium, ſed noluit; poterat removere procul ab animâ ſuâ quæ cœleſti beatitudine fruebatur,omne genus doloris,& tamen lætitiam ſimul & triſtitiam copulavit; poterat naſcens gaudere commodis omnibus, & recuſavit,ut haberet, quod ferret & quod pateretur. O Domine mi, itáne cupidus es patiendi, ut nec primi vitæ tuæ exordii, neque ætatis tenerrimæ rationem habeas? Times forſan, ne te deficiat occaſio,

locus & tempus, ut in ſolatium infantiæ ſuæ & in magnifica dona natalium cumulum pœnarum eligas? quid ad hoc ſpectaculum dicis, anima mea? quas rationes affers, quibus excuſes crucis fugam, & inordinatum illud ſtudium, quo laborem omnem ac moleſtiam à te quàm longiſſimè removes? & tamen non verſaris in tenera ætate, ut Jeſus, & tuæ vitæ præteritæ comiſſi errores id exigunt. Num Chriſti exemplo judicas, tibi ſingulis diebus vel in corpore vel alio quovis modo aliquid eſſe patiendum? quod ſcis illi gratum eſſe, illud certe & amare & amplecti deberes, & tamen hactenus non feciſti. Statue, jam nunc incipere.

Secundum. Conſidera, quomodo Jeſus in omnibus rebus patitur incommoda, tum propter ſtabulum undique ventis & frigori perviū, tum propter inopiam cunarum & pannorum, quibus involvatur; his adde, quem in circumciſione ſparſit, cruorem. Et quia tanta ſapientia uſuque rationis præditus eſt, quanto nunc in dextera patris, cruciatur animo conſideratione eorum, quæ in vita atque in morte patietur, propoſitis ſibi ob oculos peccatis totius generis humani, ab Adamo ad ultimum usque hominem, quæ peccata dolere & lugere non ceſſat. Quoties credimus cum à ſugendo lacte Virginis abſtinuiſſe, ut fame & ſiti laboraret? Non immerito Sanctus Paulus commendat nobis tantopere Chriſti patientiam, quandoquidem extenditur ad omnia genera pœnarum, & in cunctis ejus potentiis & partibus corporis exercetur. Orditur à primo vitæ inſtanti, & pervenit ad ultimum usque momentum; oritur ab intimo penetrali cordis, & penetrat animam. Et tu quàm delicatus es! non pateris, niſi coactus, non toleras injurias, niſi ad arbitrium tuum, vel minima moleſtia, tibi graviſſima videtur, & mirum eſt niſi gemas, niſi murmures, niſi expoſtules.

O mi

O mi Jeſu, non tibi debentur hæc tormenta, ſed mihi; tu aſſumis, quod moleſtum eſt, ut in me redundet, quod utile eſt. Fac ſaltem, ut amaritudine remedii, quod ſumis, morbos animæ meæ ſanes, & ego exemplo tuo non reputem nimium eſſe quod patior.

Tertium. Conſidera, quomodo Jeſus in ſtabulo patitur non culpa ſuâ, utpote innocentiſſimus, ideoque tantò admirabilior & amabilior eſt patientia Chriſti, quia patienter ferre ſupplicia, quæ ſceleribus admiſſis debentur, res quidem laude digna eſt, ſed hujuſcemodi patientia eſt maleficorum & ſceleratorum; at pati ſine crimine, ea demum ſanctorum patientia eſt; & tu quantumvis multorum criminum reus, utraque cares patientia; & tamen vera in patiendo tolerantia magnum eſt noſtri erga Deum amoris teſtimonium, ac probata moneta, quâ comparatur cœlum? Eſt ſacrificium acceptum, & ſecurior modus ſatisfaciendi pro tuis culpis, ſive eæ graves ſint, ſive leves, denique eſt imitatio Jeſu, qui *pro nobis eſt paſſus, relinquens exemplum.* 1. Petr. 1. Stude igitur huic imitationi, & oblatam occaſionem aliquid patiendi ne fugias. Accepta à manibus Dei, quod ad te durum mittit; ſummittas te divinæ voluntati, ſine ulla internâ vel externa querela. O te felicem, ſi beneficii divini loco poneres, quæ pateris! Hoc me apprimè doces, ô mi Jeſu, toto illo tempore quo ſubſiſtis in ſtabulo, undique circumſeptus incommodis. Sed ego tardus atque hebes diſcipulus ſub tua diſciplina progreſſum non facio. Fac, ut ego nunc capiam mihique perſuadeam, ſi compatimur, regnaturos nos eſſe, & crucem ac gloriam ſe indiviſim comitari.

XX. Januarii.

MEDITATIO LV.

Jeſus in præſepio manſuetudinem docet.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus jam ætate provectior, cum ad populum concionem haberet, hunc hortatus eſt, ex ſe veram & ſinceram manſuetudinem diſceret. *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Matt. 11. Vide, quomodo jam ab ineunte ætate nos doceat hanc virtutem. Subi mente in ſanctam ſpeluncam Bethlehem. Quam magnam patientiam exercet infans ſanctiſſimus, nullo edito ſigno, quòd aliquid faſtidiat, vel quid ipſi diſpliceat! Haud dubiè tenerum infantem lædebat frigidus aër, pungebant delicatam cutem duriores paleæ, ingratus odor animalium nares offendebat; forſam ipſa ſanctiſſima Virgo (quanquam in omnibus ſummam adhibebat diligentiam) arctius ſæpe faſciis illum ſtringebat, in eo corporis ſitu ipſum collocabat, qui moleſtus ei, vel minus commodus erat, nullam tamen moleſtiæ ſibi illatæ ſignificationem dabat bonus JESUS; quaſi agnus manſuetiſſimus pendebat à mamma materna, eamque ſugebat, ſummamque bonitatem & manſuetudinem vultu & reliquis corporis geſtibus præ ſe ferebat. Vide, anima mea, quid te doceat JESUS, te, inquam, qui leviſſima de cauſa turbaris internè, reſque parum indoli tuæ & voluntati conformes non ſine externa indignantis animi ſignificatione faſtidis. Erubeſce, & ſtatue hujuſcemodi exemplum imitari. Perſuaſum habeas, quod ſi vis admitti ad ſcholam Chriſti, & inter ejus auditores locum tenere, opus tibi eſt manſuetudine. *Docebit*

bit mites vias ſuas. pſal. 24. Si vis Deo placere, manſuetus eſſe debes.

Secundum. Conſidera, eos, qui agunt hoc tempore cum Jeſu præditos eſſe manſuetudine. Virgo ſanctiſſima, quæ præ cæteris agit cum illo, quam mitis & ſuavis in moribus eſt! quàm dulcis in verbis atque in omni agendi modo! Joſephus cuſtos JESU & loco patris, totus conſtat manſuetudine, modeſtia & humilitate, & tamen non deerat illi occaſio juſti doloris, quòd Filius Dei apud ſuos Bethlehemi commorantes hoſpitium non inveniret, quodque Deipara tecti inopiâ cum tanto & ſuo & filii incommodo in ſtabulo per quadraginta dies habitare cogeretur; tamen quàm manſuetè ſe gerit interius & exterius, quanquam dolor poſſet illi juſtus videri? Ecce, quos Deus apud ſe cupit, quos probat, quos eligit. Enitaris tu quoque, ita manſuetudine excellere, ut dignus ſis ſocietate JESU, nec te ſinas adduci variis prætextibus, quos vitium ſub ſpecie virtutis facile obtendit. Statim occurrunt rationes, quæ ſub honeſtatis velo effrænatas atque immoderatas animi cupiditates operiant.

Tertium. Conſidera, quos Jeſus hoc tempore ad ſe vocet, & quibus ſe manifeſtet. Hi ſunt paſtores, qui gregi ſuo invigilabant, homines infimo loco nati, ſed moribus manſueti & benigni. Quam diu manſit Jeſus in ſpelunca, frequenter illum adierunt officii cauſa: utque incœpit, ita deinde eundem modum tenuit, eligendo Apoſtolos homines lenes & manſuetos; & Sanctus Joannes cum vellet igne è cœlo miſſo comburi civitatem, quæ Chriſtum admittere noluerat, reſponſum audivit à Salvatore, ſe neſcire, quo ſpiritu ageretur; Ex quo intelligebatur Spiritum Jeſu eſſe ſpiritum patientiæ, benignitatis, manſuetudinis. Vide igitur, quales

auditores velit Jeſus in ſchola ſua, quales ſibi eligat; Num hoc ſpiritu ageris, an ſpiritu iræ indignationis, averſionis, qui vel leviſſimæ acceptæ injuriæ obliviſci non poteſt, & deponere memoriam doloris ſui? Attende ad ſpiritum, quo ageris, examina modum, quem tenes: ſi deprehendas ſpiritum manſuetudinis deſiderari in te, enitere, ut illum conſequaris; urge precibus Jeſum, ut tibi ipſum concedat, quò poſſis vitam tuam conformare exemplo, quod tibi ipſo initio & toto vitæ ſuæ progreſſu exhibuit.

XXI. Januarii.

MEDITATIO LVI.

Jeſus in ſtabulo docet obedientiam.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo cum Adamus poſt comeſum ſibi à *D*eo vetitum pomum poſteritati peſſimum ſuæ inobedientiæ exemplum reliquiſſet, Jeſus alter Adamus voluit in ſtabulo perfectæ obedientiæ exemplum nobis præbere: Ad juſſum enim Imperatoris Romani deſerit Nazarethum, proficiſcitur Bethlehem & in ipſo obedientiæ exercitio prodit in lucem. Vide, quanta ſit iſta obedientia Jeſu, qui tametſi *D*eus & homo morem gerit Imperatori terreno, ſuperbè imperanti ut quiſque ſibi pendat tributum, & eò ſe conferat, unde originem trahit. Nihil illum moratur vel ambitio jubentis, vel obedientis incommoditas; non vis, mi Jeſu, ut breviter dicam, ordiri vitam, niſi ab obedientia; nempe noſti, te hoc modo patris æterni gloriam promovere, eamque ob cauſam ais, te legem illius geſtare in medio cordis tui. O ſi ego te imitarer hac in re, & legem tuam ita cordi meo impreſſam haberem, ut quemadmodum tu orſus es vitam ab obedientia, ita ego meas omnes actiones ab eadem virtute deinceps ordirer! Hactenus promptius morem geſſi cupiditatibus atque affe-

ctibus meis, quàm tibi: plus authoritatis in me habuit peccatum, quam tibi placendi deſiderium. Quid vis facere, anima mea? num ſatius eſt, dicere cum Propheta, Pſal. 61. *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea ita?* Domine, ita velim, ut fiat auxilio gratiæ tuæ.

Secundum. Conſidera, Jeſum obedientiam non ordiri à rebus facilibus, ſed difficilibus, putà ab abnegatione ſui, à paupertate, ab incommodis vitæ, naſcendo in loco humili, tempeſtate adeo contrariâ teneritudini ſuæ, & privando ſe exiguis illis ſubſidiis, quæ domi ſuæ naſcens habere potuiſſet. Attende exemplum, quod tibi præbet. Libenter te aliorum voluntati accommodas, quando tibi imperant, quod tibi gratum eſt & commodis tuis ſervit, ſed quàm ægre facis, quod tibi diſplicet, vel à ſenſibus abhorret? Longè aliter Jeſus, noverat ſcilicet ſe non poſſe melius nobilitare voluntatem ſuam, quàm illam paternæ legi ſummittere: quare magno cum ſtudio aſpera quæque atque humilia lubens amplectitur, nec ſolum obedit, exterius exequendo, quæ novit eſſe è voluntate Patris, ſed etiam interius promptè atque alacriter illius juſſa capeſſendo. Quantum erubeſces, ſi te ipſe diſcutias! Neſcis Deo ſacrificare intellectum & voluntatem tuam, quòd ſi quando obedias, ſæpe ſæpius obedientia tua caret medulla interioris affectus. Statue, demum imitari Jeſum, illius juſſit obtemperare. Quærere rationes, quibus exequaris, quod jubetur, atque integrum tuæ voluntatis holocauſtum Chriſto offerre.

Tertium. Conſidera Jeſum eſſe rerum omnium Dominum, tamen toto illo quadraginta dierum ſpatio in continuo obedientiæ exercitio verſari. Sinit ſe libere tractari, moneri, regi à ſanctiſſima Virgine ſi reclinatur ſuper fœno, tacet; ſi ſumitur in ulnas, non repugnat; ſugit lac ad arbitrium matris, nec ullum faſtidii ſignum edit: Vide felicitatem Virginis, attende

humilitatem Chriſti; fœmina imperat Deo. *O ſublimitatem ſine ſocio!* Deus obedit fœminæ, *ô Humilitatem ſine exemplo!* Quibus flammis ardebat cor Virginis ad hoc exemplum? in quos affectus prorumpebat? quàm libenter ſe ſummittebat ſuo ipſius filio, ſibi in omnibus obedienti, quem ut Deum adorabat? Gratulaberis Virgini ſanctiſſimæ, eamque enixè rogabis, tibi obtineat gratiam, qua ſcias exemplo JESU, obedire Deo in omnibus rebus, tum magnis, tum parvis, facilibus æque ac difficilibus, tibi gratis non ſecus ac moleſtis, idque promptè & alacriter, agnoſcens Deum in ſuperiore; nec non conſtanter, ut Chriſtus, qui naſcitur ex obedientia, ut non tantum per quadraginta dies, ſed ad mortem uſque perſeveres obediens.

XXII. Januarii.

MEDITATIO LVII.

JESUS in præſepio docet amorem erga Deum.

P*Unctum primum.* Conſidera, veri amoris ſignum eſſe, ita operari, ut amati deſideriis ſerviamus, nulla habita ratione utilitatis noſtræ, exiſtimationis & honoris. Quid autem agit Jeſus in ſtabulo? te docet Deum amare non verbis ſolum, ſed factis. Subi cogitatione in cor Jeſu, non invenies in illo voluntatẽ, præterquam Patris. Ubi eſt natus, quando eſt natus, quomodo eſt natus? niſi in eo loco, eo tempore & modo, quæ noverat Patri probari? Moleſta ipſi erat talis nativitas, dedecori vertebatur tanta demiſſio; ſed quia major hinc gloria in patrem erat redundatura, ſui rationem non habet, totus eſt, ut paternæ voluntati occurrat. En habes modum, quo Deus amatur, præferendo reliquis omnibus divini Numinis voluntatem, nec deſideriis ſolum & verbis, ſed operibus. Te collige, proba amorem tuum ad hunc lapidem Lydium.

Heu!

Heu! quàm adulterinum invenies tuum erga Deum amorem: quando ſeſe offert occaſio, quomodo præſto es ad negligendam utilitatem tuam? quomodo certus, renuntiare commodis tuis, ut divinam voluntatem expleas? quantum erubeſcere debes, anima mea? Hactenus non dediciſti, ne prima quidem principia ſolidi & veri amoris. Roga Deum, ut exemplo ſuo teporem excitet tuum.

Secundum. Conſidera, Jeſum plorare in hoc præſepio, non ſicut cæteros infantulos uſus rationis expertes, ſed præ zelo erga Patrem ſuum ab hominibus offenſum; hinc eſt, quamobrem ploratum edat, atque ad reſtaurandum illius honorem profundit non lachrymas ſolum, ſed ſanguinem etiam in circumciſione: Certe non aliam ob cauſam, quàm ob ſuum erga Patrem amorem. Ejus cauſa toto illo tempore ſubjacet omnibus injuriis, & doloribus corpuſculi ſui, ita ut dolor in animo de offenſis divinis, & ſatisfactio pœnalis in corpore ſit argumentum doloris. Quàm juſtam hîc habes erubeſcendi, & inferendi, vix à te Deum amari: Quem zelum experiris erga divinum honorem? quem ſenſum de innumeris defectibus tuis? quem dolorem de tot offenſis, quibus divina bonitas impetitur? quas pœnas à te ipſe exigis pro culpis tuis? & tamen gloriaris, Deum à te diligi. Ah miſer: menſura amoris eſt menſura doloris, cumque leviter admodum doleas delicta tua, & pro illis vix ullas à te ipſo exigas pœnas, fatearis neceſſe eſt, te non multum amare. O mi Jeſu, quàm veriſſimum eſt omne iſtud: Ad te recurro, totum me trado tibi, vero divini amoris magiſtro. Communica pro tua pietate huic miſero peccatori ſcintillam illius incendii, quo tuum pectus exæſtuat, & diſcam ex te, & ope tua adjutus exerceam

verum

verum amorem, lugendo, caſtigando, & reparando tot culpas, quibus me obſtrictum eſſe non ignoras.

Tertium. Conſidera, quid faciat Jeſus per illud quadraginta dierum ſpatium; ſtudet amplificare regnum Patris ſui, quò ſpectabat adventus ejus in terras, atque à primo ſuæ nativitatis exordio manum operi admovens; per paſtores ad ſpeluncam vocatos invitat populum Judæum ad cognitionem & amorem *D*ei; Gentiles autem per Reges Magos, quos accerſivit ab oriente; imò jam tum ſeſe offert ad ſubeundos animosè quoſcunque labores reliquo vitæ tempore, quos Pater æternus pro ſua divina providentia judicabit eſſe neceſſarios ad ſuſceptum opus felici exitu terminandum. O egregiam artem amandi *D*eum, quam me in iſta ſchola doces! Verba non profers, & tamen quia amas, jamque ad *D*ei notitiam deducis eos, qui eum ignorabant, ardes deſiderio efficiendi, ut omnes *D*ivinum nomen cognoſcant & ament. En artem amandi DEUM, exemplo ſcilicet & verbo quamplures ad virtutem allicere, ut in omnibus divini nominis gloria promoveatur. O ſanctum exercitium! ô occupationem longè præferendam illi, qua toto die homines ſectantur divitias, voluptates, honores! Quid tu agis? adducis ad *D*eum exemplo tuo, vel avertis à *D*eo proximum tuum? Optas ipſe conferre operam tuam ad gloriam *D*ei dilatandam, vel eam non multum curas? tamen *unicuique mandavit Deus de proximo ſuo*, Eccleſ. 17. Erubeſce, ſi id non præſtitiſti, præſertim cum poſſes, & forte cum ratio ſtatus tui id à te jure exigeret; ac Jeſum, roga, ut in te accendat ſcintillam illius amoris, quo ipſe erga ſuum patrem accenditur.

XXIII. Januarii.

MEDITATIO LVIII.

Jeſus in præſepio magiſter amoris ergà proximum.

P*Unctum primum.* Conſidera, amare nihil aliud eſſe, præterquam velle & procurare bonum illi, quem amamus. O quàm ſingulare exemplum ſui erga homines amoris præbet Jeſus in præſepio! Interroga, anima mea, infantem iſtum, cur naſcatur in loco tam humili, adeo pauper, totque laboribus undique circumſeptus? Quò ſpectet, quem finem ſibi proponat? Reſpondebit, ſe nihil aliud ſpectare, niſi ut de hominibus bene mereatur, eorumque æternæ ſaluti proſpiciat. Hic amor in ætate tam tenera reddit illum robuſtum & conſtantem, nec tam pauperes panni faſciis ſuis quàm amor ſuis vinculis colligatum tenet. Ille ipſe amor eſt, qui eum induit corpore doloribus obnoxio, qui illum induxit, ut bonis commoditatibus, honori renuntiaret; qui perſuaſit, ut aſperioris vitæ genus amplecteretur. Vide, in quo ſitus ſit verus erga proximum amor; non in ſerviendo tantùm commodis ſuis, ſed in procurando alteri bono, etiam cum aliquo noſtro incommodo. Gratias age Jeſu, quod exemplo ſuo egregium nobis tradiderit artem amandi proximum. Quanto doloris ſenſu tangi deberes, dum apud te reputas, quam rarus ſit inter homines verus amor, quot contentiones, æmulationes, invidiæ, iræ, ſimultates inveniuntur? ita ut dici poſſit, *omnes quærunt, quæ ſua ſunt*, ad Philip. 2. O Domine, in hunc mundum veniſti, ut verum inter nos charitatis unionem firmares, & tamen à nobis tam parvi fit illa unio. Expende, quem modum teneas; quære à corde tuo, quam in ſe ſentiat diſpoſitionem; & roga

roga Jeſum, ut tibi communicet aliquid ex illo amore, cujus impulſu ſeſe hominum cauſa ad humillimum ſtatum redegit.

Secundum. Introſpice cogitatione in cor Jeſu; quid rei, putat, illum agere toto iſto quadraginta dierum ſpatio? Quam ardente zelo fertur erga homines! nulla in re ſibi parcit, orat patrem æternum pro hominibus, verſantur illi ante oculos tormenta omnia, tum in vitâ, tum in morte præparata, ea libenter acceptat, in iisque acceptandis magnam animo concipit voluptatem ex bono, quòd inde redundabit in homines. O mi Jeſu, quàm ſingulares tibi gratias ago ex intimo corde! Hæ nempe ſunt cogitationes tuæ, quomodo poſſis impendi pro ſalute meâ. Quàm gratus & memor beneficii eſſe deberem? cumque tu nulla re indigeas, quod tibi deberem officium præſtare, illud convertis in favorem & gratiam proximi mei. Quo ſtudio ferri deberem juvandi illum, eidemque procurandi bona omnia, quæ in mea ſunt poteſtate? attamen quàm remiſſo me gero hac in parte? amo quidem, at non ſyncerè; diligo, at ſenſu potius impulſus, quàm charitate. Purga, ô mi Jeſu, inſincerum omnem affectum, quem in me vides erga proximum. Interclude omnes aditus cordis mei cuicunque rei, quæ veram charitatem perturbare poſſet. O ſi, Domine, te ita imitarer, ut mererer elogium, quod in ſacris paginis datur Jeremiæ, *Hic eſt fratrum amator*: 2. Matth. 15.

Tertium. Jeſus vidit mala hominum temporalia perinde atque æterna, corporea, juxta ac ſpiritualia, eaque in ſe ſuſcipit, ut pro ipſis ſatisfaciat, interim iis compatitur, ea dolet, ea incipit lavare primis ſui cruoris guttis, quæ pignus ſunt ſanguinis, quem multa copia poſtmodum fundet. Vide, quem erga alios amo-

rem

rem teſtetur. Aliàs Hebræi collegerunt ex lachrymis, quas Chriſtus ſparſit ad tumulum Lazari, vim amoris, quo mortuum proſequebatur; Ecce, quomodo amabat eum? Quod judicium ferri debet de amore Chriſti erga homines, cum toto illo tempore, quo jacuit in præſepio ploraverit non mortem corporalem unius, ſed ſpiritualem tot animarum, & quot lachrymas pro me tunc etiam ſparſiſti? me ſiquidem præſentem conſpiciebas, meas intuebaris miſerias; Jam tum *ſciebas inſipientiam meam & delicta mea à te non erant abſcondita.* Pſal. Fac, ô *D*omine, ut jam ſaltem lachrymis tuis comiter meas, nec ſolas defleam culpas, quas admiſi, ſed affectum induam compaſſionis erga proximum meum, tangi ejus miſeriis & induere charitatis ſpiritum, quem exemplo tuo me in hac ſpelunca docuiſti: quod ſi hactenus alienationem fovi ab aliquo, eam coram te revoco, certumque mihi eſt ac deliberatum, bene mereri de his, qui de me male merebuntur; ferre defectus alienos, cum non ignorem, in me eſſe complures, qui ab aliis ſunt tolerandi.

XXIV. Januarii.

MEDITATIO LIX.

Jeſus in præſepio docet ſanctum erga nos ipſos amorem.

P*Unctum primum.* Conſidera, quòd amare ſe ipſum ſit velle bonum ſibi: ſed quia ſunt duo genera bonorum, aliud verum & ſolidum bonum, & aliud falſum & apparens, velle ſibi verum bonum eſt amare ſe ſanctè, velle autem ſibi bonum falſum & apparens, eſt amare ſe inordinatè, & re ipſa ſe odiſſe. Quid rei facit Jeſus in præſepio? docet nos exemplo ſuo amare nos ſanctè, & velle nobis verum bonum, quod eſt bonum æternum, quod eſt voluntas patris & deſiderium ſuum, non hæc bona

terre-

terrena, non voluptates ſenſuum, non propriæ commoditates & mundi honores, quæ omnia bona ſunt, nec ſolida, nec vera, ſed fallacia atque inania. Mentem reflecte in te, anima mea, vide, quo te hactenus amore dilexeris; quod bonum tibi procuraveris, quodne optaveris? Jure potes pronuntiare, tuum erga te amorem fuiſſe inordinatum, & re vera tui ipſius odium extitiſſe, quod tui amorem eſſe credebas demens, quæ tota eras in conſequendis iis, quæ te à *D*eo revocabant, quæ ſalutem tuam vocabant in periculum! attende, ut intelligas hanc veritatem, neque amplius tibi à ſenſu illudi patiaris. Recurre ad Jeſum, ut tibi ſuminiſtret vires, quibus exequaris, quæ ſuo exemplo te docuit.

Secundum. Conſidera, quomodo Jeſus amavit ſe ſanctè, quia nihil aliud unquam optavit, quàm explere voluntatem paternam, in quo continebatur maximum bonum, quod poſſet ſibi velle; quare dicere potuit in decurſu vitæ ſuæ; *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper* Joan. 8. Vide, in quo conſiſtat amare ſe ſanctè, in conformando ſe voluntati divinæ. Ah! quàm pauci ſunt, igitur qui ſanctè ſe ament! tam multi quippe ſunt, qui vivunt ad arbitrium ſuum, qui nulli alteri ſtudent, quàm ſibi & cupiditatibus ſuis; non coercentes deſideria ſua intra terminos divinæ legis, quam parvi aut potius nihili faciunt. Miſerear te infelicitatis iſtorum; qui per imprudentiam ruunt in exitium ſempiternum; eoque amplius, quòd tua forte etiam calamitas lugenda ſit, cum hactenus fueris ſocius iſtorum atque imitator. Utinam in præſens non ſis. Deteſtare quæ hac in parte feciſti, ſume animos, & fortiter coerce amorem proprium, qui *D*eo adverſatur. Statue attendere, ad ea, quæ dicis, cogitas & facis, & examinare, utrum honorifica & grata ſint Deo.

Tertium. Conſidera, quomodo Jeſus in præſepio oſtendat, quod ſanctè ſe amaret, quia non quærebat ſe ipſe, ſed acceptabat deſpectiones, incommoditates, dolores, & ſolatiorum omnium inopiam, quæ ſciebat congruere voluntati paternæ, & mortalium ſaluti conducere: ſicque videbatur ſibi ipſi adverſari, & vim ſanctam inferre appetitui naturali. En modus amandi ſe ſanctè, quem Jeſus in præſepio te docet, non ſtudere ſibi, non ſectari voluptates & commoda tua, ſed propenſiones ad malum & effrænatas animi cupiditates ſancta generoſitate in officio continere, non illis concedere, quæ poſtulant, ſed quæ Deo probantur; Ex his, quæ ſunt in noſtra poteſtate, eligere, quod humilius, quod vilius eſt, exemplo Jeſu, qui ſponte abjecit res honorificentiores & delicatiores, ut viliores & aſperiores eligeret. O me beatum, ſi hæc documenta ſectarer! Tunc enimvero proficerem ex præceptis, quæ Jeſus in præſepio mihi tradit, ſed nimis altè cordi inhæret amor legi divinæ contrarius. Ad te confugio, tuam opem imploro, mi Jeſu. Hactenus amorem mei habui pro amico, quem tamen ut acerrimum inimicum meum agnoviſſe debebam, quandoquidem ille ipſe eſt, qui me amicitia divina privavit; tunc temporis perii, cum me ipſe nimis amavi. Evelle pro tua pietate & gratia tam pernicioſam radicem, ut deinceps non alio impulſu movear, quam amoris divini & odii in me ipſum, tuncque vero amore me proſequar.

XXV. Januarii.

MEDITATIO LX.

Jeſus in præſepio eſt imago, in quâ reſplendet infinita Dei ſapientia.

Punctum primum. Conſidera, ſapientiam Dei non conſiſtere in eo, quod ipſe cognoſcat eſſentiam

ſuam, perfectiones ſuas, attributa, res omnes creatas, tam eas, quæ aliquando producentur, quàm eas, quæ poſſent produci; ſed inſuper mirum quantum elucet divina ſapientia in diſponendis rebus omnibus, ut convenit, & inveniendis mediis ad finem, qui ſpectatur accommodatis, ubique operando cum pondere, numero & menſura. Adora divinam hanc ſapientiam, eique benedic toto cordis affectu, Chriſtoque gratulatus, quòd illam ſibi aliisque cum infinitâ perfectione poſſideat, exopta illi honores ab omnibus debitos, utque verè eſt admirabilis in viis ſuis, ita creaturæ omnes eundem colant, ut talem; & reverenter ſanctiſſimæ ipſius diſpoſitioni ſe ſubjiciant. Tecum reputa, quàm exiguâ prudentia ſis præditus, quâ & *D*eum cognoſcas cum ejus perfectionibus, & ipſe opereris, ut decet. Erubeſce, quod tam inordinate procedas, ac proinde *D*eum roga vires & ſapientiam, ut omnia ſuccedant juxta ſanctiſſimam ejus voluntatem, & ad majus divinũ obſequium.

Secundum. Conſidera, quomodo maximè eluceat ſapientia divina in Jeſu jacente in præſepio. Quid ſpectabat ſapientia divina, niſi invenire modum maximè ad ſalutem hominum accommodatum; & iſta ſapientia clare elucet in Jeſu homine-Deo; quod ſi culpa primi parentis divinum honorem læſit, quanta fuit ſapientia, invenire modum, quo læſum honorem homo repararet? & quia purus homo illatam injuriam dignè compenſare non poterat, effecit ut homo ſimul eſſet & Deus. Vide, Jeſum laceris panniculis involutum jacere ſupra fœnum, ibique æternum ſuum Patrem honorare per ſui contemptum; in medio duorum animalium ſuam dignitatem & potentiam deprimendo; Gaudeo mirificè, mi Jeſu, quòd in hoc humillimo ſtatu ſtudeas ſatisfacere Patri æterno. Quis, ô mi *D*eus, non admiretur ſapientiam tuam, qui modum

dum inveniſti accipiendi ſatisfactionem infinitam? O ſi ego noſſem, non eſſe meliorem modum ſatisfaciendi *Deo* offenſo, quàm ſi coram illo & hominibus corde conterar, & me nihilum reputem! Hactenus non ita me geſſi cum *Deo*. Quoties, poſtquam peccaſſem, ſuperbe egi cum Deo, tantumque abeſt, ut meum errorem agnoverim & laxerim, ut novis ſceleribus divinam bonitatem provocaverim. Pete veniam de præteritis, atque enitere, Jeſu exemplo divinam gloriam promovere.

Tertium. Conſidera quomodo Dæmon triumpharet, quòd ſuis ſuggeſtionibus hominem cum tota ipſius poſteritate ſuperaſſet. Victor incedebat, oſtentans captivum, comitem exilii ſui, & cœlo extorrem. Ecce ſapientiam Dei, qui ope alterius hominis, ſcilicet, Jeſu, qui eſt ſimul *Deus* & *Dæmonem* ſuperat; ita ut in Jeſu divina ſapientia eluceat; iiſdem enim armis, quibus *Dæmon* hominem ſuperavit, homo *Dæmonem* ſuperat. Uſus eſt Satanas falſo prætextu divinitatis, homini dicens. *Eritis ſicut Dii*; & in Jeſu vincitur à divinitate, velo humanitatis abſconſa. *Dæmon* falsò pollicitus eſt Adamo immortalitatem, *nequaquam*, ait, *morte morimini*: Et pœnis, quas patitur Jeſus in præſepio, & morte hominis-Dei vincetur. Ecquis non mirabitur tam admirabilem modum à divina ſapientia excogitatum? Jure dici poteſt, *Domine*, quod in Jeſu & per Jeſum notas feciſti in populis ad inventiones tuas. Iſai. 12. Infinitas laudes, infinitas gratias & infinitos honores referat ſapientia tua, quæ ex eodem malo extraxit media, quibus perveniret ad bonum. *Diſce* hinc, præſtare eadem, & iiſdem potentiis, iiſdem ſenſibus tuis, iiſdem membris, quibus *Deum* offendiſti. Deum placat ex iis ipſis peccatis extrahe remedia peccatorum, & omnia converte in obſequium & honorem *Dei*.

XXVI. Januarii.

MEDITATIO LXI.

Jeſus in ſtabulo imago omnipotentiæ divinæ.

P*Unctum primum.* Conſidera, vim potentiæ colligi ex eo, quod conjungat res à ſe maximè diſſitas, ſubi cogitatione in ſtabulum, vide hunc infantulum; Invenies in eo ignem divinitatis cum aqua humanitatis conjunctum, perfectum uſum rationis cum infantia, ſtatum comprehenſoris ob beatitudinem animæ, cum ſtatu viatoris; gaudia cœleſtia cum lachrymis & doloribus; potentiam *D*ei cum debilitate infantis; ſanctitatem cum ſimilitudine peccatoris. Quis poterat extrema adeo inter ſe pugnantia copulare, niſi potentia divina? quare quoties cogitas de Jeſu, toties cogitas de opere, in quo ſummopere elucet divina potentia: hinc eſt, quòd ſanctiſſima Virgo non immerito dicat, fecit potentiam in brachio ſuo. Expende, quid fecerit Jeſus, ut tibi benefaceret? Quas ei gratias pro tanto beneficio non debes rependere? Num tui muneris eſſet, ad Dei obſequium eniti pro viribus, ut conjungeres tuam voluntatem cum divina, converſationem cœleſtem cum habitatione terreſtri, virtutes & pompam hujus mundi cum humilitate profunda? Conjunge iſta in te ipſo, ut hoc modo reſpondeas his, quæ *D*eus pro te operatus eſt.

Secundum. Conſidera, elucere in Jeſu potentiam divinam, non ſolùm quòd extrema adeò à ſe invicem diſtantia copularit, ſed etiam quod res inter ſe arctiſſimo vinculo copulatas ſepararit. Mentem defige in Jeſu, & advertes, ejus humanitatem ſeparari à ſua naturali perſonalitate; Et animam glorioſam & beatam à corpore glorioſo & beato, tametſi beatitudo animæ ſoleat corporis beatitudinem comitari; appetitum & partem inferiorem privari gaudio & felicitate, quæ à ſu-

à ſuperiore in ipſam deberet redundare; ſanctitatem honoribus ſibi debitis carere, dum major pars eorum, qui Jeſum vident, exiſtimant eum eſſe de numero infantium, qui in originali peccato concipiuntur. Vide, ut in Jeſu caſtra ponit potentia divina. Jure admodum dici poteſt, quòd hominis cauſa *Feciſti mirabilia.* Iſa. O Domine, ecquis te ad iſta impulit, præterquam deſiderium ſalutis noſtræ, quò plus poſſes & pati & mereri? O ſi ſcirem, me ſeparare ab his, quę impediunt, quo minus ſerio tibi inſerviam, nuntium remittendo voluptatibus, jocis & cupiditatibus effrænatis tuæ voluntati, & meæ utilitati contrariiś! Indulge, Domine, mihi hanc gratiam, & exerce erga me omnipotentiam tuam.

Tertium. Conſidera, Jeſum infantem in ſtabulo videri valde eſſe debilem, nullasque prorſus habere vires, tamen ita operatur, ut ſine illo nihil omnino fieri poſſit; fugat dœmones, & vocatis ad fidem Magis idololatriam debellat, cæteraq; vitia virtutibus contrariis ſuperavit, & quanquam in ſtabulo videatur otioſus, tamen humanitas illius ſanctiſſima in ſpeciem debilis inſtrumentum eſt divinitatis ad magna in cordibus noſtris exequenda. Gratulare Jeſu, quod neſcius adhuc per ætatem formare voces operetur tanta. Roga illum enixe, ut in anima tua miracula quoque perpetret. O ſi Jeſus veluti lapis abſciſſus ſine manibus de monte Virginali, percuteret cor tuum, & disjiceret ac comminueret ſtatuam illam, quam multitudo variarum animi tui cupiditatum in tuo corde ad opprobrium divinitatis erexit! Tu id faceres quidem, mi Jeſu, ſed ego tuis conſiliis ſemper obſiſto. Hactenus ingrati animi crimen me dæmonis inſtrumentum exhibuit; O ſi nunc mutarer in aliud, & tuum inſtrumentum efficerer. Largire mihi, Domine, pro tua pietate hanc gratiam, ut non impediam, quæ tu

ad gloriam nominis tui, ſive in me, ſive in aliis per me deſideras operari.

XXVII. Januarii.

MEDITATIO LXII.

Jeſus in præſepio imago liberalitatis divinæ.

P*Unctum primum*. Conſidera, quomodo ſuam *Deus* liberalitatem exhibuit in producendis hominum causâ tot creaturis, eisque noſtro imperio ſubjiciendis, nullâ ad id ſibi obligatione impoſita, nullâ expectata mercede, nullo inde ſibi ſperato lucro, cum nullius indigeat. Quo amore proſequi debes liberalitatem *Dei* tam ſingularem? quo ſtudio erga illa ferri? Re ipſa ſolus Deus eſt proprie liberalis, quia ſolus *Deus* dat, & à nemine accipit. Quas gratias agere debes tantæ liberalitati, pro beneficiis, quæ tu accepiſti unà cum aliis, qui eum non agnoſcunt, ut authorem omnis boni, & illi gratias non rependunt? Quod habent, acceptum illi non referunt; quare nomine illorum gratias Deo repende quàm maximas. Adverte inſuper, Deum non exigere quidem mercedem liberalitatis ſuæ, at velle, ut leges, quas tulit, ſerventur, atque à nobis obedientiam exigere, non quòd egeat noſtro obſequio, ſed quò liberaliùs poſſit tuam munificentiam exercere, & novis donis exhibita ſibi obſequia compenſare. *Das nobis de bonis & datis tuis, ut de bonis & datis tuis ſerviamus tibi.* S. Aug. in medit. Vide, quàm juſta ſit iſta petitio; & vero in cujus obſequium convertere debes dona & beneficia accepta, niſi in obſequium benefactoris? Et tu ita te geſſiſti? dole ingrati animi tui vitium, & mores emenda.

Secundum. Conſidera, nihil eſſe in quo magis eluceat liberalitas Dei quàm in JESU intra præſe-

pium

pium reclinato. Si Deus largiri non poterat donum majus divinitate & perſonâ Verbi, quomodo divina liberalitas non elucebit quàm maximè in Jeſu, in quo datur ſanctiſſimæ humanitati perſona Verbi, & cum perſona Verbi dantur ſimul theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, & omnia dona gratiæ eminenter ac gloriæ tam ſublimis, ut omnium hominum ſimul & Angelorum gloriam longè ſuperet; ita ut Deus non habeat quid melius, quod det, quia dare non poteſt quid melius ſe ipſo, ſicque Jeſum videndo vides in eo ultimum terminum liberalitatis divinæ? Mirare, anima mea, ſummam bonitatem Dei, qui ſeſe humanitati communicavit, eamque ſuorum donorum & ſublimitatum participem fecit. Verè poſſum exclamare, *Deus cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus.* Quam ſtudioſè gratulari debeo huic ſanctiſſimæ humanitati, illam revereri & amare, cui modo tam ſublimi & liberali Deus ſe communicavit? Licet, ô Jeſu, te video in ſtatu tam humili & abjecto, atque in ſumma rerum omnium inopia, attamen te agnoſco ditiſſimum his donis, quæ meam quoque paupertatem locupletare poſſunt; quare (miſer) accedo ad te, particeps futurus plenitudinis tuæ.

Tertium. Conſidera liberalitatem, quæ reſplendet in JESU, non coerceri intra JESUM; *Deus* fuit liberalis erga JESUM, ut JESUS eſſet erga nos liberalis, ac proinde dici poteſt Deus fuiſſe liberalis erga illum, noſtra omnium cauſa, cum nullus ſit, qui ab iſtius liberalitatis participatione ſit excluſus; quare dicebat Propheta. *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Etenim ad ſanctum præſepium accerſiti Judæi in paſtoribus, & ethnici in Regibus Magis; quanto igitur cum affectu grates tibi agere debeo, ô mi Deus, quòd

peculiarem rationem mei habueris, cum tantam erga Jeſum liberalitatem exercuiſti! nihilominus ego tam avarè me gero erga te. Ex his, quæ poſſem, quid tibi do? nihil habeo, quid reſpondeam, verbis magnificus, promiſſis liberalis, cæterà meræ ceremoniæ: quod ſi quando præſto aliquid, heu me miſerum! quàm mœſtè & quaſi ægre, mei potius commodi cauſa, & tuorum ſuppliciorum metu impulſus, quam vero & ſincero amore! O ſi demum erubeſcerem ſerio, & tuam liberalitatem imitari ſtatuerem dando tibi omnino hoc cor, hanc voluntatem, hanc libertatem, executioni mandando alacriter, & non animo mœſto, quod mihi præcipis, quod mihi ſuggeris, quod mihi ſignificas tibi gratum eſſe atque acceptum. Vellem huc usque progredi; ita tua gratia adminiculante propono.

XXVIII. Januarii.

MEDITATIO LIII.

Jeſus in præſepio ſpeculum fidelitatis divinæ in exequendis promisſis ſuis.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Deus agens cum homine, ut illum moveat atque impellat ad virtutem, ſimulque in ſuo ſervitio confirmet, quanquam ſupremus ſit rerum omnium Dominus, qui de his posſit ad arbitrium diſponere, tamen homini bene operanti promiſit aliquod præmium, quod perſolvere tenetur ex fidelitate, & re ipſa perſolvit. Quis non ſtupebit, ô Domine, modū iſtum agendi cum homine? quem honorem defers homini? *Quis audivit unquam tale?* & hic modus non poteſt me inducere, ut me tibi obligem. Tu fidelisſimus es in exequendis promisſis tuis, & prius cœlum & terra tranſibunt, quàm tua promiſſa perfectisſimè non impleantur, & ego tum ita infidelis in implendo

eo,

eo, quod tibi polliceor: Multa promitto, pauca exequor; iterum promitto, & iterum promiſſa non ſervo; ita ut omnia fere conſiſtant in verbis, & pauca vel nulla facta verbis reſpondeant, ſed quid miſer facere poſſum, qui inconſtans ſum, imò inconſtantia ipſa. Gratiâ tuâ me robora, auxilio tuo me ſtabili, ut imiter conſtantiam tuam & fidem in promisſis.

Secundum. Conſidera fidelitatem *Dei* in ſervandis promisſis ſuis naſci primùm ex ejus cognitione infinita, quà cognoſcit, quod bonum eſt, quod promittit, & modum præſtandi promiſſa; deinde ex potentia, cui nihil poteſt obſiſtere, quominus cogitata conficiat, quia non eſt, *qui posſit ejus reſiſtere voluntati.* Huic cognitioni & potentiæ conjungitur ſincera voluntas ſtandi promisſis, quia nec decipere poteſt, nec decipi, cumque natura ſua immutabilis ſit, omne genus mutationis excludit. Quanto amore proſequi debemus tantam bonitatem! quantam ſpem, quantam fiduciam in ea collocare! & tamen, ô me miſerum, cum res maximè poſtulat fiduciam, tunc videor non confidere Deo, non illi credere, ejus adventum & fidem in rebus promisſis in dubium revocare. Quantum erubeſcere debeo, *Domine*, in conſpectu tuo, qui fidem habeo promisſis hominis, qui utique paucà cognoſcit, pauciora poteſt, & ſæpe malitioſus eſt & inconſtans; & tibi qui fidelisſimus es, fidem non habeo! fido potius homini, quàm *Deo*, & tamen certa cum ſpe deberem expectare, quod mihi promittis, & ſummopere formidare, quod mihi minaris, cum non minus ſis fidelis in ſervandis promiſſis, quàm in pœnis repetendis. Dignare mihi demum cor illuminare.

Tertium. Conſidera, in JESU elucere miram quantam fidelitatem *Dei* in ſervandis promisſis.

Quid vides, dum mente comtemplaris JESUM jacentem ſuper fœno, parvum, pauperem patientem? num vides adimpleri, quod ab orbis conditu ipſe promiſerat fore, ut daret nobis redemptorem, & mitteret in terras filium ſuum, qui nos ſalvaret? quod ſi ſtatim promiſſum non exolvit, non promiſit ſe nobis ſubitò redemptorem daturum; dedit eo temporis puncto, quo infinita ipſius ſapientia dare decreverat. Et licet mundus tot ſceleribus coinquinatus indignum ſe præberet, cui promiſſum exolveretur, nullum tamen delictum impediunt, aut ſuſpendit executionem, libet exdamare cum Paulo, *Fidelis Deus*, quantum debeo amare, laudare, & venerari tantam fidelitatem! quantum ſpei & fiduciæ in ea collocare, neque unquam obloqui, etiamſi promiſſa differantur, certò perſuaſus, non exactum iri tempus priùs, quàm promiſſum impleatur; Hinc diſce, anima mea, eſſe fidelis Deo tuo; exolve quod promiſiſti, ſi vero difficultates occurrant, eas fortiter ſupera, quia ſine dubio ſummopere diſplicet Deo *infidelis* & ſtulta promiſſio. Eccl. 5. Ora JESUM infantem, in quo fidelitas divina conſpicitur, ut tibi hanc gratiam deinceps concedat, & condonet tibi tot infidelitates, quibus hactenus in Deum uſus es.

XXIX. Januarii.

MEDITATIO LXIV.

Jeſus in ſpelunca imago divini erga hominem amoris.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo Deus, licet à mundi principio variis modis ſuum erga mortales amorem declararit, nullam tamen imaginem unquam expreſſit, in qua ſuum erga nos amorem

rem promereret magis, quam in JESU in terras miſſo, & hominibus dato. *Noviſſimè locutus eſt nobis in filio*, Ad Hebr. 1. quî Sap. c. 7. vocatur *Speculum ſine macula Dei majeſtatis, & imago* bonitatis illius. Vide quàm ſollicitè Deus curet, ut intelligas, te ſibi eſſe charum, productis tot creaturis, quæ nobis divinas exhibent perfectiones, non quievit donec nobis mitteret JESUM, in quo velùti in ſpeculo viſibili amorem illius inviſibilem cognoſceremus. Tanti tua intererat, Domine, ut innoteſceret nobis, mortales à te amari; licet hac ſignificatione amoris voluiſſes inducere nos ad te redamandum, quid utilitatis percipis, ſi amaris à nobis abjectis & miſerabilibus creaturis? tamen haud ſcio, an audeam dicere, ſuſcepta conſilia effectu carere, cum indies minus te amem. O ſaltem profundo pudore ſuffunderer! Inſuper inde collige, tibi eſſe oculos conjiciendos in JESUM, ut in ſpeculum amoris ſingularis, quo Deus nos eſt proſecutus.

Secundum. Conſidera, JESUM ipſum aſſeruiſſe hæc eadem, cum dixit, ſic *Deus* dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, & omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Expende ſingulas voces hujuſce teſtimonii. Vide, quis amet? is eſt Deus, qui amat. Si eò major eſt amor, quò major eſt, qui amat, quid majus eſt *Deo*? Vide, quis ametur? is eſt mundus, qui amatur, ſi indignitas & demerita amati reddunt amorem majorem, quid vilius creaturâ miſerabili & peccatrice? quæ amatur? Vide modum; Hic ſi amorem commendat, quantò illuſtrior erit amor Dei, qui amavit nos liberè, nō coactè; gratis, non ex meritis noſtris; ſincere, non utilitatis cauſa; nō verbo tantum, ſed opere. Vide donum, quod eſt Deus;

do-

donum omnium, quæ poterat dare, longè pretioſiſſimum; non illud mutuò, ſed irrevocabili donatione nobis tradens, expende finem, qui eſt ſalus & vita æterna hominis; Ecquis finis ſublimior indiſſolubili unione cum Deo? Ecquis non mirabitur hujusmodi exceſſum amoris & muneris? ita ut intuendo Jeſum in præſepio videam & donum, & in dono exceſſum amoris: & quantum, anima mea, erubeſcere deberes, quod divino amori tam graves offenſæ reſponderint? O ſi poſſem, mi Jeſu, dare tibi irrevocabiliter cor meum, quàm libenter jam nunc me ad tuos pedes adjicerem? & quanquam id facerem, quod demum tibi conferrem, præ his, quæ mihi tua infinita liberalitas impertivit? ſed non dubito, quin bonitas tua acceptet hoc meum, ut ita dicam, minutum, quod mihi unicum eſt, tibique offero libenter.

Tertium. O pellucidum ſpeculum Jeſus in ſtabulo! in eo elucet amor æterni patris in homines, quòd eos in peccatis hærere non paſſus ſit, ſed eis Salvatorem proſpexerit. *Quia natus eſt vobis hodie Salvator*; elucet in Jeſu unio Verbi, non cum naturâ Angelicâ, ſed cum humanâ. O magnam vim amoris erga nos divini! Elucet in eo Deus, qui cum in ſuâ divinitate pati non poſſit, pati tamen voluit in humanitate, in corpore tot incommodis expoſito, in membris teneri infantis, elucet in eo clementia Dei homines inviſentis. *Viſitavit nos Oriens ex alto*. Elucet in eo noſtram humanitatem aſſumente, quaſi Dei in hominem transformatio. Ad quam igitur ſpem erigi debes? ſi Pater æternus nobis filium dedit, multò libentiùs nobis reliqua dederit: quid conſilii capere debes coram viva hac imagine divini in nos amoris? Num æquum tibi videbitur, dare te totum illi? hoc unum ſpectare, ut illi placeas? nihil æque formidare ac diſplicere illi, ab eoque ſeparari? pati libenter illius cauſâ? tuum

omnem

omnem amorem , tuam omnem cgitationem in illo, collocare; uno verbo, vivere illi, propter illum & cum illo? Erubeſce, Domine, cum recolo vitam exactam, quia non te amavi; ſed majori rubore ſuffundor, cum ſpecto ſtatum præſentem vitæ meæ, quia ne incœpi quidem amare te. Ah Jeſu, ſpeculum ſine macula, reflecte in me lucis tuæ radios ut in hoc corde tepido, una ſaltem ſcintilla tui amoris accendatur.

XXX. Januarii.

MEDITATIO LXV.

Jeſus in præſepio imago divinæ juſtitiæ.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo perpetrato Adami peccato non poterat Deus non odiſſe peccatum, quia ille ipſe amor, quo neceſſario ſe amat, ſibique complacet in ſua bonitate, facit ut odio habeat, quod adverſatur ſuæ bonitati, ſanctitati & voluntati: & quia his ſolum peccatum eſt contrarium, propterea non poterat non odiſſe peccatum jam admiſſum; & quia peccatum eſt injuria, quæ infertur *D*eo, connectatur neceſſe eſt voluntas ſatisfaciendi cum odio peccati: hinc fiebat ut poſtquam Adamus peccaſſet, jure vellet *D*eus ſibi ſatisfieri, ut peccatum illi condonaret. Hîc ama, hîc lauda, anima, *D*eum tuum; Lætare ejus ſanctitate, quæ facit, ut non poſſit non odiſſe peccatum, ab eoque ſummopere abhorrere. Quam parvi hactenus feci (proh pudor) offenſam *D*ei! & adeo non diſceſſi à peccato odio implacabili, ut cum eo amicitiam ac conſuetudinem contrahere non dubitarim. Te rogo, clementiſſime Domine, ut mihi perfectum odium omnis peccati communices. Tu peccatum odiſti quia te amas, ego non illud odi, quia nec te, nec me amo. Quomodo poſſem amare te, & non velle tibi bonum omne? Ergo, *D*omine, accende in hoc corde ſcintillam veri amoris, & ſpondeo, me

omnem diligentiam adhibiturum , ne tibi in aliquo diſpliceam.

Secundum. Conſidera, ex odio quo *Deus* peccatum proſequitur, oriri pœnam, quam repetit à peccatore, & ſatisfactionem, quam exigit. Hæc debet eſſe æqualis injuriæ, cumque injuria ſit infinita, ſatisfactio pariter debet eſſe infinita , ita ut ſi divinæ juſtitiæ plene ſatisfiat, ſatisfactio debeat eſſe infinita: quare ſi creaturæ omnes, quæ produci poſſunt , quantumvis ſanctæ ſatisfacerent juſtitiæ divinæ, nunquam injuriam æquatura eſſet ſatisfactio. O ſi tu apprehenderes hanc veritatem , quantò cautiùs fugeret omne peccatum, quantò diligentius *Deo* ſatisfaceres! ſed quia non apprehendis, & facile laberis, & lapſus non multum laboras, qua ratione *Deo* ſatisfacias. Sume animos, & *Deum* roga, tibi ut lucem impertiat, quâ veritatem iſtam apertè cognoſcas.

Tertium. Conſidera, ſatisfactionem infinitam *Deo* non poſſe offerri, niſi ab homine, qui ſimul eſſet Deus. Talis eſt Jeſus, homo ſimul & *Deus*, ita ut in Jeſu reclinato in præſepio eluceat divina juſtitia, quæ rejectâ omni alia ſatisfactione finita non aliam admittit, niſi infinitam, ideoque loquens de Chriſto Paulus dicit, ad Rom. 3. *quem propoſuit Deus ad oſtenſionem juſtitiæ ejus*. Accede igitur, anima mea, ad Jeſum jacentem in præſepio, illum interroga quid faciat ſuper fœno? quid loquatur lachrymis quas ſpargit? quò ſpectet ſanguis, quem fundit in circumciſione? quid ſibi velint tot incommoda, quæ patitur in præſepio, ſpatio quadraginta dierum? reſpondebit, ſe ſatisfacere pro peccatis tuis juſtitiæ divinæ, quæ volens ſibi plene ſatisfieri , non aliam acceptat ſatisfactionem , præter eam, quam illi offert infinitam, utpote Deus & homo, ſicque admiſſa Chriſti ſatisfactione pro tuis peccatis

ſuam

ſuam ſeveritatem oſtendit. Quantum igitur tibi debeo, mi Jeſu, pro iis, quæ pateris pro me? at cum tam leviter vel nullatenus ſatisfaciam juſtitiæ divinæ, quam magnum mihi timorem incutiunt tormenta tua, quæ illi ſatisfaciunt infinitè! Ergo quàm ſerio debeo apud me reputare immenſa debita, quibus Deo obſtringor, cumque ex me nihil exire poſſit, quod ſufficiat, unire idipſum quantumvis exiguum immenſis meritis Jeſu, illiusque divitiis meam egeſtatem ſupplere.

XXXI. Januarii.

MEDITATIO LXVI.

Jeſus in præſepio ſpeculum miſericordiæ divinæ.

P*Unctum primum.* Conſidera, miſericordiam Dei eſſe propenſionem in ſublevandis & prævertendis miſeriis ſuarum creaturarum; hæc autem miſericordia tantò major eſſe perſpicitur, quantò graviores ſunt miſeriæ, è quibus nos eximit, & quia maxima omnium miſeriarum eſt miſeria peccati ac damnationis æternæ, tunc Deus maximam erga hominem exhibet miſericordiam, quando illum à peccato atque inferno liberat. Hinc eſt, quod David poſt peccatum implorat magnam Dei miſericordiam, *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Gaudebis, quod Deus tam propenſus ſit ad ferendam tibi opem in miſeriis tuis; conquieſces in hac perfectione, & optabis ipſe tantâ liberalitate potiri. Inſuper attendes maximam miſeriam, in quam labi poſſis, eſſe peccatum, quia hoc ſolum te privat maximo bono, quo poſſis frui, nimirum Deo, at reliquæ miſeriæ nos privant bonis temporalibus vel pœnæ malum inducunt. Hinc hauri ſummum odium in peccatum, veluti in maximam, in quam labi potes, miſeriam, ſupplicando divinæ

divinæ miſericordiæ, ut ſit tibi liberalis in ſubminiſtrando tibi ſubſidio, quo deinceps hanc miſeriam declines, & libereris à tot aliis miſeriis in quas hactenus peccatum te conjecit.

Secundum. Conſidera, quòd in Jeſu jacente in præſepio exhibeatur imago viva miſericordiæ divinæ, quia ille tibi datus fuit, ut te à peccatis præteritis & præſentibus liberaret, ita ut contemplando Jeſum, videas opus miſericordiæ, videas tuum Salvatorem, tuum redemptorem, tuum mediatorem, tuum advocatum, in eoque habeas quam efficaciſſimum tuis miſeriis ſublevandis remedium. Vide, quàm gratum te præbere debeas Deo tuo, tam præclarè de te merito, qui pro ſua bonitate dignatus eſt tibi ſuppetias ferre; quas gratiarum actiones debes Jeſu, qui redemptoris officium acceptavit? quam fiduciam debes in te excitare, quanta animi alacritate debes ad illum recurrere? Attende, in Jeſu reperiri notitiam tuarum omnium neceſſitatum; vires, quibus remedium illis afferas, & voluntatem te ab iisdem vindicandi, niſi obicem ponas: quid igitur impediet, quominus experiar effectum miſericordiæ tuæ? *Miſer ſum, miſericors es: æger ſum, medicus es*: dicam cum Auguſtino. Ecce me ad tuos pedes advolutum, ſuccurre mihi pro tua pietate, prout advertis ope tua me indigere.

Tertium. Conſidera Jeſum in præſepio tibi re ipſa exhibere effectus miſericordiæ ſuæ; introſpicias illius cor, invenies illum tibi compatientem, miſerias tuas dolentem, mœrentem propter te, quin & in ſe recipientem peccata tua, pro quibus ſatisfaciat. Præterea non expectat tempus aliud, quò ſatisfaciat, tuæque ſaluti proſpiciat; jam inde à primo ſuæ nativitatis momento incipit tui ſolatii cauſa pati dolores, quos reliquo vitæ ſuæ tempore non intermittit. Num cenſes in Jeſu divinam miſericordiam elucere? in quo

alio

alio illam invenies, præterquam in Jeſu? quotuſquiſque eſt, qui in ſe miſerias aliorum ſuſcipiat? nullus non à ſe procul excutit ſuas, adeo non in ſe admittit alienas. Ad ſummum, dulcia in hominibus verba reperies, vix quicquam præterea. Non ita te geris, mi Jeſu; de te dici ſiquidem jure poteſt, *vere languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portavit*; cumque non poſſet pœnas peccatis meis debitas in ſe per divinitatem ſuſcipere, voluit eas per humanitatem experiri, ut ego liber evaderem. Quid non debeo tibi, O mi Jeſu? & quid facere non deberem tua cauſa, ut proximi mei miſerias levarem? Roga Virginem matrem miſericordiæ, quæ nobis peperit JESUM divinæ miſericordiæ ſpeculum, ut dignetur reſpicere miſerias tuas, & impetrare, ut Jeſus convertat ad te miſericordes oculos, quibus leventur miſeriæ veteres, & novæ non ſubeantur.

I. Februarii.

MEDITATIO LXVII.

Profectio Virginis Beth-le-hemo Jeroſolymam.

P*Unctum primum*. Jam à partu Virginis quadraginta dies implebantur, quo tempore ſecundum legem Moyſis mulier, quæ ſolito more pepererat filiũ, pro immundâ ſe habere debebat, tum pergere ad templum, ut ſe purificaret. Quid facies, Virgo ſanctiſſima? Num te ſubjicies legi, quâ non obligaris, cum de Spiritu Sancto conceperis, & permanens Virgo pepereris hominẽ ſimul & *D*eum? Quid tibi opus eſt purificatione, cum ſis purior ſtellis, & filius tuus puritatis fons eluat ſordes cæterorum? Numquid profectio in templum exiſtimationi tuæ præjudicium afferet? modum communem tenere vis, quæ ſingularis es, & præ cæteris benedicta: ſic fuiſſet ratiocinata quæ-

vis alia mulier ; at Maria non item : aliam illa viam inivit , quia diverſum filius tenuerat agendi modum. Meus, ait, filius circumcidi voluit, quanquam peccator non eſſet ; & ego purificationem recuſare non debeo, licet non ſim immunda. Glorioſum mihi eſt , aſſimilari aliis mulieribus , cum meus filius aliis infantibus conformari non recuſarit, ita ut vera gloria ſita ſit in ſui contemptu , exemplo JESU & licet peccatores aut immundi non ſimus , ſi minime curemus haberi tales , modo *Deo* placeamus. Quam raro hactenus doctrinam iſtam in praxim redegiſti & redigis etiam nunc ? quidvis aliud haberi volo quàm peccator ; non multum laboro an reus ſim coram *Deo*, at coram hominibus, ne quid exiſtimationis velim amittere ; & nihilo tamen minus contendo ſequi Chriſtum , terendo ſemitas omnino contrarias. Erubeſce, veniam roga, ſtatue ſequi exemplum, quod tibi præbet Maria, & illam obſecra, ut tibi impetret gratiam quâ ipſam imiteris.

Secundum. Conſidera affectum Virginis deſerentis ſanctum præſepium , ubi cum tanta animi voluptate fruebatur præſentia filii ſui , nihil aliud ſpectans in illa ſancta ſolitudine , quàm ſe totam illius obſequiis impendere: Non habet rationem incommoditatis , quam patiebatur , non humilitatis loci , non eorum, quæ tolerare cogebatur, ſed moleſtè potius fert, quod interpelletur quies placida, quâ illic fruebatur. O quàm bene illi eſt, qui Deum ſecum habet, eoque fruitur ! nulla eſt ſolitudo, quæ tædium pariat, non paupertas, cujus nos pudeat, non incommoditas, quæ felicitatem noſtram perturbet. Ita experiebatur Virgo in ſumma humanarum omnium conſolationum inopiâ : Nec mireris , anima mea , ſi tuam hic quietem & conſolationem non invenias,

quia non exſpoliaſti omnino corde tuum,ſed terrenas conſolationes mendicas à creaturis ſitibundus ; roga Virginem,ut tibi gratiam obtineat, qua deſideriis & affectibus terrenis cor exuas, tuncque experieris: *Quoniam ſuavis eſt Dominus.* Quomodo inſuper remanſit hoc præſepium & lachrymis filii & matris affectibus ſacrum ac plenum gratiis ac favoribus devotion i fidelium conferendis ? Quid operatur præſentia JESU & Mariæ ! & tamen non eſt adhuc ſanctitate donatum cor tuum, non eſt anima tua digna eſſectu in quâ Deus frequenter habitaret. Erubeſce, & roga Jeſum, ut ſimilem effectum operetur in corde tuo.

Tertium. Conſidera iter , quod Jeroſolymam verſus ſuſceperunt ſimul JESUS , Maria & Joſeph eiſque tribus comitem te adjunge cogitatione. Vide illorum paupertatem. Cum princeps aliquis viæ ſe dat , quot currus , quot ſarcinæ ! Et ecce rex cœli ſine ulla ſupellectile. Mirare modeſtiam in inceſſu, audi ſuaviſſimos ſermones , quos miſcent de rebus cœleſtibus. Quid dicebatis ô Angeli , qui potentiſſimum cœli monarcham ejusque parentem comitabamini ? Intuere cor Virginis & Joſephi, quando modo illa , modo ille infantem Jeſum inter ulnas viciſſim geſtabant ; quam divites ſe reputabant talem theſaurum poſſidentes ! quibus gaudiis exultabant , conſolationem paradiſi ſecum geſtantes ! O ſi mihi conceſſum fuiſſet hos comitari eiſque in itinere aliquod obſequium præſtare ! Vide,ut per varia loca tranſeunt, & ab omnibus utpote pauperes contemnuntur & rejiciuntur. O infelices! ſi noviſſetis,quinam illi ſint : ſed exterior ſpecies vobis ſubducit tantum bonum. O Domine,ne me tui cognitione prives,quando mihi hunc honorē impertis, ut ſubeas in pectus meum; ne in me comprobetur illud

S. Joannis. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.*

II. Februarii.

MEDITATIO LXVIII.

Virgo templum ingreditur, ut purificetur.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Virgo, ubi pervenit Jeroſolymam, ſtatim perrexit ad templum, illudque ingreſſa ſeceſsit ad illam partem, in qua ſtabant reliquę mulieres, quæ purificatione indigebant. Vide, quantum in iſta actione elucet modeſtia virginis; illa ſola ex omnibus erat puriſſima, tamen tractari & haberi cupit, ut legaliter impura, tu, ô *D*omina, tanti feciſti virginitatem tuam, ut antequam acceptares dignitatem *D*eiparæ, volueris intelligere modum, quo res perageretur; nunc verò non laboras, quid ſentiant de te homines? imò iſtud eſt proprium animi modeſtè de ſe ſentientis, occultare dona acceptat; ea quidem exoptat ſibi conferri, ſed collata tegere ſtudet: ita Virgo delectatur virginitatis dono, ſed libenter illud occultat, ſed, ô Virgo ſanctisſima, nocet iſtud exiſtimationi filii tui, qui non habebitur *D*eus ſed homo, & quidem homo, de populo, & cæteris infantibus non abſimilis. Imò Virgo id facit eo animo, ut filii modeſtiæ obſecundet, qui tunc temporis haberi volebat de numero cæterorum infantium: ita ut inde intelligam comparari à me quidem debere virtutem, puritatem, ſanctitatem, ſed eadem via procurari, ne bonus habear, verbisque & factis gratias à Deo mihi conceſſas abſcondere & celare. Quàm longè abſum ab hac perfectione! Non laboro, an virtute ſim prædicus & tamen inter omnes eminendi ſtudio teneor. O Virgo humillima, communica mihi particulam affectus tui, quo deſi-

deſiderem, magnus eſſe coram Deo, ſed parvus in oculis meis & hominum.

Secundum. Conſidera reverentiam Virginis, cum qua ſtat coram Sacerdote, ejus preces implorando, quaſi indigere purificatione legali. Penetrat cor Virginis, attende deſiderium, quo flagrat proficiendi in ſanctitate magis ac magis, & occaſione cerimoniæ legalis altius inſinuandi ſe in amicitiam Dei. Ah, ſi in anima tua accenderetur ſcintilla illius deſiderii creſcendi in gratia! neque ullam occaſionem faciendi profectus prætermitteres! Quantum proficeres? ſed quis recenſere poſſet occaſiones omnes, quas elabi ſiviſti, & ſingulis momentis elabi ſinis? tamen per totam æternitatem fruereris his gradibus gratiæ, quos hic obtinueris. Statue imitari hâc in re Virginem, & majorem quàm hactenus feciſti diligentiam adhibere. Deinde attende, Virginem ex animo, non ore tenus, Sacerdotis preces poſtulare. Quomodo poteras, Domina mea, quæ certe gratias à Deo tibi collatas probè noras, arbitrari, te indigere precibus illius, quem ſanctitate longè ſuperabas? Imò quia clariùs aliis divinas miſericordias cognoſcebat, modeſtiùs de ſe ſentiebat; quia quò magis cognoſcitur divina Majeſtas, eo etiam magis deprehenditur, reliqua omnia in conſpectu tantæ majeſtatis eveneſcere. Virgo, quæ præ omnibus creaturis nobiliorem de Deo ideam formabat in animo, viliorem de ſe ipſa exiſtimationem induebat. Nec tu quoque difficultatem ſentires in te deprimendo, ſi Deum cognoſceres: ſed quia cares iſtâ notitiâ, tibi animos inflat ſuperbia, quaſi magnum quid eſſet, cum tamen miſerrimus ſis. O Domine, *Noverim te*: tunc enim pariter novero me.

Tertium. Virginem, ut legi pareret offerre, uti cæteræ mulieres ſolebant, victimam & ſacrificium pro peccato. Ah, *D*omina! nec tu, nec filius tuus culpam ullam admiſiſtis; quid igitur facis? Demum non vult ſecum diſpenſare in minima re, quæ ad legem pertineat, nec haberi rationem dignitatis ſuæ quamvis ſit mater *D*ei, & iſtud in detrimentum ſui nominis redundet: ſuam mentem defixit in Deo, ad illum cuncta dirigit. Attendet pauliſper, an ita te geras. Quàm multa exiſtimas dignitatem tuam non decere? quam multa difficultate ſua te morantur? Ah! coram *D*eo non eſt dignitas, quæ excuſet; nec rei difficultas quantumvis magna te debet in explenda *D*ei voluntate retardare. Roga beatiſſimam Virginem, ut tibi obtineat gratiam, quâ in rebus ad ſalutem tuam pertinentibus hunc agendi teneas modum. Vide inſuper, quàm libenter velit videri pauper, offerendo non agnum cum divitibus, ſed turturem cum pauperibus; agit congruenter ad conditionem ſuam; & quamvis potuiſſet agnum offerre, ſuæ tamen conditioni ſe accommodat. O quam egregium exemplum mihi præbes, O *D*omina, vincendi affectus naturalis, quo velim aliorum more tractari nec eſſe in exiſtimatione apud homines, ſed modum tenere in iis, quæ ratio poſtulat? ſed clarius multò ſignificat mihi deberi à me offerri divino numini ſacrificium Turturis, qui gemere non ceſſat. Ah, quomodo ego debeo gemere peccata mea, vel à me ipſo pro illis pœnas exigere: & hoc eſt verum ſacrificium Deo acceptiſſimum. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Rogabis Virginem, ut impetret tibi hunc ſpiritum contritionis, quo ipſa nunquam indiguit.

III. Fe-

III. Februarii.

MEDITATIO LXIX.

De præſentatione Jeſu in templo.

P*Unctum primum.* Conſidera, legem veterem quæ jubebat Judæos offerre Deo primogenitum in ſignum gratitudinis pro beneficio, quod Deus illis contulerat, in Ægypto, cum omnes primogenitos una nocte mactavit, in pœnam obſtinationis Pharaonis, qui populum Hebræum dimittere nolebat ad terram promiſſionis, quanquam Moyſes Dei Imperium Regi ſignificaſſet. Vide, quam juſta, quàm rationi conſentanea ſit lex iſta. Num æquitas poſtulat, ut unusquisque agnoſcat beneficia, quæ accipit à Deo, primo rerum omnium authore? num ratio exigit, ut Deo pendatur tributum pro rebus maxime pretioſis? Ecquis neſcit, quam pretioſa ſit patribus vita primogeniti? Num ingratitudo ſumma fuiſſet Hebræis tantum beneficium accepiſſe, hoc eſt, ab Ægypti ſervitute liberatos fuiſſe, cæde omnium primogenitorum Ægypti, nec illud memoriæ poſterorum ſempiternæ tradidiſſe, aut gratiarum actiones aliquando intermiſiſſe? at qua tandem ratione poterant melius Judæi fovere beneficii memoriam, quàm ſi Deo ſingulos offerrent primogenitos, quibus honori vertebatur oblatio? Hinc diſce, quale tibi munus incumbat, agnoſcendi Deum, ut authorem rerum omnium, quas accepiſti, ſervandi in animo memoriam beneficiorum præſertim inſigniorum, offerendi Deo, quæ tibi chariſſima ſunt, tuum ſcilicet cor, quaſi primogenitum tuum, ne illud rebus terrenis ſubjicias, & intelligas, nihil tibi poſſe honorificentius contingere, quàm ſi totum te, tuaque omnia divinæ mancipes gloriæ. Attende, num ita te geras, & ſtatue defectus tuos emendare.

Secundùm. Virgo ut pareat huic legi, per Sacerdotem offert in templo filium ſuum primogenitum. In hac oblatione conſidera primò affectum & devotionem virginis. Quis poſſet illum mente complecti? Noverat illa apprimè dignitatem filii, quem offerebat; non ignorabat, quam gratus foret patri æterno; æſtuabat deſiderio honorandi *Deum*; ſciebat quantum gloriæ afferret hæc oblatio divinæ majeſtati. Quantum tu abes ab hoc pietatis ſenſu in tuis exercitiis ſpiritualibus! quàm longè vagatur mens, quam aridè languet affectus! quam levis notitia de rebus divinis! quàm frigidus polus promovendi gloriam divinam! Saltem cognoſceres, quantum tibi deſit hac in parte, & ſcires, ut pauper ſiſtere te ante Virginem, eique ſupplicare, ut tibi communicet aliquid ex ſuo affectu, quo debitâ cum reverentia poſſis agere cum Deo. Expende inſuper finem, quem ſpectat in iſta filii præſentatione, non tantum ut pendat hocce tributum Deo, ut primo rerum omnium principio; non tantum, ut Deo exhibeat grati animi teſtimonium pro beneficiis ſibi collatis; ſed inſuper ſalutis tuæ deſiderio movetur. Illum offert, ut ſatisfaciat divinæ juſtitiæ pro peccatis hominum, & hoc opere obtineat omnes gratias noſtræ ſaluti neceſſarias. O Virgo ſanctiſſima, quantum tibi debeo pro iſto affectu quo meum bonum & deſideraſti, & tam benevola oblatione promoviſti! Quid tibi tunc dictavit mens? quos tacitè tecum ſermones habuiſti? Haud dubiè rogaſti Patrem æternum, ut averteret oculos à mundi peccatis & eos in iſto agno jam *ab origine mundi* ſacrificato defigeret: quo animi ſenſu ſubjunxiſti? Reſpice in faciem Chriſti tui, & averte faciem tuam à peccatis hominum? Gratias age Virgini, & diſce ex eâ tam ſanctam oblationem adhibere in ſatisfactionem tuorum

pecca-

peccatorum, adjuncta oblatione tui ipſius, tuarum potentiarum & ſenſuum.

Tertium. Conſidera, quam grata fuerit patri æterno filii ſui oblatio; Quanto verius de hac oblatione dici poteſt, quàm de ſacrificio Noë quòd *odoratus ſit Dominus* odorem ſuavitatis? Erat filius ipſius dilectus, in quo ſibi complacuerat, homo ſimul & Deus; compendium omnium mirabilium, omnibus gratiis & theſauris abundans, primogenitus omnium creaturarum, primogenitus Mariæ, primus uteri illius Virginalis fructus. Nunquam illi fuit oblatum, nec offerri poterat donum acceptius, licet creaturæ omnes ſimul illi fuiſſent oblatæ & ſacrificatæ; eò magis, quòd filius ipſe patri ſuo ſeſe offerret, cum ardentiſſimo ſtudio; ut in omnibus illius gloriam, mundique, & in particulari tuam ſalutem procuraret. Ergo, mi Jeſu, tibi fuit tunc temporis ſtudium peculiare offerendi te ipſum patri ſuo pro mea ſalute? & advertens tot ingratitudines, offenſas & peccata quæ in decurſu meæ miſeræ vitæ commiſeram, te obtuliſti ſponſorem pro me? ſuſcepiſti in te debita mea, & ultrò te obtuliſti, ut viveres & morereris pro me? Ita eſt quantum tibi debeo? O ſi hac veritate convictus, poſt tot annos male conſumptos, ſaltem quod mihi ex hac infelice vita ſupereſt, tibi offerrem! præteritis miſericordiis hanc adjunge, obſecro te per hanc gratam & glorioſam Patri æterno præſentationem tui, ut me acceptare digneris, & ſimul me offeras tecum, ſperantem fore, ut ſub tua tutela latens non rejiciar prout agnoſco me fuiſſe promeritum.

IV. Februarii.

MEDITATIO LXX.

De adventu Sancti Simeonis in templum.

Punctum primum. Conſidera, quomodo cuncta gerebantur cum ſummâ animi modeſtiâ. Virgo ſanctiſſima ſe geſſerat inſtar aliarum mulierum; filius ejus oblatus fuerat, more aliorum infantium , ita ut circumſtantibus nec mater nec filius agnoſcerentur. Quid fecit pater æternus? voluit extollere illum , qui tam profundè ſe deprimebat, & quemadmodum uſus erat operâ Zachariæ, Eliſabethæ, paſtorum adeuntium præſepe, & Magorum, quos ad ſtabulum ſtella deduxit, ita uti voluit opera hominis cui nomen Simeon, ut Meſſiæ nativitatem mortalibus revelaret. Jure, ô *Domine*, glorificantem te glorificas, & tuâ causâ latentem promis in publicum: ita ut ô anima mea ratio exaltationis ſit humiliatio. Credis ita eſſe? ut te geris? O ſi tuam omnem cogitationem defigeres in promovenda Dei gloria, ejusque voluntate implenda! ille de tuo bono cogitaret. Vide inſuper, quanto honore affectus ſit Simeon, ut Deus ipſum eligeret, perquem manifeſtaret hominibus filium, eumque mundi Salvatorem declararet. Hinc diſce, nihil tibi honorificentius poſſe contingere, quàm ſi Deus te utatur tanquam inſtrumento ad circumferendum populis nomen tuum; & tu hactenus cui ſerviviſti, gloriæ Dei, vel contemptui cultus divini? Erubeſce, & ſtatue, opere & verbo exaltationi divini nominis apud proximum inſervire.

Secundum. Expende virtutes & dotes hujus boni ſenis Simeonis. Primùm erat juſtus erga Deum, erga proximum , erga ſeipſum ; & quidem erga *Deum* pius , erga proximum officioſus , erga ſeipſum ſeverus & rigidus. Optima virtus eſt iſta, reddere ſuum cuique: te ipſe collige, examina actiones tuas; vide , utrum virtute iſtâ præditus ſis? quod ſi non es, hanc tibi ut compares, adhibe diligentiam. Deinde erat homo timens Deum, atq[illegible]eo

nihil

nihil negligens. *Qui timet Deum, nihil negligit, & mandata ejus cuſtodit*. Eccleſ. 7. Fuge defectus quantumvis minimos, legemque divinam obſerva religioſiſſimè. O felicitatem animæ timentis *Deum*, non inſtar ſervi & mancipii pœnas formidantis, ſed more filii, qui ne minima quidem in re vult patri ſuo diſplicere! Eſtne tibi hic ſanctus timor? fugis peccata, quantumvis levia? deſideras & procuras in nulla re diſplicere *Deo* patri tuo? Ah; Domine, *confige timore tuo* & cor meum, & potentias meas; fac, ut præteritam meam negligentiam ſtudio diligentiore compenſem. Tertio. Simeon Salvatoris expectatione vitam ſuſtentabat. O fortunate *Simeon*, quàm jure dicere poteras, *& nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Pſal. 38. deſideria, quibus æſtuabat, non ſpectabant humilia & terrena, ſed Jeſu adventum; hac ſpe te ſuſtentabas; O anima mea, quid dicis? *Et nunc quæ eſt* expectatio tua? Quid deſideras? quid expectas? dignitates, divitias, voluptates? Stude, ut poſſis dicere; Expecto *Deum*, extra quem omnia vanitas.

Tertium. Subjicit textus Sacer, quòd Spiritus Sanctus erat in illo, peculiaris habitator illius animæ, ſingularis hoſpes hujus cordis, quod ſuis donis ornaverat, & continuus ejus affectuum moderator. O ſortem fortunati ſenis, dignam invidia? Ecquid tibi deerat, ſancte Simeon, habenti in te Spiritum Sanctum, qui te regebat, nec permittebat, te à cupiditatibus tuis & vitioſis habitibus ſuperari? Non talis ego ſum, mancipium cæcarum cupiditatum, quare poſſum dicere, infelix homo, quis me liberabit? Tu quidem potes facere, O Sancte Spiritus, ut gemamus & plangamus miſerias noſtras. Veni igitur, ut cor iſtud inhabites, dulcis hoſpes animæ, maculaſque eluas, & errantem ac devium ad viam rectam reducas. Præterea reſponſum acceperat Simeon à Spiritu Sancto,

non

non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. Attende favorem ſingularem, quem ſeni illi Spiritus Sanctus contulerat, ut Salvatorem per tot ſæcula expectatum videre mereretur. Quas flammas, quos ardores corde concipiebat, accepto pignore tam ſecuro, futurum eſſe, ut Jeſu præſentiâ recrearetur! Quas continuo cogitationes mente volvebat? quàm dulces lachrymas ſpargebat ex oculis, ad ſolam hujus ſpei memoriam? fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte Pſal. 41. cum recordor, *ubi eſt Deus tuus?* & ego illius præſentiâ fruor? Hei mihi! & unde fit, ut ſimiles affectus non tangant animam meam? expelle miſericors Deus tantum teporem à me, & in anima mea tam ſanctum ardorem tantiſper accende.

V. Februarii.

MEDITATIO LXXI.

Simeon admittit ad ulnas ſuas Jeſum, & Deum benedicit.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Spiritus Sanctus, cum promiſiſſet Simeoni, non moriturum prius, quàm cerneret Salvatorem, ipſum impulit, ut iret in templum eodem temporis articulo, quo Virgo una cum Sancto Joſepho Jeſum obtulerunt, & peculiaris luminis beneficio eidem oſtendit inter cæteros infantes, quis eſſet verus & expectatus Meſſias. Ecce fidelitatem Dei in adimplendis promiſſis ſuis; Licet enim ſæpius executionem differat ſtat tamen promiſſis. Tu erga Deum non ita te geris; promittis, promiſſum adimplere differs, & quaſi non promiſiſſes, nihil omnino præſtas. Erubeſce coram Deo in tanta infidelitate atque inconſtantia, & propone emendationem. Inſuper quomodo Deus, quando ſibi videtur, captat occaſionem conferendi nobis gratias. Impulit Simeonem in eo temporis articulo, qui recipiendis

gratiis erat opportunus. O beatum, quem tu dirigendum ſuſcipis! Videt oculus tuus omnes rerum concurſus, temporis opportunitatem, ac proinde ille eſt ſapiens, qui ſe tuæ providentiæ committit, tibique dicit cum propheta, *Dirige me in ſemitam rectam.* O ſi perciperem hanc veritatem, quòd providentia humana ſit incerta & fallax! vellem potius regi à Deo, & ab eo, qui ejus locum tenet: ita deberes tu agere; nonne cæcus es in conſiliis? tam effrænes tuæ cupiditates tibi perſæpe verum bonum abſcondunt. Ergo nunc trade te in manus Dei, eumque roga, ut tibi adſit, & dirigas vias tuas ad terminum illum, ad quem te creavit, ut eum conſequi poſſis.

Secundum. Ingreſſus Simeon in templum, & divini luminis beneficio agnoſcens, Jeſum eſſe Meſſiam, illum ſuis ulnis excepit. Vide primùm, quòmodo Deus ſuperat promiſſa ſua, ipſi promiſerat fore, ut prius oculis cerneret Salvatorem, quàm è vitâ excederet, nec tantum illum cernit, ſed in brachia ſuſceptum pectori ſuo apprimit, illum adorat, offert, & reverenter oſculatur. Attende, anima mea, cum quo rem habeas, ſcilicet cum Deo, qui non tantum ſtat promiſſis, ſed plus præſtat, quam promiſerat, & ſpes noſtras ſua munificentia ſuperat. Non agis avarè, non parcè homines promiſſa tua complent ægre, & minus liberaliter. Lætare, quòd Deum habeas talem, ſed erubeſce ſimul, quod divinæ liberalitati non reſpondeas. Profecto tu aliquando times, nimium agere, & tamen cum omnia egeris, te debes ſervum inutilem reputare; quantò magis cum muneri tuo multis partibus non ſatisfacias? roga Dominum, tibi ut gratiam concedat, qua in ejus obſequio te liberalem exhibeas. Attende ad ſenſum pietatis, quem in hac occaſione bonus ille ſenex expertus eſt, geſtans inter ulnas ſuas hunc Dominum quem tot Reges & Prophetæ voluerunt

videre,

videre, nec potuerant, quibus lætitiis exultavit, quando illum brachiis ſuis complexus eſt! non illum offendit hæc paupertas, hæc infantia, hæc fundi impotentia, imò majori beneficio ſe obſtrictum reputavit, quòd videret illum ſuæ ſalutis cauſa ad humilitatis ſtatum eſſe redactum. Gratulare huic optimo ſeni, quòd votorum ſummam attigeret; roga illum, tibi ut obtineat ſcintillam aliquam ſui ardoris, quando tu quoque Deum in tuo ſinu complecteris.

Tertium. Conſidera plenitudinem conſolationis, qua recreatus eſt Simeon: Hanc cum in ſinu continere non poſſet, effuſus eſt in laudes divinas, & mori optavit, ut videre poſſet oculis ſuis Salvatorem ſuum Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis Iſrael. Perpende, quid operatus ſit JESUS in corde *S*imeonis, quomodo in votis habuit vitam finire, quòd vidiſſet ſuum Salvatorem. His certe Simeon apertè declarabat, quòd viveret tantùm, ut Salvatoris præſentia frueretur; nec ullius rei deſiderio teneri in hac vitâ, præterquam ſpe videndi Meſſiam, quem expectabat. O felicem vitam illius, qui poteſt dicere, mihi vivere Chriſtus eſt, ad Philipp. 1. mentem omnem in Chriſto fixi & locavi, ſuſtentor ſpe videndi aliquando Chriſtum; nihil aliud in annorum meorum ſerie mihi propono, & quemadmodum finis, propter quem creatus ſum, eſt ſervire Deo, illum laudare, amare & demum poſſidere, ita occupationes cordis iſtius, ſolicitudines hujuſce mentis ſpectant, veram & ſeriam ſervitutem Chriſto exhibere & poſthæc ad illum pervenire. At quàm paucorum eſt iſtud? Agnoſce ſaltem infelicitatem tuam cujus dies abeunt in tot vanos effectus. Deplora hanc miſeriam, & ſtude te ab hoc errore expedire; enimvero cæteræ occupationes exigui ſunt

mo-

momenti. O ſi JESUS ingreſſus cor tuum ſimilem affectum tibi communicaret! & tu ad pedes illius proſtratus animum induceres, non amplius res iſtas caducas & labiles curare, cum hæc ſibi gratia conceſſa ſit, ut Salvatorem tuum inter ulnas amplectaris; roga illum; inſta, non laſſeris; Quis ſcit, an ſi ex animo illud efflagitaturus ſis, is pro ſua pietate aliarum rerum deſiderium extinguet in te, & accendet ſitim, illum poſſidendi, ita ut posſis tu etiam ſubjungere, *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.*

VI. Februarii.

MEDITATIO LXXII.

De Verbis Virginis.

P*Unctum primum.* Dum ſenior Simeon brachiis ſuis complectens JESUM, divinum hoc canticum pronuntiaret, Virgo & Sanctus Joſeph, ut ait Evangeliſta, mirabantur ea quæ dicebantur de illo. Conſidera lætitiam, quam Virgo percepit non propter laudem, quæ in matrem redundare poterat, ſi filius agnoſceretur ut Meſſias, cum tamen modo ingreſſa eſſet templum, ut una de populo; ſed mirifice delectabatur, quòd tot modis filii gloria inciperet reſplendere, & varia hinc inde veritatis teſtimonia congererentur. Ut paucis multa complectar, lætabatur, quòd divini numinis gloria promoveretur. Hanc agendi rationem tenere debes; Lætari, non tam de utilitate, quæ in nos poteſt redundare, quàm de gloria, quæ redundat in Deum. Libenter præterea videbat pietatem hujus ſanctisſimi ſenis, nec non lachrymas manantes ex ejus oculis, quibus faciem infantis ſenili pectori appresſi ubertim irrigabat. Adverte, Virginem lætari bono alieno, ipſique gratisſimum eſſe, quòd anima Simeonis divinis beneficiis cumularetur, & internas conſolationes experiretur quas Deus ſervis ſuis liberaliter aſſolet impertiri

Imi-

Imitare tu quoque Virginem, gaudens bono ſpirituali proximi tui, optanſque, ut *D*ominus ſe communicet, ſuiſque conſolationibus repleat ſervos, qui ipſi fideliter inſerviunt, certus, quod tu pariter divinarum conſolationum particeps eris, quoties Jeſus in te diſpoſitiones inveniet.

Secundum. Conſidera, quomodo Virginem auditis Filii Dei & ſui encomiis mirificè geſtientem, derepente ſanctus ſenex mœrore confecit; converſus ſiquidem ad ipſam, cœpit prædicare cruces horrendas, quæ Jeſum manebant & odia aſpera, quibus adverſarii ipſum eſſent inſectaturi: Ecce hic poſitus eſt in ruinam &. in reſurrectionem multorum in Iſrael. Infans iſte in cauſa erit, cur multi emergant è peccatis, dum alii ſuâ ipſorum malitiâ, nolentes ipſum imitari ejuſque doctrinam audire, ruent in abyſſum calamitatis. Quod, *D*omine? Num veniſti in hunc mundum, ut mortales ſalventur, tamen multis infructuoſus erit adventus tuus, quandoquidem non ſalutem conſequentur, ſed infeliciter peribunt? ita eſt omnino; ſed hujuſce rei non eſt cauſa Jeſus, ſed malitia eorum, qui gratiis, inſpirationibus & ſubſidiis ſibi conceſſis abutentur. In qua culpa eſt vinitor, ſi poſt adhibitam omnem diligentiam in fodienda, ſtercoranda & fœcundanda terra, arbor non ferat fructum, quòd radix ſit infœcunda? Et tu, anima mea, in quorum numero verſaris? quam timeo, ne de me confirmetur Prophetia Simeonis. *Ecce hic eſt poſitus in ruinam.* O mi Jeſu, chare Redemptor, recordare eorum, quæ meâ cauſâ feciſti, nec permittas, ut culpa mea reddat infructuoſam paſſionem tuam, opto, ut ponaris in ruinam paſſionum & peccatorum meorum; cadant hoſtes iſti ad pedes tuos, ô vera arca, & viribus tuis adjuta reſurgat in me virtus, refloreat gratia, pietas renaſcatur, & cor iſtud in tot miſerias lapſum, vitam gratiæ reſu-

reſumat, neque unquam amplius relabatur.

Tertium. Conſidera id, quod adjunxit ſanctus ſenex, futurum hunc infantem *in ſignum, cui contradicetur.* Atat quomodo iſtam veritatem vita comprobavit, cujus doctrina reputata eſt falſa, cujus miracula fuerunt cenſurâ notata, cujus crux, humiliatio & cruciatus fuerunt contemptui? Et poſt mortem, num quotidie veritates oppugnantur ab eo, qui non vult credere illis, vel eas amplecti detrectat? Ejus doctrinæ adverſantur opiniones mundi erroneæ. O mi Jeſu, quantum tibi debeo, qui meâ cauſa tot adverſariis te objeciſti? & tamen quo rubore ſuffundi deberem, quod fuerim unus ex illis; quorum vita tuæ legi repugnavit, & me puduerit ſervare, quod juſſiſti & imitari, quod feciſti? Saltem apprehenderem ſcelera, quæ admiſi, & hic ſupplex eorum veniam mererer. Statue demum, ô anima mea, efficere, ut Jeſus ſit ſcopus, ad quem colliment actiones deſideria affectus & conſilia tua? ſit demum quaſi ſignaculum cordi & brachio tuo, non tam interiùs, quam exteriùs expreſſum, non operando, niſi pro illo & cum illo. Forte putas, quod non mereatur? Numquid Jeſus fuit ſignum, quod divina juſtitia percusſit, ut te à debitis pœnis eximeret? ſis ergo, mi Jeſu, ſcopus in quem ſemper collimem, quemque amem asſidue.

VII. Februarii.

MEDITATIO LXXIII.

De eodem argumento.

PUnctum primum. Simeon, cum dixiſſet Chriſtum futurum in ſignum, cui contradiceretur, ſubjunxit virgini, eique prædixit fore, ut ipſius animam doloris gladius transfigeret. Vide, quàm aptè iſta inter ſe cohæreant. Mundus contradicet Chriſto, & virgo

dolore transfigetur. Audire non poſſumus dolores ejus,quem amamus,quin iis tangamur; & quia Virgo tenerrimè amabat filium ſuum, hinc fit,ut filii vulnera altè deſcendant in cor matris, ita ut tu poſſis inde colligere ſignum, an verè Deum ames. Quomodo tangeris injuriis,quæ inferuntur *Deo*? Num transfigitur anima, quando conſideras, quàm vilipendatur tanta majeſtas,quàm conculcetur lex ejus ſanctiſſima? Optimum ſignum eſt iſtud,potes ſperare, te amatum ire *Deum* ſincere, cum experiaris, te inflammari & corde transfigi zelo honoris divini ab hominibus indigniſſimè læſi; at ſi Dei offenſis non tangeris, quantum debes confundi? Quàm magni fuerunt dolores Virginis, quàm continui, cum tot ex iſto populo in Chriſtum conjuratos adverteret! Gladius erat, qui continuò matris animam transfigebat,cum non ignoraret cruces omnes,quas filius tempore prædicationis erat ſubiturus. Roga Virginem, tibi ut impetret ſimilem zelum,qui te vivis flammis accendat, cum audis hodieque tot homines reperiri, qui Chriſto contradicunt,ejusque doctrinæ perverſis dogmatis & operibus malis adverſantur.

Secundum. Conſidera, quòd hujus prophetiæ Simeonis tempus præſertim paſſionis Chriſti veritatem comprobavit; Ah,quomodo tunc impletum eſt iſtud, & tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit: Quis poteſt mente complecti,quò pervenit tunc temporis virginis dolor, qui non tantum illam læſit, ſed transfixit, non corpus, ſed cor & animam Virginis, eamque reginam dolorum conſtituit? quare ſicut Chriſtus patiendo tam atrocia tormenta factus eſt rex dolorum, ita Virgo compatiendo filii ſui doloribus, ita doluit, ut facta ſit dolorum regina. O ſi tu,anima,ſemper recordareris horum dolorum qui tuâ cauſâ ſanctiſſimæ Virginis animam transfixerunt; *Gemi-*

tus

tui matris tua ne obliviſcaris. Gratias repende Virgini pro doloribus, quos eſt paſſa; roga illam, ut tibi obtineat, ut dolor de peccatis tuis, quibus crucem Jeſu præparaſti, ſit gladius, qui tibi animam transfigat, ita ut toto vitæ tuæ tempore geſtet cor vulneratum, quòd offenderis Deum, quòd Jeſum in crucem ſuſtuleris, & Mariæ animam doloris eſſe transfixeris.

Tertium. Conſidera divinam diſpoſitionem, quæ dulcia temperat amaris. Revelavit Deus ſancto ſeni, quæ ſanctiſſimus infans paſſurus erat, & ipſe eadem Virgini renuntiavit. Quid facis, O bone Simeon: cur ita loqueris Virgini, & laudibus, quibus excellentiam & ſublimitatem Jeſu manifeſtas, inſerere non dubitas ea, quæ perpetuum Virgini martyrium parient? Quis fons dolorum ejus cordi erunt hæc verba. Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit? ſi hæc ſilentio preſſiſſes, quot lachrymas prævertiſſes? præſentia filii, quæ continuum illi gaudium attuliſſet, eidem fiet duriſſima crux, impendentium filii dolorum expectatione cruciatæ. Ecce diſpoſitio divina; Voluit Deus, Virginem per Simeonem admoneri, ut ſemper illam dolor iſte comitaretur. At quomodo, Domine, vis tam propere tansfigere cor Virginis, quam amas, neque ullum peccatum contraxit? Ah, quam profunda ſunt divina conſilia! Voluit Deus, ut filius & mater ſibi eſſent conformes. Jeſus habuit ſemper præſentem crucem, ejusque memoriâ ſemper eſt cruciatus. Virgo ut in partem veniret hujuſce gloriæ, geſtat crucem aſſidue, & memoria eorum, quæ paſſurus eſſ filius, ſibi quotidie nova tormenta fabricatur. Ergo, anima mea, vera bona non ſunt otium, deliciæ, gaudia, voluptates; neque enim filius & mater (utpote primi omnium mortalium) illis caruiſſent. Igitur ſi

Deus patitur, me caſibus adverſis affligi, iniquo animo ferre non debeo cum me eodem modo tractet, quo filium ſuum & matrem. Quâ fronte poteſt abnuere ſervus & mancipium ea, quæ pater dat filio? O me beatum, ſi veritatem iſtam perciperem! Non ita abhorrerem à cruce, fer mihi ſuppetias, O Domina, ut amplectar ea, à quibus hactenus tantopere abhorrui.

VIII. Februarii.

MEDITATIO LXXIV.

De teſtimonio, quod Anna dedit Mariæ.

P*Unctum primum.* Deus non contentus teſtimonio boni ſenis Simeonis, qui Jeſum ut expectatum Meſſiam denuptiabat, voluit ut Anna quoque futura prædiceret, nec privaretur gloria publicandi nativitatem Salvatoris, ſicque uterque ſexus ſanctiſſimi infantis in templo oblati promovendæ gloriæ inſerviret; quare Spiritus Sancti impulſu tunc temporis venit in templum. Gratulare huic piæ fœminæ, quod Deus ipſam elegerit, ut Jeſu gloriam promoveat, ejuſque ſublimitates palam annunciet. O quantus favor, eſſe præconem laudum Jeſu: Hoc opta, & Deum roga, tibi ut hanc gratiam impertiat, & erubeſcas, quòd hactenus non attendiſti animum gloriæ divinæ procurandæ, ſed moleſtiæ creandæ. Perpende inſuper dotes hujuſce ſanctæ fœminæ ab Evangeliſtâ relatas. Primum, illa proceſſerat in diebus multis, ut pateret, ipſam loqui non ardore quodam juvenili vel levitate ulla, ſed ſenili prudentia. Deinde commendatur ab inſigni ſua caſtitate virginali, conjugali & viduali, quo in ſtatu vixit uſque ad annos octoginta quatuor, & in præmium tam longæ caſtitatis donata fuit Spiritu prophetiæ. Attende, quantum placeat Deo puritas iſta, & quomodo animabus puris ſua ſecreta manifeſtet.

feſtæ. Stude excitare in te amorem iſtius virtutis adeo acceptæ *Deo*. Qui paſcitur inter lilia. Cant. 2.

Secundum. Conſidera ejusdem Annæ virtutes reliquas. Adjungit Evangeliſta *non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* O egregium exercitium! Aſſiduitatem in templo comitatur jejunium, quod carnem domat, ſanctitatem corpori confert, refrænat paſſiones, purgat vitiis animum, & dæmonem ſuperat; jejunio jungitur oratio, quæ replet cor ſanctis cogitationibus, mentem elevat, virtutibus ornat animam, cœleſtes impetrat conſolationes, & de *Deo* triumphat. Et hoc exercitio uſa non eſt per tempus aliquod breve; perſeveravit in illo nocte ac die, usque ad annos octoginta quatuor. Quid tibi videtur? Numquid jure erubeſcere potes ad hoc exemplum, tuamque delicatam agendi rationem & in virtute inſtabilitatem damnare? ſi quid leve patiendum tibi eſt, animo cadis; quod ſi labor duret, ſtatim illum abjicis & opus deſeris. Collige te, erubeſce coram *Deo*. Conſidera quàm delicatè te geras, quàm parum diu te colligas, & in oratione perſeveres non potes dicere, quòd ſervias *Deo* die ac nocte, quàm brevem particulam vitæ tuæ in obſequium divinum impendis? Et deinde expectabis cœleſtes gratias, conſolationes & viſitationes? at dicit *Dominus* apud Iſai. cap. 28. *docebit ſcientiam ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus*, hoc eſt, eos qui propter illum mundi illecebras procul abjiciunt. Non morantur in eodem corde & voluptates corporis & conſolationes Spiritus Sancti. Te audi, à te conſilium cape & ſtatue, quid tibi, quid animæ tuæ, quid ſaluti tuæ magis expediat, his vel illis carere.

Tertium. Conſidera, quid fecerit hæc ſancta mulier? primo aſpectu, ſanctum infantem agnovit

divinitus timore omni depulſo, quanquam adhuc nullum Chriſti virtute perpetratum miraculum vidiſſet, *confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael*, ita ut Simeoni accineret. O ſancta occupatio! Dei laudes celebrare, ejusque nominis gloriam dilatare! O vera Dei famula quæ cooperatur ad manifeſtandum JESUM, qui ſub ſpecie infantis ordinarii ſuam divinitatem occultabat! O ſancta mulier, digna, cui invideatur! Erubeſce magnopere, anima mea; quàm timidè de Deo loqueris, quàm languide illius cauſſá operaris! quàm remiſsè aggrederis ea, quæ ſpectant divinum obſequium! quàm denique miſerabilis es, cum enim tui muneris eſſet, exemplo tuo cæteros ad Dei notitiam pertrahere, eos contrà à JESU retrahis. Induc animum, teſtari verbo & opere, quòd JESUS ſit verus redemptor, & hujuſcemodi notitiam comprobare ſollicitâ fugâ omnis offenſæ divinæ, ſummoque dolore omnis culpæ præteritæ.

XI. Februarii.

MEDITATIO LXXV.

Virgo redimit filium ſuum, & contendit Nazarethum.

P*Unctum primum.* Lex quæ præſcribebat ut primogeniti offerrentur Deo, jubebat etiam, ut redimerentur quinque ſiclis Sacerdoti traditis, quorum quilibet quatuor Juliorum valorem æquabat. Virgo, quæ primam legis partem ſervaverat, offerendo filium, eum poſtmodum quinque ſiclis redemit, ac recepit è manibus Sacerdotis, cui nomine *Dei* fuerat oblatus. Conſidera primum, fidelitatem Dei hac in parte. Acceptisſimam habuerat filii ſui oblationem

non

non illum retinet, reddet Virgini, novo, ut ita dicam, munere nos omnes donans ut filius ſuus totus eſſet noſter. Gratias tibi ago, Domine, pro iſto favore. *Dediſti illum mundo in incarnatione, eundem iterum das in præſentatione; probas ratamque habes donationem, quia magno teneris deſiderio ſalutis & redemptionis noſtræ.* Non ita ego me gero tecum. Quoties profeſſus ſum, me dare velle tibi cor meum, tibi meam voluntatem conſecrare? ſed quoties me pœnituit liberalitatis meæ? & ſi minus verbis, ſaltem operibus, quod tibi dederam, illud à te ſuſtuli, mihique reſumpſi. O ſi ſemel addiſcerem, eſſe conſtans in iis, quæ obtuli tibi! ſed miſerum me, quem aura quæcunque volvit in gyrum. Concede mihi per merita Jeſu Chriſti ſtabilitatem in bono propoſito, ut tibi præſtem, quod tot nominibus tuum eſt.

Secundum. Conſidera, quòd Virgo ſanctiſſima filium redimit, & in manus ſuas recipit. Quanta conſolatione fruebatur, dum haberet inter ulnas ſuas eum, in quo ſuum omnem affectum collocarat! ſed quem putas fuiſſe finem, quem in redimendo filio Virgo ſpectabat? ſuam duntaxat conſolationem? nullatenus, quid ergo? illum redemit non tam ſibi, quàm nobis; vult illum educare, ut ſuum quidem filium, ſed ut ille quoque ſe impendat noſtræ ſaluti, & homines redimat. O Virginem de meo bono quàm maximè ſollicitum! poſſum & ego tibi etiam dicere, ô mater ſanctiſſima, *Accipe puerum iſtum & nutri mihi*, Exod. 2. Ita ut Mariæ debeam, quicquid faciet in filio nutriendo & educando, cum illud omne ad meam ſalutem dirigatur. Quæ igitur obſequia præſtare debeo Virgini pro iſta educatione? quomodo deberem hujuſcemodi educationem ſæpius in mente verſare, ut illi gratias rependerem, & quoties illam inter brachia filium geſtantem

intueor, toties in mentem revocare ſtudium, quo illi deſeruit, ut ſcilicet ſuo ſanguine me redimeret. Dolebo, quòd hactenus illius tam rarò meminerim, & ſtatuam inpoſterum me emendare.

Tertium. Conſidera pretium, quo Virgo filium redimit, ſcilicet quinque ſiclorum, pretium utique commune & vile; At quid rei? poſſunt quidem alii primogeniti redimi hoc pretio, verùm iſte infans non ordinarius, ſed *Deus* ſimul, & tam vili pretio redimitur? Ah *Domine*, jam adverto culpam meam nihil excuſationis admittere, cum poſſim tam exiguo pretio te comparare, & eodē pretio, quo res quælibet alia ordinaria, ſi illud in te emendo velim impendere; proh pudor! eodem labore, quo res terrenas & viles mihi comparo, poſſum comparare te mihi, & tamen huic etiam labori parco! quid poſſum dicere, niſi pudore magno ſuffundi, & ſtatuere, in poſterum longè aliter operari? Attende inſuper quinq; ſiclis Jeſum redimi, h.e. mortificatione quinq; ſenſuū acquiri Jeſum poſſe; at non jam amplius Jeſus redimetur quinque ſiclis, ſed quinq; plagis, quibus totū ſanguinem profundet Conſto Deo tam caro pretio, & tam parvo me vendo Satanæ, ſcilicet pro fumo honoris, pro vanitate voluptatis corporeæ, non ita ſit, te obſecro, mi Jeſu, per tuam miſericordiam. Denique his expletis Virgo cum Sancto Joſepho & infante Jeſu domum ſuam Nazarethum verſus contendit. Eos ſequere, & ut iis quæ in ſanctâ domuncula geruntur, interſis.

X. Februarii.

MEDITATIO LXXVI.

Herodes inſidiatur Chriſto, & quærit modum occidendi illum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Herodes, cum Reges Magi ad ipſum non rediiſſent, nuntium latu-

laturi de nato rege Judæorum,neque ipſemet aliunde quicquam de infante didiciſſet ſtetit diu cæca rerum expectatione ſuſpenſus, donec audiens fuiſſe infantem aliquem in templo oblatum, quem Simeon & Anna Meſſiam eſſe vulgarant, advertit ſibi fuiſſe illuſum à magis, & conſilium cœpit occidendi Chriſtum. Vide, quò hominem deducat paſſio vehemens; quæ conſilia illi det; quanta cum feſtinatione præcipitet,maximè paſſio dominandi, ſtudium gloriæ & propriæ utilitatis,ſi Rex iſte Judæorum natus erat, verſabatur in cunis adhuc,nec tam cito Herodem regno ſpoliare poterat, quot anni expectandi erant, ut natus Rex ad tollendum illi regnum habilis foret? interea non videbat, judæos quicquam moliri,imo indicato loco ubi naſci debebat, non ſe moverunt Jeroſolymis, ut natum Regem adorarent. Quid igitur tam cito timebat? Denique paſſio excæcat mentem, cui dominatur, diſcurſum prævertit, agit, rapit & præcipitem ſecum trahit miſeram voluntatem. Quàm diligenter igitur cavere debeo, ne violenta aliqua paſſio in me dominetur,omnemque diligentiam adhibere,ut omnes animi motus in officio contineam. Refer animum ad tuum ſtatum,& attende,num aliqua paſſio in te exerceat imperium, & ad eam frangendam & penitus domandam animum applica.

Secundum. Conſidera, quòd ſi temporaliter Chriſto naſcente extitit Herodes,qui ejus vitæ inſidias tetendit, id tamen quotidie ſpiritualiter renovari,quando in anima naſcitur Chriſtus deſiderio novæ vitæ,& majoris ad divinum obſequium applicationis, non deeſt ſtatim alter Herodes,hoc eſt, *Dæmon* aliquis,qui nititur deſiderium illud extinguere, propoſitis difficultatibus, offendiculis, tentationibus, quibus anima deterrita deſiſtat à propoſitis, & ita

S 5 Chri-

Chriſtus recens natus in ea moriatur. Quàm conſonum veritati eſt iſtud, ſi attendis ad ea, quæ tibi contigerunt. O quàm certum eſt, eum qui vult animum applicare virtuti, ſubito incurrere in perſecutores externos, qui illum ſuis conſiliis aliò avertunt, & internos hoſtes offendere, qui ipſum difficultatibus terrent! quemadmodum Sanctus Auguſtinus expertus eſt, cum vellet divinum obſequium amplecti. Attende penitus ad hanc veritatem, & ſtatue quòd difficultatibus terreri non debeas ſed potius animari, ex iiſque colligere, Dæmonem tuum in virtute progreſſum formidare; quare illum pro viribus ſuis enititur impedire. Te ipſe collige, & expende, quæ tibi hactenus acciderunt; Utrum animo fueris erecto? utrum difficultatibus oſtiteris? utrum facile ceſſeris, & bonum inchoatum abjeceris præ timore? Quamobrem pudeat te mali admiſſi, & induc animum, deinceps tueri ab inſidiis Herodis Jeſum in tuo corde natum.

Tertium. Conſidera rationem, quam inivit Herodes, tollendi de medio Chriſtum. Neſciebat infœlix, utrum verè prodiiſſet in lucem Rex iſte Judæorum nec quando, neque ubi degeret. Fluctuabat animo miſer, & timor regnum amittendi, quaſi jam immineret, ipſum vehementer urgebat, ut remedium adhiberet. Elegit certe crudeliſſimum, ſcilicet cædem omium infantium, qui ab eò tempore, quo ſtella apparuerat, venerant ad lucem Bethlehemi, & in circumjacentibus locis, ſibi certò perſuadens, fore ut hac ratione Chriſtum unà cum aliis infantibus cæſis mactaret. Vide, ut Herodis ſpes evaſit inanis, ut ejus conſilia fuerunt eluſa. Mactati ſunt infantes, at Chriſtus, quem unicum quærebat Herodis ſævitia, ſalvus evaſit, quare canit Eccleſia. *Quid proficit tantum nefas? quid crimen*

He-

Herodem juvat? unus tot inter funera impune Chriſtus tollitur. Ita ut peccatores errent in ſuis diſcurſibus, & eorum conſilia non ſemper felicem ſortiantur effectum. *Quia non eſt conſilium contra Dominum.* Deus ſuper invigilat, qui ſuâ providentia ſceleratorum conſilia diſſipat; Ergo fiducia collocanda eſt in Deo, qui omnia congruenter ad ſuam gloriam diſponit; ergo timendus eſt *Dominus*, qui cogitationes impiorum evertit; Ergo diſponendæ ſunt res, non ex affectu proprio, ſed ex lege divina, tuncque felices ſucceſſus ſperari poterunt. Vide, an tu iſtum agendi modum teneas. Inſuper attende, ab Herode quidem fuiſſe occiſos iſtos infantes ſed paucis poſt diebus miſerè illum vitam finiviſſe, regnumque ſibi ac ſucceſſoribus amiſiſſe. Adverte, quòd quicunque Deum offendit, Deo pœnas exolvat, & ſpe excidat ſua. Quamobrem concilia tibi Deum, illum time, illum ama, & mores tuos divinæ legis ſanctitati accommoda.

XI Februarii.

MEDITATIO LXXVII.

Jeſus ſubtrahitur ex inſidiis Herodis.

P*Unctum primum.* Herodes mortem Chriſto machinatur; & qua ratione Pater æternus filium ſuum ab hoc periculo liberabit? Occidere Herodem ex omnium ſcelerum importunitate concretum? Vel certe ejus iram tanti criminis conciliatricem mitigare? vel potius filium ſuum ex oculis mortalium ſubducere? aut ipſum occultare Nazarethi, cum infantes Bethlehem occidendi eſſent, non Nazarethi in civitate Galileæ, quæ itinere trium dierum diſtabat Bethlehemo? nihil horum elegit Pater æternus, ſed vult ut filius ſuus fugam capeſſat in Ægyptum. Num hoc eſt argumentum debilitatis & miſeriæ? vix erat

aut

aut quatuor menſes emenſus eſt Jeſus,& ætatis teneræ rationem non habes ? quid quæſo poterat eſſe filio tuo majori incommodo ? quid dignitati Filii *Dei* magis contrarium ? igitur vincitur Jeſus, & Herodi cedat neceſſe eſt: iſte nihil patitur & patitur Jeſus ? Quam mirabilia & profunda ſunt conſilia tua, Pater æterne! videris affectu teneriore ferri erga inimicum & ſceleratum, qualis eſt Herodes , quàm erga filium, quem tantopere diligis : At non ita ſe res habet. Vis,ut patiatur filius tuus, ut hinc diſcamus modum,quo tractas amicos tuos tibique charos, quos laboribus,perſecutionibus & moleſtiis exerces,ſimulque nos accingamus ad eadem toleranda ; neque eſt quod conquerámur,cùm eodem quo filium tuum,nos tractes modo. Penetra hanc veritatem, ut hæc tibi proficiat,cum ſe dabit occaſio,& patienter feras,quicquid Deo viſum fuerit.

Secundum. Conſidera,quòd Pater æternus volens ut filius fugâ ſibi conſuleret,elegit Ægyptum. Non erat igitur, ô *Domine*, alia regio, quam filius tuus habitaret,quàm terra barbara & Hebræi nominis inimica ? cur non eligis patriam trium Regum , à quibus fuiſſet Jeſus honorificentiſſimè exceptus , omniaque ſibi neceſſaria liberaliſſime accepiſſet ? Quis in hoc etiam, ô *Domine*,tuam diſpoſitionem non ſtupebit ? non parcis ullis filii tui incommodis ; quin imò videtur,quod de induſtria & ex compoſito illum conjicias in neceſſitatem patiendi extrema quæque ; procul à notis , à parentibus , & vitæ commoditatibus omnino privatum. Ita eſt. Quid facit Jeſus,qui probè novit omnia ? forte expoſtulat de patre ? imò gaudet vitam agere duram & aſperam in ætate etiam tam tenera & delicata ; non expectat annos robuſtiores. Tanto flagrat deſiderio patiendi pro me &

ſalute mea. Quantum debeo, ô mi Jeſu, tuo erga me amori? Totus es in me convincendo factis tuis, quòd me ames & duriora amplectaris, ſalutis meæ vindicandæ cauſa non ita me gero erga te. Et tu hic non erubeſcis, qui ut placeas Jeſu, nihil incommodi pati vis? Ah Domine, quando tam illuſtri exemplo accenſus meum teporem excutiam, ut tuo aliquando amori reſpondeam?

Tertium. Conſidera, quomodo Pater æternus deſtinans Ægyptum filio ſuo fugienti inſidias Herodis, voluit huic genti idolorum cultui deditæ ſuam miſericordiam & bonitatem exhibere. In pœnam obſtinationis Pharaonis, omnes primogenitos Ægypti interfecerat, nunc ad reſarciendum hoc damnum, & ad compenſandam pœnam, concedit Ægyptiis filium ſuum, ut ſua ille præſentia terram illam conſecraret, & jaceret fundamenta hujuſce magnæ ſanctitatis, quæ deinde in Monachis & ſanctis Eremitis effloruit. Attende divinam bonitatem, quæ ſuam quoque miſericordiam exercuit erga eos, qui rigorem cœleſtis juſtitiæ ſunt experti. Jure dicebat Propheta, *Cum iratus fueris, miſericordia recordaberis.* Habaç. 3. Quantum exinde laudatus fuit Deus ab Antoniis, ab Hilarionibus, totque aliis, qui in illa Ægypti regione floruerunt! ita ut quando *Deus* vult, ſciat è ſpinis flores colligere. Sume animos, ſi que hactenus cor tuum tribulos ingratitudinum & peccatorum produxit, recurre ad pietatem divinam, illam roga, ut viſitet, ſuaque præſentia in te inſerat ſemina virtutum, ut ſi hactenus officio tuo defuiſti, poſſis inpoſterum divino numini reſpondere, ejusque gloriam longè lateque propagare.

XII. Februarii.

MEDITATIO LXXVIII.

Angelus nuntiat Joſepho, ut ſecedat in Ægyptum.

PUnctum primum. Angelus Domini apparuit Joſepho in ſomnis, eumque his verbis compellavit, ſurge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, usque dum dicam tibi; Herodes enim vitæ Jeſu inſidiatur. Conſidera, circumſtantias hujuſce juſſionis; quis imperat? Angelus, nomine Patris æterni, qui filium ſalvum eſſe volebat; quàm tutò cuſtoditur, quod Dei cuſtodiæ committitur! quàm ardenter igitur optare debeo in tua eſſe tutela, tuoque particulari & paterno præſidio defendi! Cui divinum Imperium denunciatur? Sancto Joſepho, non Virgini, licet matri, licet majori ſanctitate conſpicuæ, quia Joſeph erat caput familiæ, cuſtos filii & matris, ita ut Deus juvet & dirigat eos, quibus gubernandi cura & officium incumbit. Vide, ut Deus ordine procedat. Quo tempore fit juſſio? dum Sanctus Joſephus dormit, & quidem nocte. Ergo neceſſe eſt, ſtemus in promptu, & moram omnem præſcindamus ad vocem Dei vocantis, ut cum Davide dicere poſſimus, *paratum cor meum Deus*. Quid habet agere? accipere puerum & matrem ejus. Hoc dicit, præterea nihil, qui enim habet Jeſum & Mariam in ſuo comitatu, poteſt in Deo fiduciam ſecurè collocare. Quo iturus eſt? in Ægyptum. O ſummam miſeriam! quàndo Jeſus tutiùs degit inter hoſtes, quàm inter ſuos. Ah! quoties crudelius ſæviunt in Jeſum, qui profitentur ipſum ſectari! Quanto tempore morari debet in Ægypto? uſque dum moneatur. Ut diſcamus noſtri regimen divinæ providentiæ committere.

Secundum. Conſidera. Quàm durum fuit iſtud S. Joſepho? Modo venerat Nazarethum, cumque exiſtimaret, ſe quiete potiturum domi, ecce novum imperium, quod illi declaratur, ut nulla interpoſita mora in regionem procul diſſitam proficiſcatur. Hei mihi: Num Sanctus Joſephus dicere poterat, hactenus nil mihi otii conceſſum eſt; primum mihi ſollicitudinem injecit gravida Virgo; deinde profectio in Bethlehem non mediocri moleſtiâ me affecit; illic multa incommoda paſſus ſum per quadraginta dies in vili ſtabulo; vix ingreſſus ſum Nazarethum; mihi fuga capeſſenda eſt, non dato ſpatio comparandi res ad iter neceſſarias; proficiſci debeo ad regionem barbaram; & quanto tempore ibi manſurus, penitus ignoro. Cur non prius monebar? cur non datur tempus accingendi me tantiſper ad iter? *D*omus mihi deſerenda eſt, diſcedendum mihi eſt inſalutatis amicis & conſanguineis? Magnum certe exercitium fidei in ſancto Joſepho, qui reverenter ſe ſummiſit diſpoſitioni divinæ, libenter capeſſivit imperium, divinæ voluntati ſeſe accommodavit, & æquo animo acceptavit labores, quibus Filius *Dei* ſe ſubjiciebat. O ſi ſcirem in rebus adverſis meam voluntatem divinæ ſubjicere, ejus diſpoſitionem libenter acceptare, tacere, obedire, & ferre fortiter tentationes, quibus Deus exercet ſuos: Miſerum me: quando res non proſpere fluunt, ſtatim mente conturbor, titubo in fide, nec patienter divina judicia revereor. Robora, *D*omine, debilitatem meam, & concede mihi gratiam, quâ æquo animo accipiam de manibus tuis, quicquid mihi contigerit.

Tertium. Expende virtutes, quas ſanctus Joſeph hac occaſione exercuit. Primum ſummiſit ſuum judicium, nihil opponens, nihil conqueſtus; Deinde

prom-

promptè obedivit in re tam difficili, quale eſt, deſerere patriam, domum, amicos, conſanguineos, ſupellectilem domeſticam, & proficiſci ad regionem barbarã, inimicam, incognitam, ſine rebus ad iter neceſſariis. Tum promptiſſime imperium executioni mandavit, ſomnum excuſſit, ſurrexit hac eadem nocte, & in viam ſe dedit. Quàm illuſtre exemplum tibi imitandum proponitur! quantus rubor te manet, ſi attendis, te adeo eſſe tenacem proprii judicii in rebus etiam facilibus! adeo promptum in opponendis rationibus! quando tibi incumbit implere voluntatem divinam, te adeo eſſe lentum & tardum in ea exequenda, ut quodvis vel leve incommodum fugias! Roga Sanctum Joſephum, ut tibi impetret gratiam, qua illum imiteris, cum ſe dabit occaſio ſtatue cum Propheta. *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea* in omnibus? Propone cum eodem. *Sicuti oculi ſervorum in manibus Dominorũ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum.* Pſal. 122. velle inſtar ſervi fidelis ſpectare voluntatem divinam, ut illam promptè & humiliter exequaris.

XIII. Februarii.

MEDITATIO LXXIX.

Monetur Virgo de juſſione divina, & cum Joſepho itineri ſe committit.

P*Unctum primum.* Ubi S. Joſeph monitus fuit ab Angelo de itinere ſuſcipiendo, ſtatim aperit Virgini imperium ſibi divinitus denunciatum. Quid agit illa? non de juſſione expoſtulavit, non queſta eſt, quód ad ſe tanquam matrem cœleſtia imperia non dirigerentur, ſed promptè morem geſſit; hanc eſſe Dei voluntatem in animum induxit, & ex intimo corde dicebat. *Ecce ancilla Domini*, meum eſt obedire, *Domini* autem imperare, ſive

ipſe

ipſe per ſe mihi ſingnificet voluntatem ſuam, ſive per alium, quem mihi caput & ducem conſtituit. Tibi ſummopere gratulor, ô Virgo ſanctiſſima, quod tam prompte & ſummiſſè obedias: clarè profectò apparet, te duci ſola voluntate divina, non autem motivis humanis; Nos apertè doces, quantò quis major eſt in conſpectu Dei, tantò illum de ſe humiliora ſentire. O ſi poſſem imitari tam inſigne exemplum, cum ſeſe offert occaſio parendi legi divinæ! Noſtra ſuperbia pati non poteſt, ut inferior quidquam præcipiat nobis; Tu potes à Deo impetrare mihi ſimilem obediendi alacritatem. Vide, ut ſtatim è ſomno excitat filium & complicatis pro temporis anguſtiis aliquibus ſarcinulis, nemine ſalutato ſe promptam exhibet, & expeditam ad iter capeſſendum. Quid bonus Jeſus dicere potuit apud ſe? quàm alacriter obtulit patri ſuum exilium, ut nos cœlo extorres ad patriam noſtram reduceret! O ſi eſſem unus ex illis, pro quibus tunc efficaciter te obtuliſti, ô bone Jeſu! Et quemadmodum tu non vis edere miracula, ſed fugam arripis, quaſi eſſes purus homo, & peregrini more vitam iſtam ordiri, ita me ego agnoſcerem, ut talem, & res hujuſce vitæ ut tranſitorias, non autem ut fixas & ſtabiles reputarem!

Secundum. Conſidera, quid ſecum mente volverent Virgo & Sanctus Joſeph, exeundo è civitate Nazareth, & iter aggrediendo Ægyptum verſus: Sine dubio ſeſe accommodarunt voluntati divinæ, prompti atque accincti ad ferenda omnia incommoda, ſine moleſtiâ & amaritudine, imò cum magnâ animi alacritate, quia id totum erat ad collocandam in tuto vitam JESU, qui unicum erat illorum bonum & theſaurus. Quantum roborabantur ab hac cogitatione in medio incommodorum? Hæc omnia patimur, ut JESUM à periculo atque ab irâ Herodis

ſubducamus. Perſuaſum habeas maximum lenimen malorum noſtrorum eſſe cogitationem, quòd pro Deo patiamur. Attende ad iter quod habent, duro lecto, vilibusque cibis utendo, ut pauperibus obvenit. Quid dicitis Angeli comites horum peregrinorum? Ut ſtatis attoniti! quòd cum facillimum ſit abundare omnibus rebus neceſſariis, tamen Jeſus tam paupere tractatione lætetur? Denique ubi eſt Deus, nihil deeſt. Iſta erat conſolatio, quâ perfundebatur animus Virginis & ſancti Joſephi, qui ſecum habebant Jeſum, qui incommoda externa, internis conſolationibus compenſabat, quàm gratam habebat Jeſus laſſitudinem matris & Joſephi, quomodo benigniore oculorum intuitu, utriusque moleſtias in dulciſſimam voluptatem convertebat: Unus infantis amplexus laborem omnem & amaritudinem dulci, ut ita dicam, ſaccharo condiebat. O ſi quis ſibi certo perſuaderet, quòd ſub cortice laboris pro Jeſu tolerati includatur medulla dulcedinis, non ita putant mundani, qui vident quidem crucem, ſed unctionem internam non experiuntur. Scire, quòd habeam in corde Jeſum, poſſe dicere, patior pro Chriſto, ô venam aquæ dulciſſimæ irrigantem cor meum: Da Domine, ut alte infigam menti meæ hoc principium.

Tertium. Vide, quomodo æternus Pater voluit filii ſui ingreſſum in Ægyptum honorare, cumque homines ſuum non agnoſcerent Dominum, arbores illum ſunt veneratæ, incurvato in terram trunco; animalia obviam illi venerunt honoris cauſa; aves dulci cantuum melodia perſtrepentes applauſerunt venienti (ut ſcribunt Abulenſis in c. 2. Matth. Sozom. l. 5. cap. 20. Cartag. Tract. 3. *lib*. 9. Homil. 10.) & idola, quæ ab hoc populo adorabuntur, juxta Prophetiam Iſaiæ cap. 19. in terram ceciderunt. Vide, quomodo præſtandum ab hominibus officium ſuppleverunt creaturæ

tum

tum ſenſu tum ratione carentes. Inſuper ut Jeſus incœpit bene mereri de illa gente, deſtruendo illius idola. O ſi Jeſus in meo corde idem efficeret, ita ut in conſpectu illius ſtare non poſſent affectus mei male compoſiti, ſed quicquid in anima mea voluntati divinæ repugnat, in terram caderet everſum penitus & comminutum. Deſidera illud cum magno animi fervore, & Deum roga; ut tibi gratiam concedat, qua deſiderium opere compleas tuque interea ſume animos, ut agnoſcas Jeſum ſubeuntem in penetralia cordis tui, ut illi ſubjicias quicquid eſt in te, quod animal ſapit, ut laudes ejus proſequaris & abhorreas ab his omnibus, quæ hactenus per Dei contemptum adoraſti.

XIV. Februarii.

MEDITATIO LXXX.

De his, quæ Jeſus paſſus eſt in fuga ſua, & ingreſſu in Ægyptum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo jam tres erant menſes, cum natus erat Jeſus, nec ipſe quietem invenire poterat è labore in laborem tranſit, vix finivit quadraginta dies plenos moleſtiæ in ſtabulo, cum Jeroſolymam & Nazarethum contendit. His ſuccedunt alia incommoda graviora, & monitu Angeli diſcedendum ipſi eſt de nocte, & ſubito Ægyptum verſus. Nulla igitur habetur ratio incommodorum, quæ paſſurus eſt infans talis; & in ætate tam tenerâ? labebatur ſecundus menſis cum redierat Nazarethum; cur tunc temporis non indicatur profectio ſuſcipienda, ut maturè parentur ea, quæ itineri habendo ſunt neceſſaria? Quid? eodem temporis articulo & indicitur diſceſſus, & diſceditur, ita tecum agis, ô Domine? Denique hæc diſpoſitio non fit abſque voluntate tuâ, cur exilii labores ad finem

vitæ non differs? vix tres menſes attigiſti, & jam patriam mutas in terram barbaram & hoſtilem; renuntias quieti, qua fruereris domi tuæ, & commodis, quibus inter tuos non careres; quis hanc diſpoſitionem & voluntatem *D*ei non mirabitur? Ecce quam avidè cuperet labores tolerare, ipſum non eximit ætatis teneritudo, non injuria aëris, non inopia, non paupertas. Numquid hoc exemplo arguitur nimia, quam habemus de commodis noſtris, ſollicitudo? quàm parum novimus abnegare nos ipſos?

Secundum. Conſidera, quàm moleſtum fuit Jeſu, intelligere ſe odio haberi & ad mortem quæri; & qua de cauſa? quia natus erat; & hæc nativitas num maximum erat ex beneficiis, quæ Herodi contulerat? non habebat in animo, ipſi regnum eripere; non deſtinabat, quæ ab aliis poſſidebantur, ſibi uſurpare, ſed omnium expoliatione nobis regnum cœleſte largiri. Quo ille dolore afficiebatur, quòd tanti magnitudinem beneficii tanta compenſaret ingratitudo? Attende ad occaſionem, quam quotidie præbes Jeſu expopulandi de te, qui tot gratiis ab eo acceptis cum ingratitudine majore reſpondes. Attende inſuper, quòd licet injuſte oppugnaretur, & perſequentem ſe facili negotio poſſet opprimere, cedit tamen furori, ſe ſubducit, & tot laboribus ſe exponit, ne cogatur pœnas repetere, ſuoque gravi incommodo de ſe triumphare ſinit Herodem. O quale documentum mihi das, tu qui errare non potes, erro ego, accipiendo tanquam legitimas has excuſationes, & rationes, quas amor proprius ſuggerit mihi; Quod quiſque debeat ſuas rationes propugnare, proprio honori ſtudere, ſuam dignitatem tueri, nec pœnas ſubire errorum & perverſitatis alterius. Hîc peccat Herodes, tu nullius criminis reus & pateris, tibi ipſe incommodas & cedis. Illumina tandem, O Domine, tenebras meas, ab errore revoca

cor

cor iſtud, ut libenter crucem ampleƈtatur, & domet cupiditates meæ felicitatis inimicas.

Tertium. Perpende, quæ Jeſus paſſus eſt. Primùm, cum toto die pependiſſet è brachiis, modo matris, modo S. Joſephi (quod non parum incommodabat infanti qui vix tertium menſem ætatis exceſſerat) non habebat probabiliter ſub veſperum, niſi miſerum hoſpitium, pervium haud dubiè noctis inclementiæ, & benignè ſecum actum putabat, ſi pro cunis pauculas paleas reperiret. Summa ſiquidem paupertas duorum peregrinorum majori commoditati locum non dabat: Quis non ſtupeat tam inaudita exempla? qua fronte mundus excuſare poteſt ſuum agendi modum tam delicatum? non erat utique neceſſarium, ſed voluntarium hoc genus laboris Chriſto, *cujus eſt terra & plenitudo ejus.* Deinde quid invenit in ingreſſu Ægypti, atque in illa civitate quæ erat ipſius habitationi deſtinata? quid egiſtis Angeli præcurſores? quid eſt, quamobrem Regi gloriæ dignum hoſpitium non præparaſtis? Laborarunt haud dubio in reperiendo tecto in illa regione barbara, incognita & inimica. Quis poteſt ſatis mente perpendere neceſſitates, cui ſubjacuerunt? Vos ſcitis, qui eas probaſtis, ſanctiſſimi peregrini. Adeſte huc, quicunque pati refugitis, admiremini labores trium maximorum totius mundi principum: & quomodo poteſtis, ſi iſtud capitis in mediâ rerum omnium abundantiâ pacem & quietem reperire? Statuite ad exemplum Jeſu, privare vos quotidie aliqua re, ne ſitis adeo abſimiles illi, qui pro nobis ſpoliavit ſe omnibus.

T 3 *XV. Fe-*

XV. Februarii.

MEDITATIO LXXXI.

Labores JESU in Ægypto.

P*Unctum primum.* Conſidera, quantam mœſtitiam perceperit Jeſus toto illo tempore, quo in Ægypto remanſit, dum ſe verſari videret in medio gentis idolorum cultui deditæ, quæ privans Patrem æternum honore ipſi debito, falſa numina venerabatur. Quanto divinæ gloriæ zelo indubitantur ardebat cor Jeſu! quibus affectibus exæſtuabat ſanctiſſimus infans, quas lachrymas ex oculis profundebat, non plangebat quidem, ut cæteri infantes, qui carent uſu rationis, ſed lachrymabatur propter offenſas ab hominibus divinitati illatas. Quanto cum animi affectu mortalium peccatis opponebat ille deſiderium ſuum illa delendi ſanguine ſuo, ad honorem æterni patris reſarciendum, ſi tu quoque ſimilem zelum de offenſis Deo illatis in tuo corde conciperes, quàm diligentior fores in operibus tuis ita explendis, ut Deo placerent? quantò majorem curam adhiberes, ne tua aliorumque cauſa Deus offenderetur? Quàm ægre ferres opprobia continua, quibus divina majeſtas afficitur? exemplo Davidis, qui deliquium animi patiebatur, cum tot transgreſſores divinæ legis cogitabat. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinqentibus legem tuam*. Pſ. 118. JESUS amabat Patrem æternum, & propterea zelo accendebatur, ſi tu amares, zelo quoque ferveres. Exerce te in hoc affectu, atque enitere Deum amare.

Secundum. Conſidera, quid Jeſus in ſe ipſo ſit paſſus? tantum aberat, ut ſuperfluis abundaret, ut ſæpium rebus neceſſariis careret, dum vix acu Virgo, & arte ſua Sanctus Joſephus ſibi victum compa-

comparارent. Penetra hanc veritatem. Conſidera,quales ſint perſonæ; vide,quam facile poſſet Jeſus huic inopiæ mederi,& tamen extrema paupertate exercetur, vilius & moleſtias amplectitur. Quot in mundo affluunt deliciis, & filius Dei cum ipſius matre & matris ſponſo omnibus rebus carent? O ſi intueremur vultus noſtros in iſto ſpeculo, quomodo à cordibus noſtris non exularet amor & ſollicitudo bonorum temporalium? mentem adverte præterea, quòd cum non eſſet agnitus ab Ægyptiis, niſi ut filius fabri lignarii, & quidem ad ſummam egeſtatem redacti,quanto contemptui illis erat? O ſi agnoſceretis, ô Ægyptii,quem apud vos habetis, certe longè aliter cum eo ageretis. Quàm noxia eſt animæ cæcitas & ignorantia, ſi ad te mentem reflectis, illud probabis. Sed qualis erat patientia Jeſu? non mœrebat, ſed gaudebat,& dolores corporis atque opprobria ſibi in infantiâ illata tanquam præludia ad majora pro te toleranda contemplabatur. Pudeat te impatientiæ tuæ in rebus moleſtis, quæ occurrunt; ſtude imitari Jeſum,qui vivit circumdatus tot laboribus pro te, & ſaltem illius non obliviſci.

Tertium. Conſidera, quo animo Jeſus ferebat incommoditates & labores, quos mater & S. Joſephus à Judæa extorres patiebantur; maximè cum non ignoraret,illos ſua ipſius cauſa,hoc eſt,ut ipſum furori Herodis ſubducerent,omnia deſeruiſſe, ſeq; ad extremã inopiam redegiſſe. Quem affectũ compaſſionis hæc cogitatio excitabat in corde Jeſu? diſce tu quoq; laboribus proximi compati,maximè quando tua cauſa hos patitur. Inſuper attende,quo pietatis tangebatur Jeſus, videns crudelitatẽ immanem,quam Herodes in Judæa exercebat erga parvulos innocentes, ipſis crudeliter vitã eripiens in ſinu matrũ. Quàm tenere compatiebatur infans Jeſus,probè gnarus,quòd tã barbara carnificina

exerceretur, ut ipſimet vita tolleretur? Enſis, qui corpora infantium cædebat, tranſverberat cor Jeſu compaſſione & dolore, quo feriebatur. Expende pariter affectum virginis & Sancti Joſephi in iſta occaſione. Stude compati malis aliorum, præſertim morti ſpirituali innocentium, qui poſt longam vitam in innocentia traductam labuntur in peccatum mortale, vel illis juvenibus, qui Herodem nanciſcuntur, hoc eſt, ſocium corruptis moribus, qui vitam gratiæ illis eripit. Vide, an tu alicui innocenti occaſionem dederis labendi in hujuſcemodi mala, & *D*eum roga, ut tibi condonet ſi quam aliis peccandi occaſionem præbueris.

XVI. Februarii.

MEDITATIO LXXXII.

Quomodo Jeſus in ſua infantia ſe gerit erga Patrem æternum.

P*Unctum primum.* Infantia Jeſu, quæ perfectiſſimum uſum habebat rationis, digna eſt, quæ conſideretur ut multum diſſimilis ab ætate tenerâ reliquorum infantium, quare perpende, quomodo Jeſus perfectiſſimè ſui compos, exercebat omnes actiones infantibus proprias, lac ſugendo, vagiendo, blandiendo matri, arridendo Sancto Joſepho, diſcendo movere greſſum, incipiendo lingua formare voces, & ſimilia agendo huic ætati magis idonea; attende nihilominus actiones iſtas eſſe dignas admiratione atque adoratione, utpote actiones Filii *D*ei. Et verò num res eſt plena admirabilitatis, quod *D*ivinitas hiſce infantiæ actionibus ſubjaceat, quòd ſapientia infinita ſit primum muta, deinde balbutiens? quòd omnipotentia ita debilitetur, ut initio neſciat regere greſſum, & diſcat incedere? quòd actus internos, quibus Patrem rogabat, dolebat peccata mundi, ſeſe immolabat pro hominibus,

nibus, conjungeret cum actionibus externis infantiæ? Quomodo, Domine, in his ipſis operationibus admirabilis es atque amabilis? *Magnus Dominus & laudabilis nimis*; & ſimul. *Parvus Dominus & amabilis valde.* S. Bern. Hoc totum fecit pro me; ad iſta ſigna humilitatis ſeſe abjecit, quas ſibi gratias agere deberem? quàm ardenter te amare? quàm diligenter imitari humilitatem, obedientiam, ſimplicitatem, innocentiam tuam, & recordari eorum, quæ deinde dicebas, *niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum?* Concede, quæſo ô Jeſu, per amabiliſſimam dulcedinem tuam, ut ſciam ego quoque exemplo tuo ad infantium ſimplicitatem redire.

Secundum. Conſidera, quam durum eſſet homini perfecti judicii, ſi cogeretur vivere cum geſtibus moribus & actionibus infantium? Et quàm acerbum erat Jeſu, dum præditus judicio æque perfecto ac nunc in cœlo, nihilominus ſponte præ ſe ferebat, ſe non capere diſcurſum, non pollere judicio, & uſum rationis non attigiſſe! non operabatur, niſi ut unus ex infantibus ordinariis, premendo ea, in quibus ſua divinitas eluxiſſet; privabat ſe functionibus ordinariis, quaſi non vidiſſet, nec audiviſſet, nec de ulla re judiciũ formaſſet, gratias age Jeſu, quòd pro te iſta patiatur, & diſce ejus veſtigiis inſiſtere, exſpoliando te propria judicio, ut illud ſummittas Deo & ſuperioribus tuis, ad ejus honorem dona accepta celando, atque actiones honorificentiores omittendo; vilia quæque officia amplectere, quando charitas id ita exigit; nec non ejus gratia proprios ſenſus viſum & auditum refræna, adeo ut poſſis dicere cum S. Davide, tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiebam os meum: Verum ſi in te mentem reflectas, deprehendes, quàm longè abſis ab iſta imitatione. Recurre

ad Jeſum, ut tibi concedat gratiam, qua illum imiteris, & ejus cauſa fias cæcus, ſurdus & mutus.

Tertium. Conſidera, quod licet Jeſus ſecundum ſpeciem externam non niſi more cæterorum infantium videretur operari, tamen jam tum compos rationis, & ultra beatitudinem, quam anima poſſidebat, donatus ſcientia infuſa, quæ ab organis corporeis non dependebat, ne per unum quidem momentum otioſus permanebat, ſed elevatione cordis ad Deum & oratione continua divinam majeſtatem adorabat, gratiiſque illi actis pro omnibus donis ſuæ humanitati conceſſis, in ardentisſimos amoris actus effundebatur. O gratisſimum cœlo ſpectaculum, intueri divinum illum infantem, cum ſignis etiam exterioribus divinæ majeſtatis amplitudinem adoraret, cum parvulas manus piè jungens ad preces & ocellos ad cœlum elevans, ſe coram Deo humiliter proſternebat! Quid dicebant Angeli præſentes? Quam gratæ, quàm efficaces apud Patrem erant preces illæ, quæ ſolæ poterant illi debitum honorem exhibere? Junge, ô anima mea, preces tuas precibus Jeſu, ut inde valorem trahant, ſæpe ad ejus imitationem leva cor tuum ad *D*eum, eum adorando, amando, gratias illi agendo, ipſiusque voluntati prompto prolixoque animo te offerendo.

XVII. Februarii.

MEDITATIO LXXXIII.

Quomodo Jeſus in ſua infantia ſe gerit erga Virginem & S. Joſephum.

P*Unctum primum.* Conſidera modum, quem Jeſus tenuit erga Virginem & Sanctum Joſephum, omnino diverſum à modo, quem reliqui infantes erga parentes ſuos ſequuntur; iſti timore vel inclinatione naturali ducti, neſcio quid obſequii præſtant genitoribus ſuis. Jeſus non ita operabatur, ſed ſemper agebat

cum

eum perfectisſimo uſu rationis, cum motivis altisſimis, nihil agendo quantumvis puerile, quod à ſumma ſapientia & perfectisſimo amore non proficiſceretur. Quem affectum in animo Virginis & Sancti Joſephi non excitabat hic agendi modus? quem amorem ſibi non conciliabat Filius Dei reverentia, quam utrique exhibebat? num iſtud motivum erat ſufficiens, ad excitandam in illis profundam reverentiam erga infantem tam ſanctum, tam amantem, tam amabilem? num violentè rapiebantur, ut ſe totos ſuperimpenderent in ejus obſequio? O ſi quis poſſet hoc affectu ferri erga Jeſum? Quàm jure & merito erubeſcis ô anima mea, quòd nec Deo, nec Dei in te regendo vices gerenti debitum obſequium præſtas! ſtatue, Jeſum imitari, eumq; roga, ut dignetur cordi tuo ſpiritũ inſerere, quo ſuperioribus tuis debitam reverentiam exhibeas.

Secundum. Conſidera reverentiam, quam ambobus exhibebat, & verbo & opere ubi primum voces formare cœpit; quomodo præ ſe ferebat, ſibi placere omnia, quæ accipiebat? quomodo pasſim dabat grati animi ſigna, propter continua beneficia, quibus à matre, & à Sancto Joſepho afficiebatur? quomodo ad eorum nutus ſe totum accommodabat? quam prompte eorum deſideriis morem gerebat? Quàm felix erat Virgo, quæ habebat filium, qui volebat & ſciebat ipſi placere! qui amabilior indies evadebat! In quos affectus prorumpebat cor Virginis, cum audiebat ſibi gratias haberi à filio, quaſi ipſe eſſet debitor non creditor, cum tamen plus contuliſſet, & continuo conferret Virgini, quàm Virgo ipſi quotidie conferret! Quæ æmulatio filium inter & matrem oriebatur, dum ille ſtudet placere matri, & iſta filio. O me miſerum, qui ſancta hac æmulatione non tangor? quot beneficiis JESUS continuo me cumulat, & quàm parum ſtudioſè illi

repen-

rependo debitum cordialis ſervitutis affectum ? Te, ô Virgo, rogo impensè, per illam animi conſolationem, quam tunc temporis experiebare, ut mihi conferas particulam affectus tui, qua poſſim Jeſu amori reſpondere.

Tertium. Conſidera inſuper, quod licet communi feratur axiomate, filios non poſſe parentibus ſuis æquale beneficium rependere, tamen Jeſus non in eo numero eſt collocandus; quas & quantas gratias continuo largiebatur Virgini & S. Joſepho, quomodo ſingulis momentis creſcebat in illis gratia, charitas aliæque virtutes? quæ flumina conſolationum internarum in eorum corda derivabat ? Longe alia erat conſolatio ab ea, quam reliqui infantes parentibus ſuis afferunt. Si filius ſapiens eſt gloria Patris, quam lætitiam afferebat Jeſus Patris ſapientia? veriſſimum certe comprobabatur, quod dixit Spiritus Sanctus de ſapientia incarnata, *non habere amaritudinem converſationem ejus, nec tadium convictum illius, ſed gaudium & exultationem.* Sap. 4. Quàm longè aberat triſtitia ab ambobus in præſentia Jeſu, qui totus attendebat, ut divinam amicitiam ſibi uterque indies magis conciliaret! O ambo feliciſſimi! vobis gratulor tantam felicitatem donaque ingentia, quibus infans Jeſus ſibi præſtita obſequia compenſabat. Placate mihi Jeſum precibus veſtris, impetrate mihi ejus auxilium, & communicationem gratiarum, quibus anima mea progreſſum faciat in virtute à qua tantopere vacuum & inanem me ſentio.

XVIII. Februarii.

MEDITATIO LXXXIV.

Quomodo Jeſus in ſua infantia ſe gerit erga homines.

Pun-

P*Unctum primum.* Jeſus cum in ſua infantia animæ beatitudine frueretur, & ſcientiam haberet infuſam, videbat omnes homines, qui ex Adamo originem traxerunt, & aliquando tracturi erant ad finem uſque hujus mundi, & inter omnes te videbat, te proſequebatur amore, qui verbis exprimi nequit, tibi genus omne boni exoptabat, quod ut aſſequeretur, operabatur in ſua infantia & continuos labores tolerabat: Ita ut mi Jeſu, ne momentum quidem ſinas elabi, quin me intuearis, quin de me & de mea ſalute cogites, quin patri æterno pro me offeras actiones tuas. Quantum, O Domine, tibi debeo, & quam parum grato animo tot tantisque beneficiis ſtudeo reſpondere? Ecquando cogito de te ex toto corde? Ecquando pro te & pro gloria tua operor ex plenitudine voluntatis meæ? O anni mei, quò fluxiſtis? quàm male expenſi atque conſumpti? furto ſubduxerunt mihi virides annos ætatis meæ melioris ſollicitudines terrenæ, affectus erga creaturas, mundana negotia, & parum aut nihil habuit Jeſus. Ut verè dicam, non ſufficerent lachrymæ ſanguineæ, quibus plangerem errores meos; & tamen Saxo durior, non ad me redeor, non dolore diſrumpor, non mollior, & quod pejus eſt, neſcio qua ſpe me ſuſtentem. Ad te recurre, infans ſanctiſſime, neceſſitas mea te tangat ut mihi ſuppetias feras; ama me, nec ſine, me novæ ingratitudinis reum indies gravari pondere peccatorum meorum.

Secundum. Conſidera, quomodo noverat omnes miſerias humanas, magnum illum peccatorum torrentem, qui trahens originem ab Adamo manabat ad finem uſque mundi; ſupplicia omnia, tam temporalia, quam æterna, quæ mortales in ſe provocant ſceleribus ſuis; Infernum præterea videbat impleri animabus, quæ Paradiſo fuerant deſtinatæ, & magnam poteſtatem, quam ſibi Dæmon in animas vindicaverat,

quas moleſtias tenerrimo cordi Jeſu tam funeſta ſpectacula non creabant? Advertebat, patrem ſuum æternum tot offenſis & injuriis appetitum, hominesque fratres ſuos ad tantam miſeriam & infelicitatem cecidiſſe. Quàm uberes lachrymæ manabant ex oculis Jeſu infantis? Paulus vi amoris, quo ferebatur erga ſuam nationem, cujus perditionem apud ſe reputabat, dicebat, *Triſtitia mihi magna eſt & continuus dolor cordi meo* ad Rom. 9. Quis doloris ſenſus erat in Jeſu, qui penitus noverat infelicitatem tot mortalium, qui perituri erant, & tanta charitate genus humanum proſequebatur? Quomodo cor illud dolore conficiebatur & tabeſcebat? Quis erat ſenſus illius de te? Quonam ille modo te intuebatur, ut ſuum, aut ut alienum? Stude concipere veram deteſtationem omnium peccatorum, quibus Jeſum infantem contriſtaſti. Offer in ſatisfactionem tuarum noxarum merita Jeſu lachrymantis, & enitere, tibi ſit cor gratum Jeſu, qui miſeriis animæ tuæ cum tanta cordis teneritudine commovebatur.

Tertium. Eodem tempore Jeſus ſecum in animo reputabat Patris imperium, quo jubebatur mundum redimere, & paſſione ſua ac morte ſatisfacere pro hominibus; quare oblationem jam factam ſæpius renovabat, qua ſeſe ultro obtulerat promptum & expeditum ad voluntatem patris executioni mandandam. Expendebat omnes ſuæ paſſionis circumſtantias, jam patiens apprehenſione, quæ olim reipſa ſuo tempore paſſurus erat, atque in illa univerſali oblatione pro omnibus, te etiam in particulari contemplabatur, quaſi pro nullo alio mortem eſſet ſubiturus. Gratias habebis Jeſu pro tanto affectu, & ſtudebis, magnum dolorem animo concipere, attendendo, quàm malè tractes eum, qui tecum egit tam benignè, & jam ab infantia tot & tanta paſſus eſt pro te, Vide, quid hactenus

pro

pro illo egeris. Cave,ne tua ipſe ingratitudine reddat inutile,quod tua cauſa fecit & tulit,imò illum roga,ut ſis ex his fructibus,quos ad vitam æternam crucis arbor fœcunda producet.

XIX. Februarii.

MEDITATIO LXXXV.

Quomodo Virgo & Sanctus Joſeph ſe gerunt erga Jeſum infantem.

P*Unctum primum*.Conſidera varios affectus,quibuscum Virgo agebat cum Jeſu,modo ut mater,modo ut ancilla,modo ut tutrix & gubernatrix Jeſu,dum adhuc infans in prima ætate verſaretur.Quis ſenſus in illa erat,dum Jeſu intueretur ut filium ſuum? Quæ teneritudo,quæ ſollicitudo in eo nutriendo & educando? quàm accuratè,quam benevole eundem tractabat,geſtabat,lactabat,quàm reverenter agebat cum eo,cujus ſe ſervam agnoſcebat,quemque pariter *D*eum eſſe non dubitabat? Hunc adorabat,huic ſe conſecrabat,eumq; omnibus obſequii demereri ſtudebat,quibus creatura Deum creatorem ſuum poterat devincire.Denique ut tutrix quicquid res exigebat id nomine filii ſui diligenter adimplebat,idque cum ſummâ intimi & incredibilis amoris ſignificatione.Quantũ animo gaudium concipio,Virgo ſanctiſſima,quòd curâ tibi de Jeſu demandatâ tam ſtrenuè defungeris! O ſi quis particulam tui erga Jeſum amoris impertiretur,ut exemplo ſuo illi deſervirem ex animo , illum colerem reverenter, totum me ſuperimpenderem ad ejus honorem,ejus cauſa ſemper integre operarer,ſemperq; meo erga illum officio ſatisfacerem! Quantum erubeſcere debeo,ſi attendam, quàm longè diſtent opera mea!attamen in eo ſita eſt tota conſolatio noſtra,ut nos totos impendamus & ſuperimpendamus in obſequio Jeſu. Tu Virgo ſanctiſſima exiguam in corde meo tui ſacri amoris ſcintillam accende.

Secundum. Conſidera, quid ageret S. Joſeph, quâ ratione ſe gereret cum Jeſu, cujus licet verus non eſſet Pater, habebat tamen à Spiritu Sancto ſibi communicatum paternæ pietatis affectum erga Jeſum, non ſecus ac ſi filius ipſius fuiſſet. Quare ſubi cogitatione in cor Joſephi, & attende diligentiam & curam quam adhibet in Jeſu cuſtodiendo, non parcebat labori, nō reformidabat periculum, ut vitæ Jeſu conſuleret, ſollicitus erat in eo fovendo, matrem ſolabatur & eam levabat in iis omnibus, quæ neceſſitas poſtulabat. Quàm dulci conſolatione perfundebatur animus tuus, ô ſanctiſſime Joſeph, quando attendebas, omnia fieri Jeſu cauſa! quàm felicem te reputabas! quàm grati tibi erant labores, qui dirigebantur ad ſcopum tam nobilem! Gratulaberis Sancto Joſepho, eique ſortem tam beatam ſanctè invidebis. Hunc rogabis, ut obtineat tibi gratiam, quâ ſingularem lætitiam percipias ex laboribus pro Jeſu ſuſceptis, ut tibi infundat peculiarem ſollicitudinem promovendi Jeſu honorem, & educandi in anima tua divinum illum infantem operibus ſanctis, quæ cibi ſunt ei gratiſſimi.

Tertium. Conſidera ea, quæ Maria & Joſeph ſimul agebant. Jeſum cingebant, ut duo Cherub propitiatorium. *Erant Maria & Joſeph mirantes.* Quo animi ſtupore non percellebantur? Hunc adorabant, hunc rogabant, ut *D*eum ſuum, huic ſe in omnibus comites offerebant; Huic gratias habebant, quod ipſos ad tam nobile ſervitutis miniſterium elegiſſet, quas amoris flammas ambo non concipiebant? quantâ animi voluptate non fruebantur, quòd illum quotidie ſecum in menſa accumbentem ſemperque lateri adhærentē viderent! cum ejus vocem audirent, cum præſentis faciem & oculos mirarentur? quoties abſtinuerunt à cibo ſumendo, cum adverterent cibum capi

ab

ab eo, qui paſcit univerſum! Quot noctes traduxerunt genibus flexis ante illum, qui quantumvis dormiret, tamen Orbis conſervationi invigilabat. Sola de *Deo* recordatio Davidem exhilarabat; quid non faciebat præſentia viſibilis Filii *Dei*? liqueſiebat anima ſponſæ ad vocem Dilecti? Quæ gaudia non experiebatur mens Virginis? totalis ſancti deliquium animi paſſi ſunt, & in aërem rapti, conſiderando perfectiones & dotes cœleſtes pulcherrimi Jeſu, in quas amoris abyſſos ambo non labebantur, propter tam domeſticam & familiarem conſuetudinem cum Jeſu infantis? Hæc enimvero gaudia dici poterant ſolidæ conſolationes. Hæ verè dulces erant converſationes. O ſi quis hujuſcemodi voluptatum ſuavitates tantiſper delibaret! ſed heu me! Etenim palatum meum aſſuefactum cæpis Ægypti probare nequit manna tam dulce. Adi Virginem & Jeſum, & pro tua egeſtate illos roga, ut cordis tui miſeriæ ſubveniant reliquiis menſæ ſuæ, ne impoſterum in hies mundanis cibis & voluptaculis hominū.

XX. Februarii.

MEDITATIO LXXXVI.

De reditu JESU ab Ægypto ad civitatem Nazareth.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo Virgo & Sanctus Joſeph habitabant Ægyptum cum magna patientia & obedientia, non ægre ferentes animo, quòd res in longum traheretur nimis, vel impatienter expectantes tempus, cum monerentur de reditu, congruenter monitioni Angelicæ. *Eſto ibi, dum dicam tibi.* Ecce in quo ſita ſit virtus ac ſanctitas, non affluendo omnibus bonis, & ſuæ voluntati ſerviendo, ſed in rebus adverſis pacificè & obedienter vitam traducere. O ſi in medio cordis mei haberem hæc verba inſculpta, quaſi mihi dictata! *Eſto ibi usque dum dicam tibi.* In

hoc morbo, in hac adverſâ fortunâ perſeverabo, donec à *D*omino revocer. Tandem Herodes dies vitæ explevit, & mortuus eſt: ita ut ſceleratorum hominum felicitas ſuum habeat terminum. Quid prodeſt infelici, regnum poſſediſſe, circumfluxiſſe divitiis, thronum ſuum ſanguine innocentium ſtabiliviſſe? *Tranſierunt omnia, tanquam umbra.* Ita finientur, quæ tu in pretio habes, divitiæ, voluptates, honores, fama & nominis noſtri apud homines commendatio ſola virtus, ſi illam amplecteris, nunquam te deſeret, nunquam morietur. Ama igitur, quod nullis temporum circumſcribitur terminis; non adhære rebus caducis; hoc modo tuam felicitatem in tuto collocabis.

Secundum. Apparet Angelus S. Joſepho, eique ſignificat, ut ſecum infantem & matrem aſſumat, & redeat in terram Iſraelis, quòd jam obiiſſent diem extremum, qui vitæ Jeſu inſidias moliebantur. Attende ad curam, quam *D*eus ponit in ſuis; examina fidem illius in promiſſis; non obliviſcitur laborantis pro ſe; non differt explere promiſſa, cum tempus opportunum offertur. *D*iſce fiduciam collocare in Deo; dignum te exhibe quem Deus in ſuam tutelam recipiat. Efficiet ille, ut omnia ad ſuam gloriam & ſalutem tuam ſuccedant, morem geſſit actutum Joſeph in deſerandâ Ægypto, ut fuerat in adeundâ. Quia qui non vult, niſi quod *D*eo placet, non minori cum diligentia exequitur quod ſibi moleſtum eſt, quàm quod ſibi gratum. Hinc intellige, te non debere coram Deo in unam partem magis propendere, quàm in aliam, ſed ſemper præſto eſſe, ut ſtatim exequaris, quod ille præſcribet, ſive tuæ voluntati congruat, ſive adverſetur. Attende inſuper ad dolorem, quem multi in Ægypto perceperunt ex diſceſſu ſanctiſſimæ illius triadis, poſtquam ejus dulci conſuetudine uſi fuiſſent, ejuſdemque opera ad notitiam veri numinis perveniſſent, & idolorum cultum

abje-

abjeciſſent, O quantam jacturam illis attulit diſceſſus Jeſu Mariæ & Joſephi? Adhibe tu operam, ut tecum habitent ſemper, & ſæpius ad memoriam & voluntatem affectu & recordatione recurrant.

Tertium. Conſidera timorem, quo perculſus eſt S. Joſeph, ubi accepit Archelaum regnare loco Herodis. Deſtinabat animo Joſeph reditum ad civitatem Jeroſolymam, ut in templo poſſet *Deo* gratias rependere, eúmque adorare. Timuit, ne periculo vitam Jeſu objiceret. Cur, O ſancte Joſeph, tam gravi timore percelleris? Tibi Angelus ſignificavit, jam defunctos eſſe, qui quærebant animam pueri : atque adeo tibi perſuaſum eſſe debet, Archelaum non fuiſſe ex numero eorum, qui Chriſto mortem moliebantur: Timor iſte arguit, te minime fidere Angelo, qui Dei nomine te admonuit. O ſanctam ſollicitudinem. Reſpuit tot diſcurſus Joſeph, & videtur mihi dicere, nimia cura adhiberi non poteſt in Jeſu collocando in tuto; quando eſt periculum amittendi Chriſtum, parum quid eſt, qualibet adhibeatur cuſtodia. *D*iſce, juſtos trepidare etiam in media ſecuritate; non anguſti quidem ſunt animi, verùm agitantur ſemper delicato quodam ipſisque innato timore, qui ex amore divino naſcitur, nec unquam exiſtimant, ſe plus æquo diligentioris eſſe in cuſtodiendo Jeſu ejusque gratia in cordibus ſuis. Vide, ut hic te geris, & ſanctos imitare. Recurrit Joſeph ad Deum in hoc dubio, & monitus eſt, ut in Galilæam ad civitatem Nazareth ſe conferret. Adverte, ut *D*eus vitam juſtorum partiatur, modo illos exercet, modo ſolatur. Illum jubet è patria diſcedere, mox eundem reducit ad patriam. Nunquam igitur animis cadas. In medio proſperæ fortunæ, animum diſpone ad ferendas fortiter res adverſas, expectatione conſolationis quæ brevi triſtitiæ ſuccedet.

XXI. Februarii.

MEDITATIO LXXXVII.

Jeſus duodecim annos natus remanſit in templo inſciis parentibus.

P*Unctum primum.* Cum jam appeteret feſtum Paſchæ, S. Joſeph ut ſatisfaceret muneri ſuo, ſimul cum Virgine, quantumvis non teneretur unà cum Jeſu ſe contulerunt Jeruſalem, ut *D*eum adorarent: Vide, quàm accuratus ſit Joſephus in adimplenda lege, quæ præſcribebat ut ter in anno ſiſterent ſe in templo. Vide ſanctitatem Virginis, quæ accenſa deſiderio honorandi Deum in iis, ad quæ non obligabatur, iter iſtud Nazaretho Jeroſolymam usque aggreditur. Hinc diſce, reddere *D*eo, quæ *D*eo debentur, & implere quæ lex ejus præſcribit: Diſce, non ſatisfacere tantum officio tuo, ſed plura præſtare, quàm poſtulet. Mentem in te reflecte, & attende, an muneri tuo facias ſatis; perpende, quam avarè te geras cum *D*eo, nolendo præſtare ea, ad quæ præſtanda non obligaris, & erubeſce, quia tibi *D*eus ultro confert tot tantaque beneficia, quæ tibi conferre non tenetur. Quid miſer haberes, ſi Deus hunc modum agendi tecum ſervaret? quid eſt igitur, quamobrem tu ita te geras cum Deo? Inſuper duxerunt ſecum Jeſum duodecim annos natum. Jure volunt ſecum habere Jeſum, cum quo bonum omne poſſidetur. Illos imitare, & nitere, ut ſemper habeas Jeſum in tuo comitatu. Quàm libenter itineri ſe dedit Jeſus deſiderio ſummo accenſus honorandi patrem ſuum æternum in domo ipſius! Stude tu quoque ſimili ſpiritu duci, quando ad templum te confers.

Secundum. Conſidera modum, quo Virgo & S. Joſephus templum Jeroſolymitanum petierunt cum Jeſu, quem finem ſibi proponunt? ſanctiſſimum, ut Deo ſcili-

ſcilicet clientelare obſequium exhiberent, ut illi gratias agerent pro omnibus beneficiis ab ejus liberalitate acceptis, ut veniam mundi peccatorum & gratias mortalium ſaluti, neceſſarias obtinerent. Attende inſuper, quàm reverenter locum illum ingrediuntur? quàm piè ſuas ibi preces fundunt! quàm ſtudiosè ſua dona offerunt: Quis erat affectus Jeſu, quàm gratæ Patri æterno filii preces: O ſi tu adhiberes aliquid reverentiæ, dum verſaris in templo, quàm longè vagatur cor tuum: Quàm immodeſti oculi tui, quàm intemperans lingua tua: Qui Deum honoraturus veneras in templum, ibi illum offendis. Diſcrepant prorſus opera tua ab iis, quæ dicis te credere; te collige, attende, ut finem ſanctum tibi proponas ingreſſurus eccleſiam, & ſtude, ut ſtes cum ea reverentia, quam Majeſtas divina ibi præſens meritò poſtulat.

Tertium. Tranſactis diebus feſtis, & perſolutis pietatis officiis Jeſus remanſit ſolus Jeroſolymæ, inſciis parentibus. Conſidera, quis ſit ille, qui remanet, nempe eſt Jeſus? quinam ſunt illi, quibus inſciis remanet in templo? ſunt Virgo & ſanctus Joſeph. O Domine, quid hic facis? Num probè tenes, fore, utut hujuſcemodi mora magnum afferat dolorem Mariæ, quam tanto amore proſequeris? quid times, ſi illam ea de re certiorem facias? Num dubitare potes, quin illa acquieſcat voluntati tuæ, & Patris æterni diſpoſitioni ſeſe accommodet? quantam illi ſubminiſtrabis materiam lachrymarum? quantam occaſionem timoris & laboris? nihilominus matrem non monet, ut improviſo ſuo receſſu novi meriti & coronæ materiam illi præberet: ita ut receſſus Jeſu ab anima non ſemper ſit culpæ ſupplicium, ſed virtutis probatio atque exercitium. Quare opus eſt animis in ſimili occaſione. Deinde ut nos doceret victoriam omnis humani reſpectus, cum agitur de obſequio divino; Et quamvis non

ignoraret, Virginem non impedituram fuiſſe conſilium, attamen vincit hunc affectum, ad noſtrum exemplum; quantò magis ego addiſcere debeo, omnem erga parentes erga ſanguinem & carnem affectum domare quando de obſequio divino agitur? Concede mihi, ô bone Jeſu vires, quibus te imiter, ſuperemque affectũ omnẽ, qui divinæ voluntati non congruet.

XXII. Februarii.

MEDITATIO LXXXVIII.

Quid fecerit Jeſus tunc temporis.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus cum attigiſſet annum vitæ ſuæ duodecimum, judicavit è re divina fore, ſi aliquod ſui ſignum oſtenderet; ita divinitas quæ in eo latebat, incepit aliquem ſuæ ſapientiæ & ſcientiæ radium ſpargere, ut inde Judæi arriperent occaſionem cogitandi de Meſſia, eumque cognoſcendi. Attende animarum zelum quo Jeſus ardet, non deeſt, ſuo tempore illuminare, inſpirare, vocare. Gratias age Chriſto, pro zelo, quo fertur erga ſalutem noſtram, opta, ut ab omnibus agnoſcatur (*Manifeſta te ipſum mundo*) & in corde tuo oriatur radius lucis veræ, quo illum magni facias, ames & ſequaris.

Secundum. Conſidera, quomodo Jeſus elegit ad ſui manifeſtationem, accedere ad doctores legis, eos audire, eos interrogare, eis præbere anſam inveſtigandi & cognoſcendi Salvatorem, ſed attende, qua vultus modeſtia, qua verborum demiſſione ſeſe in illorum mentes inſinuat. O Domine, tu poteras ſedere in medio Doctorum, ut verus illorum Magiſter, & tanquam verus Sol infinitæ ſapientiæ radios vibrare, tamen locum infimum eligis & videris velle addiſcere ab ipſis, tanquam diſcipulus intelligentiam ſacrorum voluminum, quæ tu ipſe ſuggeſſiſti, ac dictaſti Prophetis. Præterea animadverte prudentiam, quâ utitur in

ſol-

ſolvendis dubiis, adeo ut citra ullum jactantiæ ſignum ſummam in animis auditorum moveat admirationem. Quàm illuſtre tibi Jeſus exemplum præbet manifeſtandi quidem talenta doctrinæ tuæ, ſed opportunè, ſed cum divini nominis gloria id repoſcit, ſed modeſtè, ſed humiliter, non veluti qui ſuperbit, ſed tanquam qui ſolum *D*ei honorem & proximi utilitatem tibi proponit. Te collige, & attende, num ita te geras cum res poſcit, atque erubeſce, quod doctrinam & talenta venditaris, ad conciliandam tibi famam apud homines potius, quàm ad promovendam divinam gloriam & proximum adjuvandum. Gratias age Jeſu, quod hoc modo ſe manifeſtares, ut Judæi inciperent Salvatorem agnoſcere. Optatu quoque, & Jeſum roga, ut ſe manifeſtet animæ tuæ, tandemque ipſum agnoſcas.

Tertium. Conſidera, quibus rebus occupetur Jeſus per totum triduum. Impendebat haud dubie multum temporis in orando, & in lugendis peccatis mortalium, ac præſertim populi, quem *D*eus peculiari benevolentia proſequebatur. Quis ſenſus animi erat in Jeſu, dum adverteret, quàm irreverenter populus ſe gereret in templo, domo patris ſui? quo zelo non fuiſſet accenſus, niſi illum alteri tempori reſervaſſet? delectabatur mirificè ſacrificiis quæ offerebantur, repræſentantibus verum ſacrificium, quæ ipſe olim oblaturus erat in cruce; mente verſabat ſacramenta, quæ in ſua eccleſia inſtituere volebat; tot doctores eccleſiæ tot miniſtros ſacramentorum; uno verbo, quicquid erat in eccleſia ſucceſſurum, non aliò avocabat mentem cogitatio de cibo vel de ſomno, cū totū forte tempus traduceret jejunus & inſomnis, referens animum, ut ſolus procul à conſanguineis cū patre ſuo ageret. O qui potuiſſet penetrare in arcanos affectus Jeſu, quibus tunc tēporis mens ejus accendebatur! quæ non deprehendiſſet

digna ſæculorum omnium admiratióne? Gratias ago tibi, ô Jeſu, pro his, quæ tunc egiſti & toleraſti! vellem equidem diſcere ex te modum ſanctè impendendi tempus in templo. Largire mihi verum Spiritum devotionis, ut abjecta omni alia intentione vel curioſitate, tibi ſub ſanctiſſimo ſacramento latenti debitos honores exhibeam.

XXIII. Februarii.

MEDITATIO LXXXIX.

Quid fecerit Virgo cum Sancto Joſepho, cognitâ Jeſu jacturâ.

P*Unctum primum.* Cum Chriſtus occultè ſe ſubſtraxiſſet à matre & à Sancto Joſepho, permiſit Deus, ut illi licet alioquin de infante ſolliciti non advertent ipſum Jeroſolymis remanſiſſe, ſed eundem in comitatu conſanguineorum & amicorum eſſe crederent. Expende in hoc rerum ſucceſſu divinam diſpoſitionem. Venerat Virgo Jeroſolymam, licet peculiari cultu Deum afficeret, & ecce in præmium actionis tam ſanctæ jacturam patitur rei, quæ ſibi erat omnium chariſſima. Cur, ô Domine, matrem ſanctiſſimam hîc contriſtas? Voluit *D*eus ſubminiſtrare tibi materiam patientiæ, ſimulque præbere exemplum ſummiſſionis, voluntatis, & humilitatis, in jactura tam gravi. Et forte non fuit magna patientia? non excidit pace internâ, non quæſta eſt, quòd ex opere ſummè pio, quale erat, adiiſſe templum Jeroſolymitanum non niſi moleſtiam referret. Humiliter de ſe ſenſit, reputans ſe indignam, quæ talis filii mater eſſet, & forte, ſicuti proprium eſt ſanctarum mentium, exiſtimavit ſe peccaſſe in iis in quibus nullam ipſa culpam admiſerat; Te collige, & vide, qumodo te geris, quando bene operanti res malè ſuccedunt, vel privaris

ris à Deo creatura aliqua tibi in primis chara; pacem cordis amittis? lamentaris internè, quaſi tecum malè ageretur? Diſce à Virgine judicium ſummittere, diſce reputare te indignum divinis beneficiis, & ut potes, æquo animo ferre divinæ diſpoſitionis effectus.

Secundum. Cum Virgo & Sanctus Joſeph progreſſi itinere unius diei perveniſſent ad locum, in quo noctem erant traducturi, non invenerunt puerum Jeſu. Conſidera, quis fuerit tunc temporis ſenſus Virginis & Sancti Joſephi. Magnum animi dolorem perceperunt, non quod exiſtimarent, illum aberraſſe à via cum non ignorarent, ipſum eſſe ſimul Deum & hominem plenum ſapientiæ, ſed altiora cogitarunt, ne forte nollet amplius cum ipſis manere, ſed initium dare operi, cujus gratia ad terras deſcenderat. Cum quo doloris ſenſu, putas, Virginem hanc noctem traduxiſſe? quas preces non fundebat ad Deum, ne ſibi tam cito Jeſu curam eriperet? quas amoris voces non dirigebat ad Jeſum, quæ ſuſpiria non ducebat? quas lachrymas non ſpargebat? Non guſtavit cibum, ut arbitror, non ſomno clauſit oculos toto illa nocte, & recordata vaticinii Simeonis, jam experiebatur ſibi doloris gladio pectus transfigi. Fidebat & timebat, ſperabat & dolebat. Heu, cur fili mi, ſic me deſeruiſti non monitam? Quis nunc erit cibus tuus? quis tibi lectus hac nocte? quæ requies? ſeipſa colligebat, ut diſpliceret, num in aliquo deliquiſſet; optabat, quantocyus aurora ſolem reduceret, ut filium quæreret; quò major erat amor erga filium abſentem, eò acerbior erat doloris ſenſus, quo mater cruciabatur. Me miſerum, cui toties JESUM peccata tollunt, nec jacturam doleo cui perit divinæ præſentiæ & veræ devotionis dulcedo, nec contriſtor. Fac Domine, ut ſimilibus damnis tangar

diligentiamque adhibeam ad recuperandam præſentiam tuam.

Tertium. Conſidera diligentiam virginis in quærendo Jeſu. Quid non fecit mulier evangelica, quo drachmam amiſſam reperiret? verrit domum, omnes angulos inveſtigavit. Quid Virgo non operabatur, ut ſuum theſaurum in unico Jeſu repoſitum inveniret? Illum requirebat (inquit Evangeliſta) inter cognatos & notos, nec invenit, quia Jeſus matrē ſibi tantopere charam non deſeruiſſet, ut inter cognatos habitaret. Hinc diſce, non ubivis reperiri Jeſum ſemel amiſſum. Inter cognatos non reperitur, hoc eſt, inter affectus ſenſuales, in mediis deliciis ſanguinis, ſed in mortificatione & abnegatione propriæ voluntatis & inclinationis. Propterea Deus dicebat ore Pſalmiſtæ, *Audi filia & vide inclina aurem tuam* & obliviſcere populum, & concupiſcet Rex ſpeciem tuam. Non ſufficit, ut procul habitet, niſi etiam illius penitus obliviſcatur. O ſi mihi perſuaderem hanc veritatem, quòd Jeſus non inveniatur inter congreſſus, colloquia & conſolationes amicorum! Lubentius me colligerem, diligentius attenderem ad res meas, nec ita mente diſtractus agerem. Tu Virgo ſanctiſſima obtine mihi gratiam hanc, ut in quærendo Jeſu diligentiam adhibeam.

XXIV. Februarii.

MEDITATIO XC.

Redeunt Jeruſalem, & inveniunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum.

PUnctum primum. Cum pridie diligentiam omnem fruſtra adhibuiſſent Virgo & Sanctus Joſeph ut exquirerent, num forte Jeſus inter cognatos verſaretur, vix albente aurora Jeroſolymam verſus iter arripiunt. Comitare, anima mea, ſanctiſſimam Virginem, ejus-

jusque ſponſum; vide quàm gradum accelerent; audi colloquia quæ ultro citroque habent; quò triſtiora, eò divinæ voluntati magis accommodata; Alter non conjicit culpam iſtius jacturæ in alterum, ſed cum ardentibus ſuſpiriis, modo recurrunt ad Patrem æternum, ut redonet filium ſuum, modo ad ipſummet filium, ut ipſis oſtendat faciem ſuam, & quærentium dolore tangantur. Adverte, quâ ratione ſit tibi quærendus Deus, quando illum amiſiſti tua culpa; vel quando abſque tua culpa ipſe receſſit à te ut hic accidit ſine culpa Virginis & Sancti Joſephi. Quomodo ille ſit tibi vocandus, nempe vocibus amoris & doloris, non tam propter ſenſibilem aliquam conſolationem, quam ex ejus præſentiâ percipias, quàm propter ipſummet, cui unitus adhæreas. Quonam modo ſit tibi idem inveſtigandus, cum magno fervore & ſollicitudine, nulla re prætermiſſa, ac cum ſancta perſeverentia non incipiendo ſolùm, ſed conſtanter perſeverando, ad exemplum Virginis & Sancti Joſephi quorum animum defatigatio non retardavit, vel aliqua alia cauſa à ſuſcepto itinere non revocavit. In te ipſe mentem reflecte, utrum parem in Jeſu quærendo diligentiam adhibeas, & erubeſce, quod ſollicitè quæras res mundi, non animæ tuæ, ſubitoque defatigeris in *D*eo quærendo, qui in procurandis tibi aliis commodis indefeſſus perſeveres. Recurre ad Virginem ad obtinendam accuratam diligentiam in iis, quæ ad ſpiritum pertinent.

Secundum. Quomodo Virgo & Sanctus Joſephus ingreſſi Jeroſolymam, quantumvis itinere defatigati, non cogitarunt de quiete capienda. Dicebat ſanctiſſima Virgo haud dubiè cum Propheta, *ſi dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inveniam, quem diligit anima mea.* Perrexit probabiliter ad templum, ut ibi illum tanquam in domo paterna quæreret, ſed cum illic non invenit;

peti-

petiit ab aliis ſibi notis, *num vidiſtis quem diligit anima mea?* Quos gemitus non edidit caſtiſſima illa turtur toto reliquæ noctis tempore ex tenerrimo amore & humillima ſui ipſius exiſtimatione, agnoſcens ſe indignam, quæ apud ſe haberet eum, qui ſuus quidem filius erat ſed etiam Dei; ita ut non careat Virgo deſiderio, imò ipſa ditatione accendatur magis. Quò diutius differtur inventio, eò ardentius illius inveniendi deſiderium inflammatur; Virgo apprime cognoſcebat Jeſu dignitatem, & unicè amabat ejus bonitatem. Citò deſiſto à Jeſu quærendo, quia alibi meum affectum collocavi, neque ille eſt unicus theſaurus cordis mei. Non apprehendo ejus amplitudinem: alioqui perſuaſum haberem, quod magni valoris eſt, magno etiam pretio comparari debere. Recurro ad te, *D*omina mea, ut in anima mea accendas indefeſſum deſiderium poſſidendi aliquando *D*eum.

Tertium. Demum tertio die redeuntes Virgo & S. Joſeph in templum, viderunt Jeſum ſedentem inter doctores, qui ſtupebant ejus reſponſa. Vide primum, ubi reperiatur Jeſus, in templo, in loco orationis; templum quippe eſt thronus, in quo reſidet incarnati verbi majeſtas. Diſce, quò te conferre debeas tempore afflictionum tuarum, ad templum in conſpectu Dei; non autem à creaturis mendicare conſolatiunculas aliquas quibus ægritudines animi obtundas & eleves. Túne ita te geris, vel alio deflectis? Inſuper illum invenit in medio legis-doctorum; ut inde diſcamus, Jeſum reperiri in congreſſibus piis, ubi colloquia miſcentur de rebus ſpiritualibus & ſanctis, non autem ubi vani ſermones feruntur. Præterea inter præfectos rerum ſpiritualium, ad quos confugere debes in rebus adverſis, ut ab his dirigaris & illumineris. *D*emum introſpice cor virginis, & attende magnitudinem lætitiæ, quam ex Jeſu invento, unico ſuo bono,

per-

percepit. Mulier illa Evangelica tantum præ ſe tulit lætitiam, quod amiſſam drachmam repetiſſet; in quos affectus virgo non prorupit? laudis erga Patrem æternum, amoris & gratitudinis erga Jeſum. Hunc tu modum tenere debes, quando divina bonitas erga te liberalem ſe exhibet, vel precibus tuis aurem benignam præbet. Attamen in medio tantæ lætitiæ, vide, ut Virgo ſibi temperet. Audiebat plauſum, quo *Do*ctores proſequebantur reſponſa Jeſu, & tacebat; non illum oſtentabat populo, ut filium ſuum; non ſe matrem eſſe jactabat; premit & diſſimulat ea, quæ ſibi tanto honori eſſe poterant & exiſtimationi. Tu non ita te geſſiſſes, quia ſuperbus es & inani gloria duceris. Diſce, ſilentio premere, quod in tuam laudem poteſt redundare, & roga Virginem, tibi ut gratiam exoret, qua ipſius modeſtiam & honoris contemptum imiteris.

XXV. Februarii.

MEDITATIO XCI.

Virgo modeſtè conqueritur apud Jeſum, & Jeſus illi reſpondet.

P*Unctum primum.* Soluto congreſſu cum doctoribus, non intruſit ſe Virgo, ſed expectavit ut Jeſus ad ſe veniret. Adverte modeſtiam, cum qua Virgo agit cum Jeſu, expectabat reverenter, ut prope accederet. Quanta lætitia exultavit ubi acceſſit: triſtitia in gaudium converſa, dixit illi; fili, quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Perpende ſingulas voces: illi dixit, fili. O excellentiam Virginis, quæ dicere *D*eo poteſt fili: Gratulare illi tantam dignitatem, debitumque propterea honorem ei exhibe; Fili, cur? non eſt interrogatio curiosè inquirentis rationem eorum, quæ Jeſus egerat, ſed interro-

terrogatio admirantis, ignorantisque cauſam hujuſcemodi ſeparationis, aut fidentis animi ſignum; quo uſi ſunt tot Sancti. Ita nobiſcum egiſti? Vide, ut vix rem aperit & declarat, nec ipſa de ſe ſola loquitur; ſed de ambobus, ut oſtenderet dolorem fuiſſe communem: Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Attende animi demiſſionem in Virgine. Nominat primò ſanctum Joſephum, honoris cauſa, & quidem majoris honoris cauſa illi titulum patris adſcribit. Non reſpicit (inquit S. Auguſtinus) *ſui uteri dignitatem, ſed ordinem conjugalem Serm. 63. de diverſis.* Non attendit, quod ipſa ſola ſit mater, ſed conſiderat, quòd Joſeph ut ſponſus ſuus ſit loco patris, atque adeo priores illi partes debeantur. Diſce ex Virgine, non parcè honorare alios, ſed quicquid titulorum concedi poteſt, liberaliter illis deferre, nihil timens, tuo juri nocere, ſi cedas.

Secundum. Conſidera reſponſum quod Jeſus dedit. *Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis*, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Apparet primo aditu durum eſſe reſponſum, ſed nobis ſalubre fuit documentum, ut diſceremus, magnam quidem parentibus deberi à filiis reverentiam; at ſi vellent impedire, ne Deo debita obedientia exhiberetur; tunc libertatem illis eſſe aſſumendam, dicendi & faciendi quod ſuggerit pietas. Conqueri poteſt, quis inter mortales, cum alteri poſtponitur, ſed nec pater, nec mater, nec ullus quiſpiam alius poteſt juſte expoſtulare, quod tibi Deus præferatur, & Deo potius ſerviatur quàm homini, & iſtud voluit nobis Jeſus declarare, quod ſi receſſiſſet, dubitare non deberent, quin in eo patris ſui rationibus conſuluiſſet. Huc animum refer, & vide, ſi potior tua cura ſit obſequium divinum, ſatisfacere rebus ſpiritualibus, quæ rectà tendunt ad Deum,

non

non autem eas vel omittere, vel præcipitanter obire, ut aliis negotiis locus cedatur. Inſuper hiſce verbis nobis ſeriò ſignificare voluit, ſuum ſtudium & præcipuam occupationem eſſe, impendi obſequio patris ſui, modo, loco & tempore, prout illi placere noverat. O me beatum, ſi mihi foret animus, hoc publicè teſtificandi coram hominibus, ſed nimium moveor judiciis iniquis mundi. Exime me Domine à gravi illo jugo, & fac ut duntaxat gloriæ ducam, eſſe & videri ſervum tuum.

Tertium. Conſidera, quomodo Jeſus poſt datum matri reſponſum ſtatim illam & ſanctum Joſephum comitatus, Nazarethum redivit. Cogitatione te adjunge his tribus iter habentibus. Introſpice cor Virginis. Quàm magna conſolatione demulcebatur animus Virginis, ob præſentiam filii, quo fuerat per triduum privata? Gratulare matri reditum filii, eamque roga, ut partem iſtius conſolationis communicet animæ tuæ. Attende ad modeſtiam matris, quæ non ſuperbit vel minimùm, quòd filius ſuus fuerit repertus in medio Doctorum, cum ingenti audientium ſtupore. Alius quiſpiam voluiſſet illud ſciri ab omnibus, Virgo rem celat & tacet. Diſce, ſilentio premere, quod poteſt in tuam laudem redundare, & de te rebusque tuis modeſtè ſentire. Vide, cum qua animi demiſſione Virgo Jeſum interrogat de rebus toto triduo tranſactis, & quomodo Jeſus cuncta narrat, ut matris ſuæ & ſancti Joſephi conſolationi ſatisfaciat. O ſi quis interfuiſſet his colloquiis! Quam potenter inflammabantur amborum corda, dum Jeſus cum ſua eloquentia & dicendi ſuavitate mirabili rei ſucceſſum enarrabat! Adverte quàm attente Virgo narrantem audiebat, quàm accuratè audita retinebat

in mente, ut ea poſtmodum apud ſe maturâ conſideratione perpenderet. Utinam ſcirem ego Virginem imitari, divinis nempe inſpirationibus reſpondere; quæ mihi ſuggerit Deus, ea in mente mea reponere, ut deinde præbeat mihi materiam cogitandi, & regulam operandi. Rogabis Virginem, ut tibi obtineat hanc gratiam, quâ ipſam imiteris.

XXVI. Februarii.

MEDITATIO XCII.

De JESU proficiente ætate, gratia & ſapientia.

P*Unctum primum.* Conſidera, quod dicit Evangeliſta, *Puer autem creſcebat, & confortabatur, & proficiebat ætate.* Luc. 2 creſcebat ſtatura corporis, & creſcentibus animis majores vires & novum indies robur corporis acquirebat. Adverte bonitatem *J*eſu, poterat in lucem venire ætate virili & perfectâ, voluit tamen per varias hominis ætates tranſire, earum infirmitatibus ſubjacere, & hoc modo diverſa vitæ noſtræ tempora conſecrare. Ita voluiſti, ô bone Jeſu, applicare merita infantiæ tuæ, pueritiæ, juventutis & ætatis virilis ad ſatisfaciendum pro culpis, quas in harum ætatum decurſu commiſi. Tibi ſupplico, & ſemper cum Propheta ſupplicabo, *Delicta juventutis meæ & ignorantias ne memineris. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.* Inſuper robuſtiori corpore fiebat indies: ad quem finem? quò plura pateretur pro hominibus. Eo nempe animo, mi Jeſu, corpori tuo cibum, augmentum & vires præbebas. Certe ego talia de me non poſſum aſſerere. Nutrivi ſollicite corpus meum, illudque roboravi, non ut gravia quæque pro Deo toleraret, ſed ut contumacius erga divinam legem exiſteret. Ignoſce mihi, Domine,

& fac

& fac,ut diſcam à te, regere hoc meum corpus, quò promptius ſpiritui deſerviat,non autem liberius recalcitret.

Secundum. Conſidera; quomodo Evangeliſtà cum ætatis & ſtaturæ incremento novos in ſapientià & gratia progreſſus conjungat. Non quòd Jeſus temporis progreſſu acquireret novam gratiam habitualem, vel humanitas à Verbo novam ſapientiam acciperet, ſed quia in operibus, quæ faciebat, ſapientia & gratia major elucebat. Quemadmodum Sol licet in ſe habeat eandem lucem, dicitur creſcere,quia majorem lucem ſpargit in terras: Ita Jeſus ſpirans vultu,geſtu & motu gravitatem, modeſtiam, prudentiam & ſapientiam huic ætati congruentem, quò magis annis creſcebat,eo majora indies, & ſapientiæ & virtutis argumenta præbebat,ita ut exterius, ſi minus interius; Chriſti virtus incrementum acciperet. O utinam in me pari progreſſu procederent anni virtus & gratia! At miſerum me! quot annos ætàtis numerare poſſum,quot vitæ Chriſtianæ,ut religioſæ? at virtutis numerare non poſſum; ſi progreſſum feci in ſcientiis humanis non poſſum ſimiliter aſſerere; me paret in gratia progreſſus feciſſe. Negligenter me gero in his; in quibus accuratior eſſe deberem. Quàm rigidè à me ratio exigetur; cum exquiretur; non quantum; ſed quomodo vixero; non quid didici; ſed quid boni egi. Fac; ô bone JESU; per tuam clementiam obſecro,ut non inveniar onuſtus annis; & vacuus à virtutibus & gratia.

Tertium. Conſidera; quod adjungit Evangeliſta, ſcilicet; JESUM proficere ſapientia & gratia coram *Deo* & hominibus, quia ſemper excellentiora indies edebat opera, quæ ut ipſius nominis exiſtimationem apud homines mirum quantum amplificabant;

bant, ita novam eidem apud Deum gratiam comparaſſent, niſi jam inde à prima conceptione fuiſſet gratiæ plenitudine cumulatus: Ita ut Jeſus in operando ſpectaret & Deo placere, & proximi ædificationi conſulere, quia qui tantum ſpectat Deo placere, poteſt ſcandalo eſſe proximo ſuo, & qui vult ſolis hominibus ſatisfacere, poteſt Deo diſplicere. Diſce ex Jeſu, hæc duo conjungere ſimul, & Deo placere, & bono eſſe exemplo proximo tuo, ut intuens opera tua bona laudes referat Patri æterno. Tune ita te geris? ſicne operaris, ut Dei obſequio & proximi ædificationi conſulas? ſi intueris dumtaxat in Deum, non multum operaris, & ſi ſolos homines ſpectas, vanitati famularis. Verus Chriſtianus Divini nominis gloriam cum proximi bono conjungit. Quàm vereor, ne utrumque omittas? mentem reflecte in tuas actiones, & emenda, quod dignum eſt reprehenſione, ac roga Jeſum, tibi ut iſtam gratiam largiatur.

XXVII. Februarii.

MEDITATIO XCIII.

De ſummiſſione & obedientia quam Jeſus exhibebat Virgini & S. Joſepho.

P*Unctum primum.* Evangeliſta poſtquam narravit Jeſum rediiſſe Nazareth, ſubjungit, *& erat ſubditus illis*. O verba plena admiratione ſingulari! Ecce compendium vitæ Jeſu degentis in civitate Nazareth. *Erat ſubditus illis.* Quis eſt ſubditus? Deus infinitus, omnipotens Dominus univerſi, cui principatus obediunt, cujus imperiis ſubjacent omnes creaturæ; Si mirabile fuit, quòd ſol obediret voci Joſue, quanto majori res eſt admiratione digna, quòd Sol juſtitiæ, qui

cuncta

cuncta colluſtrat, alienis imperiis ſubjaceat? non ſemel, ſed toties & tamdiu. Ideoque dicit Evangeliſta, *Et erat?* qui loquendi modus indicat continuationem quandam in ſtatu ſubditi & obedientis. Huc usque igitur, ô Jeſu, te demittis, ut mihi ſis exemplo & documento: & ego terra erubeſco alteri obedire; ego pulvis & cinis recuſo ſubjacere legi divinæ & hominibus, qui Dei loco ſubſtituuntur. Qua fronte renuo ſequi exemplum, quod mihi præbet Deus? quo jure ambio aliis præeſſe? Quomodò non humiliabitur homo ſub tam humili Deo? Serm. de Nat. Exclamat merito S. Bernardus. Doma, ô mi Jeſu, ſuperbiam meam & arrogantiam, quæ ſubjici dedignatur pro te, qui pro me deſcendere ac deprimi non recuſaſti.

Secundum. Conſidera, cui Jeſus ſubjiceretur. Reſpondet Evangeliſta, illis, hoc eſt Mariæ matri ſuæ, & Joſepho pauperi artifici, qui ipſi erat loco Patris, ita ut ſubjiceretur inferioribus ſibi non tantum ut homo, ſed etiam ut Deus; quia licet ſpectata ſejunctim natura humana, quam ex Virgine ſumpſerat ſubjaceret matri, tamen cum humanitas Jeſu uniretur perſonæ Verbi, atque adeo eveheretur ad divinitatem, ſuperior erat matre in dignitate, & immunis ab obedientia matri ſuæ vel cuilibet alteri principi terreno: nihilominus ſe ultro ſummittebat, cui nec erat, nec poterat eſſe ſubjectus Quid potius hîc admireris, ô anima mea? vel ſummam animi demiſſionem in filio, vel ſummam dignitatem in matre? Numquid dignitas eſt ſine comparatione quod fœmina imperet Deo? numquid humilitas eſt ſine exemplo, quod Deus ſimul & homo fœminæ pareat? Tibi gratulor ſanctiſſima Virgo, filium imperiis tuis obedientem. Quo ſenſu

tangebatur cor Virginis, cum attenderet ſingulis horis filium ſuum & Deum tam promptè imperia ſua capeſſentem? quid mirum tunc erat, ſi Virgo ſanctiſſima ad tale exemplum ſeſe omnibus rebus creatis ſummitteret? Non hunc certe effectum producit in me exemplum Jeſu; videtur mihi, magnam me pati jacturam honoris mei, ſi inferiori me ſummittam, neque humilitas Dei ſufficit ad liquefaciendam in meo corde ſuperbiam; Quid de me fiet, ô Jeſu? Domine miſerere.

Tertium. Expende, quibus in rebus ſubjaceret Jeſus, & quonam modo? In omnibus ſcilicet ſibi juſſis, quantumvis vilibus & abjectis, in domo quippe & officina fabri non poterant alta & ſublimia imperari. Modus obediendi erat plenus modeſtia, alacritate & promptitudine, quæ ipſe & opere & vultu præ ſe ferebat, ita ut ſingularem ſibi benevolentiam conciliaret in animis Virginis & S. Joſephi, ipſiſque animos dabat, ut ſibi, quæ vellent, liberrimè facienda præſcriberent. Attende grande documentum, quod tibi Jeſus tradidit, obediendi integrè in omnibus quæ tibi Deus vel Dei loco tibi homo præſcribit, quantumvis tibi vilia eſſe videantur, cum vile non ſit, quicquid pro Deo præſtatur. Vide, & tecum diſpice, an in praxi ita te geras? utrum promptè & alacriter obedias? vel potius, num ægre pareas? num te difficilem præbeas in explendo, quod tibi imponitur, ita ut ſuperior non libenter utatur opera tua in iis, in quibus eâ uti vellet & judicaret? an repugnet judicium? an reſiſtat voluntas, licet opere expleas, quod jubetur? Erubeſce & magno rubore ſuffundere, quòd hac in parte ita te geras, & ſtatue, imitari Jeſum, qui tuo jam exemplo potuiſſet tibi mollire & condire amaritudinem omnem, quæ in obediendo reperitur.

XXVIII. Februarii.

MEDITATIO XCIV.

De vita JESU ad trigeſimum usque annum.

P*Unctum primum*, Conſidera, quomodo Jeſus ad annum usque trigeſimum ætatis ſuæ abſcondit theſauros ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, gratias & dona, virtutem miraculorum; non concionatur, non docet, ſed cum longo ſilentio præſtolatur operari, juxta tempus ſibi à Patre æterno præſcriptum; ſubjacebat namque Patri in iis, quæ ad Deum-hominem & redemptorem pertinebant. Quis iſtud non mirabitur? Eras certe, ô mi Jeſu, deſtinatus ut fores lux mundi, doctor & Salvator hominum. Videbas quidem mundum tot ſceleribus inquinatum, zelus ſalutis animarum tibi haud dubie cor abſumebat, cumque non ignorares tot animas ad inferos præcipitari tamen non te mortalibus prodis, ſed lates incognitus ad annum usque trigeſimum. Quid ſibi vult iſtud? Enimvero jure & merito dicit Evangeliſta, *cœpit Jeſus facere & docere*, Luc. Act. 1. facere ſpatio triginta annorum, & docere duntaxat per triennium: ita ut decimam ætatis ſuæ partem impenderit ſaluti alienæ, reliquam vero ſolitudini dederit, ut diſcam agere profundas radices virtutis, ſi velim proximum juvare utque intelligam, me plus temporis largiri debere iis exercitiis, quæ ſpectant meum in ſpiritu profectum, quam iis, quæ ad bonum proximi diriguntur. Denique quid prodeſt, alios lucrari, imo & mundum univerſum, animæ verò ſuæ detrimentum pati? mentem in te ipſe reflecte, & ſtatue, nunquam tui obliviſci, & propriam ſalutem in diſcrimen adducere.

Secundum. Conſidera, Jeſum latuiſſe in angulo domus Nazareæ, ad trigeſimum usque annum ætatis,

quaſi inter homines non extaret, ut nos humilitatem doceret. Enimvero nimis alte inſedit cordi hominum deſiderium cæteris eminendi, famam & honorificam ſui nominis exiſtimationem comparandi in animis hominum. Quid in hunc finem non fit? opus erat, ut ipſemet Dei filius nobis exemplum præberet ad tam inordinatum affectum è cordibus noſtris eliminandum, & amorem humilitatis honorumque contemptus ingenerandum, ſed, ô Domine, quàm parum profeciſti tam raro humilitatis exemplo! Quiſque ſtudet ſibi facere nomen, enititur aliis eminere, ſuas omnes curas illuc dirigit, ut magni fiat ac hominibus, amare autem angulum, in quo quis vivat incognitus, quotuſquiſque noſtrum eſt, qui ab eo non abhorreat penitus? is ego ſum, tam altè in me radices egit ſuperbia, & tamen promptè deberem amplecti, quod Jeſus amplexus eſt per totum fere vitæ ſuæ curriculum; capere deberem, rem glorioſam eſſe exemplo Filii Dei haſce vanitates non proſequi. *Quis jam auſit humile appellare, quod Deus non recuſavit attingere?* Jure exclamat Sanctus Baſilius. c. 24. conſt. Mon. Tamen cum hæc ita ſint, neſcio exequi illud, *ama neſcivi*. Libenter capto occaſionem audiendi laudes meas, pro viribus texo telam exiſtimationis meæ, nec induco animum, pluris fieri illum, qui de iis minus laborat. Statue ſeriò, errorem detegere. Res melius noverat Jeſus, quàm tu; nihilo tamen minus elegit latere.

Tertium. Conſidera, quòd propter incarnationis finem, qui erat mundi redemptio, beneficio crucis, & ſuæ divinitatis manifeſtatio, ſatis fuerint ultimi tres anni ætatis ſuæ; quapropter ad annum uſque trigeſimum voluit vitam traducere in ſua Nazaræa domuncula, ut mortalibus eſſet exemplo, eiſque ſolitudinis amorem in generaret. Omnes appetunt familiaritates, conſortia, congreſſus, colloquia, voluptates, ſolitudinem

autem

autem & ſeceſſum ferre non poſſunt, uti rem plenam tædii atque faſtidii. Jeſus noſtræ ſalutis amantiſſimus declarare nobis voluit, utilem animæ eſſe ſolitudinem. Denique negotia maximi momenti tractantur januis clauſis & vero, quod majoris momenti poteſt eſſe negotio animæ? *D*eus animam alloquitur in ſecreto, non autem in publico; & ſolatur eum, qui conſolationibus humanis ſe privat. Quàm frequenter in colloquiis & congreſſibus labimur lingua? major pars peccatorum num admittitur agendo cum proximo? Quoties inter *homines fui, minor homo redii*, ait ille Philoſophus & Sanctus Arſenius, quò ſuæ ſaluti conſuleret, audivit hanc vocem. *Fuge, late, tace.* Attende igitur, ô anima mea, quàm ſingulares gratias agere debeas Jeſu, qui te docturus ſolitudinem, tam diu voluit latere. Compatere tot hominibus, qui ſuos annos miſerè conſumunt in congreſſibus & colloquiis. Erubeſce, quod tu quoque hactenus tam rarò te collegeris, & extra te cogitatione habitaveris. Statue, nullum diem prætermittere, in quo non te colligas, exemplo JESU, ut ſeriò & accuratè cogites de negotiis animæ tuæ.

XXIX. Februarii.

Quando annus eſt Biſſextilis

MEDITATIO XCV.

De Vita JESU ad annum usque trigeſimum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quòd licet Jeſus ad annum usq; ætatis ſuæ trigeſimũ non ſe manifeſtarit mundo, tamen nõ otio indulſit, vel defuit animarũ ſaluti. Quid faciebat, ô bone Jeſu qua tunc temporis occupatione præcipua detinebaris? agebat ſine dubio

cum Patre æterno de negotio ſalutis noſtræ, diſponebat ſtatum eccleſiæ militantis & triumphantis, ordines religioſos, concionatores fidei, martyres, qui ſanguine ſuo evangelium erant teſtaturi. Jam tum parabat eos, qui ſe futuris hæreſibus opponerent, illachrymabatur hominum peccatis, quorum gravitatem noctu in ſomnis mente perpendebat; iram Patris mitigabat, ne pœnas à mundo repeteret; gratiam impetrabat pro ſuis. Scio equidem, ô mi Jeſu, tunc te cogitaſſe de me, tunc me tibi fuiſſe præſentem, & ſub oculis tuis conſtitiſſe. O ſi dignus fuiſſem, quem clementia tua peculiari affectu reſpexiſſet, in gratiam recepiſſet, & finali in tuo amore perſeverantia donaſſet! Tu ſcis, Domine, tu ſcis; aſt ego non ignoro peccata, quæ in me prævidebas, tantum favorem excludere, tamen me totum tibi committo. *Si vis, potes mundare me, ſanare me, ſalvare me.* Fac, ut exemplo tuo quàm ſæpiſſime potero, cogitem de Deo, de ejus obſequio, & de mea ſalute,

Secundum. Conſidera, Jeſum familiariter & domeſticè agentem cum Virgine & Sancto Joſepho. O ſi quis interfuiſſet hiſce colloquiis, quando illis myſteria divina manifeſtabat, quando ſummus ille Theologus de infinitis Dei perfectionibus & ſuprema beatarum mentium felicitate diſſerebat! Quos effectus non operabatur in eorum cordibus? quàm felices ſe reputabant in media ipſa paupertate, quam tam dulcia ſolatia mirum quantum levabant! in mediis ipſis ſudoribus, quos Jeſus ſuis cœleſtibus colloquiis abſtergebat! Petrus aliàs dixit Chriſto, ô *D*omine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: O quæ verba verè vitæ æternæ ex ore Jeſu proferebantur? comes ingenuus & diſertus, quam dulcem efficit conſuetudinem? quas cæleſtes delicias ipſis non afferebant hæc familiaria colloquia tenerrimi amoris notis pleniſſima?

Tan-

Tantum non animas exhalabant præ gaudio. Gratulaberis ambobus tantam felicitatem; Lætaberis, quòd illis contigerit frui diutius præſentiâ & converſatione domeſtica Flii Dei. Deſiderabis atque illos rogabis, ut tibi obtineat gratiam, quâ poſſis præſentis in corde tuo Dei delicias deguſtare. Inſuper attende, quomodo ſe gereret Jeſus erga eos, qui ad ſuam officinã veniebant, emendæ alicujus rei gratia, qua modeſtia agebat cum illis, quâ verborum dulcedine ipſos ſolabatur, ita ut paſſim cives Nazaræi dicerent, eum qui, conſolatione indigeret recurrere debere ad Filium Joſephi & Mariæ: *Eamus ad Filium Joſeph & Mariæ*, & conſolabitur nos. Gerſ. Canc. Pariſienſis ita tibi agendum eſt, ſi vis conſolationem, ito ad JESUM, & in tuis ærumnis levamen invenies.

Tertium. Occupavit ſe Jeſus in ſua domuncula & officina fabrili, laborando manibus ſuis ad annum atque vitæ ſuæ trigeſimum; hinc erat quòd vulgo diceretur *nonne hic eſt faber, & fabri filius?* Matt. 13. Marc. 16. & opera in quibus elaborabat erant potius inelegantia, quàm deliçata, ut aratra, juga & id genus alia, ex quibus poſtmodum in ſuis concionibus ſimilitudines deſumpſit. Quomodo, anima mea, non ſtupes, cum intueris has manus mundi creatrices in operibus tam abjectis occupari, ut in ligno perpoliendo & ſecando, aliisque ejuſmodi? quod eò majori dignum eſt ſtupore, quod non animi relaxandi gratia, ut cum imperatores terræ colendæ operam dabunt, ſed egeſtatis levandæ & vitæ ſuſtentandæ cauſa. O mi Jeſu, & tu quoque te ſubjeciſti pœnæ Adamo indictæ. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Gen. 3. O terram illam beatam, quæ toties ſudorem è fronte Jeſu cadentem excepiſti! Quam profundè te abjeciſti pro me? & ego libenter non amplectar miniſteria vilia atq;

abjecta, jam per te nobilitata & honorata? & quomodo non gaudebo ad exemplum tuum in illis toto corpore ſudare? præterea mentem reflecte, quòd Filius Dei licet totius orbis converſione ſuperſedeat, non indignam ſe occupationem exiſtimat, ſi in verrenda officina detineatur, & in eo ſtatu vivit contentus, ut tu hinc diſcas, majeſtatem divinam non egere, ut magna præſtemus, ſed ut ejus voluntati ſerviamus quare debes eſſe contentus, licet videaris nihil agere, ſi eatenus impleas Dei voluntatem, quæ eſt cor vitæ juſtorum. Gratias age Jeſu, quod ad annum usque cum ſit ipſe ſummè amabilis, tibique multa ſe amandi ſubminiſtret motiva, quæ in ſequentibus meditationibus conſiderabis.

I. Martii.

MEDITATIO XCVI.

Pater æternus vult, ut Jeſus ametur, cujus rei nobis exemplum præbet.

PUnctum primum. Pater æternus miſit filium ſuum in mundum, eumque nobis dedit naturæ noſtræ unitum. Conſidera, quem finem ſpectavit, quid ſibi propoſuit? nempe ut illum cognoſceremus; quare, inquit Chriſtus, *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum* Joan. 17.; Nec non eum cognitum amaremus, factum hominem pro nobis. Attende, rationi eſſe omnino conſentaneum, ut tam juſtæ, tam ſanctæ æterni Patris voluntati reſpondeamus. Quam iniquè agerent ſubditi, qui nollent agnoſcere & amare filium primogenitum, quem Rex terrenus ipſis in ſuum ſucceſſorem proponit? Te ipſe collige, & attende, quâ ratione te geſſeris, quod hactenus ſtudium adhibueris in cognoſcendo atque amando Jeſu. O ſi idem ſentirem, quod Paulus, qui nihil aliud curabat ſcire, præterquam Jeſum Chriſtum; at tu contrà forſitan imitatus es hos

vinitores perverſos & ſceleratos, qui crudeliter mactarunt filium, quem Paterfamilias ad ipſos miſerat, ut venerarentur. Quoties venialiter peccaſti, toties illum contempſiſti; quoties eum graviter offendiſti, toties quantũ in te eſt, vitam illi ſuſtuliſti. Dolebis culpas præteritas, ſtatues in poſterum, majorem in Jeſu cognoſcendo & amando diligentiam adhibere.

Secundum. Conſidera, quòd Pater æternus, qui in hunc mundum miſerat filium ut cognoſceretur & amaretur, nobis hac in parte exemplum præbuit. Primò, bis palam teſtatus eſt, Jeſum eſſe filium ſibi chariſſimum. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. 17. & capite 17. 5. nec tantum verbo tenus oſtendit, quod illum diligeret; in ſecundo loco verbis adjunxit opera; *Omnia dedit ei Pater in manus.* Joan. 13. illi ſubjecit res omnes creatas, & cunctos theſauros ſuos & attributa eidem communicavit. Dedit illi omnipotentiam, ut miracula patraret; quando vellet, miſericordiam, ut peccata condonaret, & peccatores reciperet; & præ amore, quo fertur erga illum, ſe, ipſe quaſi authoritate judicandi ſpoliavit, eamque contulit filio. *Omne judicium dedit Pater filio* Joan. 5. ita aſſeruit ipſemet Chriſtus. Et ego quid facio, & hactenus feci ad tantum exemplum? Pater, quia amat filium, illi cuncta largitur. Et ego probe novi, optare à Jeſu cor meum, meque urgeri ut illum intromittam *Fili præbe mihi cor tuum*: Nihilo tamen minus adeo ſum inurbanus, ut ipſi negem cordis ingreſſum, malimque in rerum terrenarum, quàm in Jeſu amore meum affectum impendere. Ecquando tantam ingratitudinem mente perfectè complectar? at quando ſerio defectus meos emendabo?

Tertium. Conſidera ita JESUM diligi à Patre, ut ipſi Pater ſuum regnum ſubjiciat, communicet

ſuam omnem majeſtatem, gloriam, imperii ſublimitatem, nihilque omnino ſit, quod ipſi non concedat. *Si* mundo ignoſcat, filii cauſa ignoſcit; ſi largiatur gratias, has nomine filii poſtulantibus largitur; nihil illi placere poteſt, niſi in Jeſu, & per Jeſum, qui eſt princeps prædeſtinatorum, & primogenitus omnis creaturæ. *D*emum nihil probat, quod inſigne & ſigillum Jeſu non præ ſe fert, optans ut nos omnes conformemur & aſſimilemur imagini filii ſui. Quantum ruboris & confuſionis referre deberes ex hac conſideratione? Quàm parùm te in operibus tuis conformas & aſſimilas Jeſu? ſcio actiones tuas non referre imaginem Jeſu, & putas, poſtmodum *D*eo placere. Statue ſeriò id exequi, ad quod S. Paulus nos hortatur. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum* ad Rom. 13. illum intimo cordis amore proſequere, ejus affectibus te indue, & enitere, nihil amare, quod Jeſu non ſerviat, quod ad Jeſu obſequium non ſpectet.

II. Martii.

MEDITATIO XCVII.

Jeſus amatus à Sanctis.

P*Unctum primum.* Conſcende cogitatione cœlum empyreum. Ut primum creati ſunt Angeli, fuit illis à Patre æterno revelatus & propoſitus Jeſus *D*eus & homo, ut eum adorarent. Quam promptè Angeli boni ſe ſummiſerunt, nulla interpoſita morâ! Tranſi nunc cogitatione ad tempus incarnationis & nativitatis. Quis mente complecti poteſt affectum, quo illum adorarunt? reverentiam, quam illi in ſtabulo exiſtenti exhibuerunt? quàm celeri velocitate uſi ſunt in ortu ipſius mortalibus ſignificarunt? quàm libenter eidem ſervierunt in deſerto? quàm cupidè ipſum in horto tempore agoniæ ſolati ſunt? quàm

acer-

acerbè tulerunt ejus mortem? cum quantâ lætitiæ ſignificatione exceperunt illius reſurrectionem? quo gaudio non exultarunt cum cœlos victor conſcendit? Quis denique explicare poſſet continuam ſollicitudinem, quapropter Jeſum ſe hominum obſequio manciparunt? Quid vos impulit, ô ſanctiſſimæ mentes angelicæ, tanto amore tantaque obſervantia proſequi Jeſum? non aſſumpſerat naturam angelicam, ſed humanam; non naſcebatur, ut vos redimeret; non moriebatur, ut veſtram ſalutem aſſereret; non aſcendebat in cœlum, ut in poſſeſſionem illius vos mitteret. Sciebatis, rem gratiſſimam vos facturos eſſe Patri æterno, ſi filium amaretis; non ignorabatis eam eſſe illius dignitatem, quæ traheret ad ſe omnium voluntates; probe noveratis magnitudinem ejusdem meritorum. Quid ais, anima mea, ad iſtud exemplum? tu plura debes Chriſto, quàm Angeli, pro quibus ipſi moriendum non fuit. Plus debes Jeſu pro minima inſpiratione, cujus ope bene operaris, quàm illi debeant Angeli pro gratia, quâ ornantur; Inſpiratio ſiquidem quæ tibi ſubminiſtratur, conſtitit Chriſto ſanguine & morte ſua; & tamen præ Angelis quàm languidè Jeſum amas? O beati Spiritus, qui ardetis amore erga Jeſum hominem & Deum, accendite in corde meo hujuſce ignis ſcintillam ut qui deberem vobis ardentiùs eum amare, non tantâ, quantam in me agnoſco, ingrati animi notâ inurar.

Secundum. Conſidera, quàm altè impreſſus ſit in corde Virginis amor erga Jeſum. Erat enimvero mater, ſed talis mater, quæ dignitatem, amplitudinem & merita filii ſui non ignoraret. Quid non fecit? quid non paſſa eſt illius causâ? peregrina in Ægypto mœrens triduo illo cum illum inter Doctores invenit; comes & ancilla continua toto tempore vitæ, quam duxit

ad

ad annum usque trigeſimum: adhærens illi tempore concionum, quas habuit ad populum, & quidem cum ſtudio longè majore, quàm Sancta Monica filium ſuum ſequebatur. Immemor infamiæ ſtetit juxta crucem, nihil ardentius exoptans, quàm ut cum illo & propter illum immolaretur, accenſa mirum quantum deſiderio Jeſu in cœlo triumphantis, usque dum vi meri amoris erga Jeſum exceſſit è vivis. Hinc fit, ut in cœlo ſit advocata noſtra. Unde oritur quidquid boni nobis illa confert, niſi ex amore, quo fertur erga Jeſum, qui nos habere voluit fratres? quare ipſa vult eſſe regina Angelorum, ſed mater noſtra. Licet nulla alia nobis ſuppeteret ratio amandi Jeſum, niſi quod Mariæ parenti ipſius rem gratam facimus, num exiſtimas illud eſſe efficaciſſimum incentivum amoris noſtri erga Jeſum? Roga Virginem, tibi condonet malitiam tuam, lumenque & affectum tibi communicet, quò poſſis ipſam in Jeſu amando imitari.

Tertium. Conſidera, quàm magnos progreſſus fecerunt Sancti alii in amore Jeſu. Apoſtoli nuntium remiſerunt omnibus rebus, ut ipſi adhærerent; noluerunt eundem deſerere, Petro aſſerente, nomine omnium: *Verba vitæ æternæ habes*, ad quem ibimus? Poſt Chriſti aſcenſum ad cœlos, quid aliud egerunt, præterquam mundo promulgare Jeſum tanto à ſe opere dilectum, multisque ac gravibus ærumnis quas pertulerunt, imò & ſanguine ipſo teſtari amorem, quo erga illum accendebantur. Sanctus Paulus, quanquam non egiſſet cum Jeſu, dum inter mortales verſaretur, tantâ in eum amoris flamma ſuccenſus exarſit, ut ſemper in ore haberet nomen JESU, palamque conteſtaretur, Paulum non eſſe qui viveret ſed JESUM in Paulo. Sancta Magdalena continuò hærebat ad pedes JESU. S. Ignatius Martyr nomen JESU geſtabat ſculptum in corde, tot invictos Heroas, qui

pro

pro Chriſto vitam ſuam generoſè profuderunt, ſecutæ ſunt tot virgunculæ, quæ JESU amore captæ, ut fidem ipſi tanquam animarum ſuarum ſponſo datam exolverent, res omnes terrenas procul abjecerunt: tot denique alii, qui ut JESUM poſſiderent, divitias contempſerunt, eremos incoluerunt, & omnibus hujuſce vitæ ſolatiis caruerunt. Miſerum te, qui numero iſtorum non aggregaris! cumque poſſes amare objectum adeo nobile, qualis eſt JESUS, patiaris te alterius amore implicari, attamen non leviora pro te paſſus, quàm pro aliis ne uni quidem guttæ ſanguinis ſui pepercit, quam tua cauſa non profunderet. Statue, imitari tot Sanctos, quandoquidem non minus, quàm illi manes obſtrictus Chriſto, Qui dilexit te.

III. Martii.

MEDITATIO XCVIII.

Jeſus eſt amandus, quòd ſit nobis conſanguinitate conjunctus.

P*Unctum primum.* Arctiſſimum veri amoris vinculum ſtringit inter homines cognatio ſanguinisque communio, undè reprehenſione dignus eſt, qui conſanguineos ſuos non amat. Expende, quis ſit Jeſus? numquid nobis eſt ſanguinis communione conjunctus? omiſſa quippe natura Angelica, cui poterat uniri dignatus eſt humanitatem noſtram aſſumere, ad lutum noſtrum deſcendere, ſe nobis aſſimilare, tamque arcte humano generi conjungi, ut ſe fratrem noſtrum profiteatur, ac proinde Sanctus Paulus ipſum vocat, *Primogenitum in multis fratribus.* Quanta hoc ſolo nomine tibi imponitur obligatio amandi Chriſtũ? fratres germani, quos non electio, ſed natura conjunxit, mutua ſe benevolentia complectũtur; quid eſt, quòd nõ diligas Jeſum, qui pro ſua in te benignitate

te

te elegit in fratrem, cum dignus non eſſes, quem mancipii loco haberes, imò nec in quem oculos conjiceret ſuos. O mi Jeſu, tu nos fratrum nomine cohoneſtas, at nos quàm mali fratres fuimus; & forte nihilominus ſumus. Non ſemel, ut fratres Joſephi, vendidimus fratrem ſed multoties! quàm crudeliora paſſus es à nobis, quàm Jacob ab Eſau? Et quàm ſæpe pejores Caino te innocentem Abelem cruenta morte ſuſtulimus? Te per viſcera miſericordiæ tuæ rogo atque obteſtor, cor iſtud immuta & fac; ut seriò te amem.

Secundum. Conſidera, quòd Jeſus non tantum eſt frater noſter, ſed præterea naturam noſtram ad tam ſublimem dignitatem evexit, ut verè poſſimus affirmare, fratrem noſtrum ſedere ad dexteram Patris æterni, ſupereminentem omnibus Seraphinis, cultum, adoratum & obſequioſe circumdatum à Sanctis & ab omnibus choris Angelorum. Quàm humilis, quàm abjecta erat humanitas noſtra; priusquam Jeſus eſſet noſter omnium frater? in quantam miſeriarum abyſſum ceciderat? Quis majorem inter homines ſibi benevolentiam conciliat, quàm qui familiam ex obſcuro loco in ſublimem clariſſimæ nobilitatis lucem educit? Denique fratres Joſephi poſtquam adverterunt, ſe per eum ſumma apud Pharaonem gratia florere; ipſum enimvero amarunt, in pretio habuerunt, & ſumma veneratione coluerunt. Quo animorum affectu proſecuti ſunt Judæi Eſterem, quæ nationem univerſam apud Aſſuerum ad tam altum dignitatis gradum evexerat? Quàm potiori igitur jure tu diliges Jeſum, qui ita noſtram humanitatem nobilitavit, ut poſſimus ſine rubore ſtare in conſpectu *Dei*; deletâ jam maculâ ignominiæ, quam noſtro generi culpa primi parentis inuſſerat? Pudeat te tui, quòd nobilem titulum tam

parvi facias, nec Jeſum, cum eo, quo par eſt, amoris fervore diligas.

Tertium. Tecum reputa, quòd Jeſus unita ſibi humanitate noſtra non ſolum ſummo honore eam affecit, ſed noſter etiam factus eſt conſanguineus & generis humani caput. Magnifit ab hominibus & ſingulari in honore habetur caput familiæ; & non amabitur Jeſus, caput noſtrum, & ſimul primogenitus, qui domum ampliſſima hæreditate locupletavit, quique nos vocavit in partem hæreditatis & regni? Prodigi frater natu major indignè paſſus eſt, patrem domi excepiſſe fratrem natu minorem, qui hæreditatem diſſipaverat: Non ita ſe gerit Jeſus. Sumus enimvero, ſumus fratres natu minores, & filii prodigi, ſi ſpectamus Deum parentem noſtrum; tamen nihil illi gratius poteſt contingere, quàm ſi Pater erga nos miſericordiam exhibeat, nos benignè excipiat, nos veſtiat, priſtinique ſtatus ſplendori reſtituat: Quare ille ipſe cauſam noſtram agit apud patrem, noſque hortatur, ut nomine ſuo favores ac gratias fidenti animo poſtulemus. Quid ais de iſta benignitate Jeſu? quantam igitur ingrati animi notam contrahis, ſi Jeſum non amas? ſi beneficio longè minore affectus eſſes ab aliquo, eum tenerrimo amore proſequereris, & tamen durus & ferreus es, erga Jeſum, qui te beneficiis ingentibus cumulavit? Quid reſpondeam neſcio, ô mi Jeſu; pudore totus ſuffundor, agnoſco miſeriam meam, ſed mutari vix ſcio; compatere mihi, quæ tua eſt clementia, & tuum largire amorem.

IV. Martii.

MEDITATIO XCIX.

JESUS amandus eſt, quia nos amat.

P*Unctum primum.* Conſidera, nos adeo ardenter amari à Jeſu, ut ille apertè ſignificet, ſuas eſſe delicius, verſari nobiſcum: multum id quidem eſt, ſi dixiſſet ſe delectari conſuetudine beatorum illorum ſpirituum, qui ipſi aſſiſtunt, & thronum ſtipant ac circundant, vel ſe conquieſcere in illis Seraphinis, qui omnes ardent amore, id dignum minori eſſet admiratione; ſed ſuas delicias reperire in nobis, adeo miſeris & ingratis? attamen verum eſt, amorem quo JESUS animam meam diligit ac dilexit, majorem eſſe dilectione, qua beati omnes in cœlo ſanctiſſimam Trinitatem proſequuntur, quod ſi non continuiſſet amorem, dum vitam inter homines agebat, ita charitate exarſiſſet, ut præ ſui in nos amoris abundantia exceſſit è vivis. Quomodo non erubeſcit languor meus? ergo certus ſum, quòd Jeſus tantopere me amarit, & amori ita parum reſpondeo, nec ſtudeo, eum redamare? *D*omine mi, quæ tua mecum infelicitas eſt iſta (da veniam, ſi ita loquor) ſi perſuaſum habeam, amari me ab alio, ſentio me (ut ita dicam) neceſſitate compelli ad ipſum redamandum; Et amor quo me proſecutus es, nullo modo comparandus eſt cum affectu craturarum erga me? & tamen non eſt mihi animus amandi te. Ecce me ad pedes tuos proſtratum, & ſupplicantem, ut in me accendas hunc ignem, quem in terris accenſurus veniſti, ut tandem muneri meo ſatisfaciam.

Secundum. Expende, quòd JESUS nos amaverit, nullo ex parte noſtra motivo illectus amandi nos. Quo titulo tenebatur ille nos diligere? dederas illi ali-

aliquid? forte noverat te dignum eſſe amore? Numquid peccata, quæ detegebat in te, avertebant ipſum ab amando te? nihilo tamen minus non affectu tantum aut verbis, ſed opere te amavit. Non tantum ſervivit propter te quatuordecim annis, ut Jacob propter Rachelem, ſed in vili officina ad triginta annos, ubi incognitus duro labore te exercebat, & ultimo tempore vitæ ſuæ, cum quo incredibili ſalutis tuæ deſiderio concionabatur? quoties ſudavit in itineribus? quoties noctu lachrymas fudit? quàm copioſè ſanguinem fudit in morte tolerata pro te, promptus, ſi opus eſſet, *iterum crucifigi pro te?* Attende, quàm minore de cauſa tuus amor adhæreat alicui creaturæ; unius catelli, qui à latere tuo non diſcedit, unius amici qui honorificos ſermones habuit de te, mancipium evadis; Verbum unum quomodo benevolentiam tuam conciliat? actio aliqua quæ tibi placuit, quàm ſtricte amico te conjungit? & cum Jeſu adeo parce, adeo avarè te geris, dum eum amas! fierine poteſt, ut ad te non redeas, ut tantam in corde tuo pacem foveas, & erubeſcens quod creaturæ te amanti non reſpondeas, non pudore ſuffundaris, quod Jeſum mutuo amore non redames?

Tertium. Conſidera, quòd non contentus amare te, quaſi id parum foret; voluit & vult, ut tu ameris ab omnibus, & ea de re publicè legem ſanxit. Quid dicerent mortales, ſi Rex aliquis legem ferret, qua juberet, ut omnes ſui ſubditi primores & infimi, nobiles & ignobiles pauperem & vilem ruſticum amarent? Numquid hoc ipſum JESUS erga te præſtitit? Cur Angeli, qui ſunt principes ſuæ curiæ, te amant tibi ſerviunt, te cuſtodiunt, niſi quia JESUS ita vult? Num JESUS injunxit omnibus hominibus, niſi vellent excidere ſua amicitia, ne tibi nocerent, ſed te veluti ſeipſos

 dili-

diligerent? Et hoc non eſt amare te? quid ultra poterat facere, niſi ſuum erga te amorem impendere, omneſque ad idem præſtandum obligare? tamen amor tam ſingularis ſincerum in cordo tuo affectum non accendit; quam gelida ſit anima tua neceſſe eſt, quam tam ardentes flammæ non accendunt? Heu me miſerum! nec enim negare id poſſum; non te amo, & tamen omnibus titulis teneor amare; ne ſinas, ô *Domine*, diutius me vivere immemorem tot beneficiorum, cumque me ames, fac ut te amem, quia niſi te amem, vero bono frui non poſſum.

V. Martii.

MEDITATIO C.

Jeſus amandus eſt, quia cupit ſe amari à nobis.

P*Unctum primum.* Non ſatis fuit Jeſu, amare nos, atque hoc modo nos allicere ad ſui amorem, ſed inſuper nobis apertè declaravit ſe velle & deſiderare, ut nos ipſum amemus. O infinitam demiſſionem Jeſu! O inexplicabilem ejus in nos amoris indulgentiam! *Quis ſum ego, ut te amari jubeas à me?* ajebat Auguſtinus. Quid diceretur, ſi primus terrarum Imperator ruſticanæ alicui puellæ è ſepibus & aratro extractæ ſignificaret, ſe velle & optare ab ipſa amari? Numquid longe magis ſtupendum eſt, quod Jeſus Filius *D*ei velit amari à me miſerabili, quem non ſolum ex nihilo, ſed ex abyſſo tot miſeriarum & ſcelerum meorum luto retraxit, & nî ipſum amem, mihi atrociſſimas pœnas intentet? tamen verum eſt, Dominum illum, qui amatur à Patre æterno, qui habet plenitudinem Spiritus Sancti, cui longè cedunt Seraphini, non eſſe contentum, niſi ametur à me. Non opus eſſet, ut minis cogeres me ad te amandum, cum profectò inveniri nequeat miſeria major, quàm non amare

te

te ô mi Jeſu: nihilominus adhuc ambigo, adhuc anceps hæreo, & ægre complaceo Jeſu, eique denego, quod vanè ſpargo in creaturas. Erubeſce, & mores emenda.

Secundum. Spectata vilitate tua & ſuprema dignitate Jeſu, jure eſſet, quod erubeſceres, ſi ad illum amandum te velles erigere: Quid excogitavit Jeſus? adverte ejus conſilium, quo tibi ruborem omnem abſtergeret, non tantum tibi ſignificat, ſe velle amari à te, ſed etiam illud jubet ſevero imperio, teque, ut ita dicam, adigit ad non recuſandum ipſi amorem tuum. Quid ſpectas? quid intendis, ô mi Jeſu? non eſt è re tua, non utili tibi, ut te amem, ſed potius ad ſalutem meam neceſſarium; ſi rem penetrarem, quàm ſingulari beneficio me tibi obſtringis, dum hujuſcemodi præceptum imponis! Quantum debet ægrotus medico, quòd imperarit, ut vinculis conſtringeretur, dum phreneſi ageretur, ne effrænis libertatis uſu ſibi detrimentum inferret? Quàm verum eſt, ô mi Jeſu, me eſſe phreneticum! amo, quem amare non deberem; affectu adhæreo illi, à quo me abhorrere expediret: tu compatiendo inſaniæ meæ, velles quidem certe coercere hunc meum affectum, me adigendo, ut te amem & antevertere damnum illud, quod infero mihi ipſe, amando perversè. O ſi ſerio obfirmare animum ſcirem, & affectum omnem, quem malè creaturis impendo, tibi illum poſtulanti conſecrare. Concede mihi, quæſo, hanc gratiam, & meam inſaniam coërce.

Tertium. Tecum reputa, quàm ardenter expetat Deus, amari à nobis, quandoquidem non contentus, voluntatem ſuam aperuiſſe ea re; & imperium addidiſſe miras artes excogitavit, quibus animum tuum ad benevolentiam alliceret. Quid di-

dicis, anima mea? quid cenſet de illo admirabili conſilio abſcondendi ſe ſub fruſtulo panis, ut ſubiret in pectus tuum? ut uniret ſe tibi? tuum erga ſe amorem accenderet? ſi Seraphini per totam æternitatem excogitaſſent viam aliquam, qua Jeſus poſſet cor noſtrum obtinere an ſimilis inventio mentem illorum ſubiiſſet? Quàm jure dicere potes, *Quid potui facere, & non feci!* ſi uni ſoli ſancto hanc gratiam contuliſſet, quantum judicio omnium amare Jeſum teneretur; ſi Jeſus dedit ſanctæ Mechtildi cor ſuum, quo ipſum amaret; ſi ad ſanctam Thereſiam miſit Seraphinum, qui ipſi cor ſagitta transfigeret; ſi ſancto Franciſcó ſua vulnera impreſſit in ſignum amoris; nobis idem Jeſus non tantum largitur cor, ſed totum corpus, ſed animam, ſed divinitatem, ut unum ſimus cum ipſo. Et hoc omne non ſufficit ad expugnandum te. Heu me miſerum qui adhuc repugno, & eludo inventiones omnes charitatis tam illuſtris! Quantumvis exigua benevolentiæ ſigna tibi quis declaret, te ita ſibi devincit, ut te ingratum reputes, niſi amantem redames; Jeſus quidquid moliatur, non poteſt expugnare cor tuum. Si hoc nòn eſt, eſſe ingratum, quod erit ingrati animi vitium? Verte ſeriò te ad Jeſum qui clamare non ceſſat. *Fili præbe mihi cor tuum.*

VI. Martii.

MEDITATIO CI.

Jeſus amandus eſt, quia in eo continetur omne noſtrum bonum.

P*Unctum primum.* Conſidera, quòd ſi quis in una re haberet, quicquid ſibi neceſſarium eſt, pecunias, veſtes, domum, alimenta, &, ut paucis complectar, omnia, quæ poſſet expetere, jure illam in pretio haberet,

beret, tenerrimè amaret, & diligentiſſimè conſervaret; quemadmodum pauper ille à Propheta Nathan inductus, qui nihil habebat omnino, præter ovem unam, quæ creſcebat apud eum, cum filiis ejus ſimul de pane illius comedens & de calice ejus bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi, ſicut filia. Mentem reflecte, & attende, quod reperiri nequit in creaturis, propter illarum defectus, adeſſe verè in Jeſu. *Ipſe eſt factus nobis omnia*: ita ut in illo habeamus veram vitam, perfectam ſalutem, cibum, auxilium, ſolatium, omne bonum; & multò magis de Jeſu dici poteſt, *in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra*; & tamen quàm parvi facis Jeſum! quàm vili in pretio illum habet mundus! quàm frigidè amamus Jeſum! O infelix anima mea, nimis enimvero, nimis adhæres creaturis, è quibus nihil niſi malum expectare potes; & Jeſum originem omnis boni tam parvi facis, ut eum rebus vanis & nullius momenti proponas. Aperi Jeſu ſemel oculos mentis, ſed magis affectum cordis, & omnia poſſidebis.

Secundum. Perpende, quid mundo fieret, ſi Sol quotidie ipſum non illuminaret ortu ſuo, calefaceret radiis, fœcundaret influxibus; quem horrorem non incuteret hæc nox perpetua, & obſcuritas ſine termino? num videntur omnia reſpirare ad ortum Solis, & univerſus terrarum orbis ad vitam excitari? quantò infelicior eſſet anima tua ſine Jeſu? iſtius ſiquidem Solis carentia poſſet aliquo modo reparari; at ſine Jeſu vero Sole ne unum quidem veræ lucis radium haberes; ne unum quidem affectum bonum; ne deſiderium quidem rerum cœleſtium, nec fervorem in operibus; ne minimam quidem cogitationem, quæ ad vitam æternam dirigeretur. Ex hoc Sole naſcitur bonum omne, quia eſt *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Vel minima inſpiratio, quæ te dirigit ad portum ſalutis, hánc tibi Jeſus lucratus eſt. Nihilo tamen minus ægre accedis ad hùnc Solem, & quaſi non indigeres Jeſu, parùm arctè cum illo conſtringeris. Pudeat te tantæ miſeriæ; ipſum roga, ne te ſùbducat in pœnam tuorum peccatorum, ſed in animam tuam dignetur infundere radium aliquem, quo tantam cæcitatem diſcutiat, & ardens erga ſe amoris incendium excitet.

Tertium. Conſidera, ad quam miſeriam devolvitur corpus humanum ſine anima; Etenim præſente anima vivit, operatur, ſe movet, apparet pulchrum & amabile; at ſi animâ privetur, horrorem ingenerat eſt omnibus abominationi, abjicitur, evadit grave immobile, frigidum, decolor, non videt, non loquitur, non operatur, cumque aſſiduè corrumpatur & putrefiat, fœtorem exhalat, vermes generat, & in horas cuncti illud abominantur magis; unde fit ut anima gloriari jure poſſit, ſe bonum omne naturale corpori conferre. Attende, quid fieret anima tua in conſpectu *D*ei, niſi Jeſus eſſet; ô in quantò pejorem ſtatum redigeretur, & quanto eſſet horrori! Ex te non potes progredi uno paſſu in virtute, ſine ſubſidio Jeſu tentationibus cederes; ſi cupis gratiam ad bene operandum & vitam æternam promerendam, hanc potes conſequi per merita Jeſu, qui ſanguine ſuo tibi illam obtinuit. Quando anima fœditatem contraxit à peccato, quando mali habitus eã deorſũ inclinant, quando debilis movere ſe non poteſt præ debilitate, quis illi pulchritudinem, levitatem, & motum communicabit, niſi Jeſus? ſi hanc veritatem mente complectereris, illum haud dubie amares. Plange duritiem cordis tui, quòd tantum bonum habeas, nec agnoſcas; quin proſtratus ad pedes Jeſu, dic illi cum teneriore animi ſenſu, quàm Anna mater Tobiæ olim dicebat, lugens abſentiam filii.

Omnia

Omnia ſimul in te uno habentes, non debuimus dimittere. Quantâ in culpa ſum, quòd non amarim te, in quo felicitas omnis reperitur!

VII. Martii.

MEDITATIO CII.

Jeſus amandus eſt, quia nos à gravi malo liberavit.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo poſt peccatum Adami omnis noſtra natura humana contraxit noxam originalem, cœlo privata & comes facta Luciferi: ſed quod omnium malorum graviſſimum cenſeri debet, reſtabat peccatum, quod nos omnes reddebat infames coram *Deo*, inimicos altiſſimi, & exoſos Angelis Paradiſi, quia minimum peccatorum in hac vitâ horribilius eſt & magis fugiendum, quàm ſuppliciorum acerbiſſimum in altera. Quid fecit Jeſus? commota ſunt ejus viſcera miſericordiæ, nobis affectu compaſſus eſt, & operi manum adhibens; nos à culpa liberavit; diſcidit decretum damnationis in nos latum, delevit maculam illam turpiſſimam, effecitque, ne amplius Deus & Angeli nos abominarentur. Quid tibi videtur? num dignus eſt Jeſus, qui ametur? ſi foret aliqua familia, cujus poſteri declarati eſſent infames, quod ejus caput conſpiraſſet in vitam legitimi ſui Principis, vel quod author fuiſſet rebellionis, & quis hanc infamiæ notam abſtergeret, familiamque in antiquum, & in majorem etiam reſtitueret ſplendorem, quanto amore poſteritas illum deberet proſequi? & non idem caſus contigit nobis? numquid tu defeceras à Deo principe tuo? numquid fronti tuæ perduellionis nota inuſta erat? quis te liberavit ab hac infamia? num ipſemet Jeſus? & tamen putabis te legitimam rationem afferre non amandi Jeſum.

Secundum. Conſidera, ſi familia illa quæ propter

tui capitis rebellionem, notum infamiæ coram hominibus contraxerat, potuiſſet delere hanc maculam ope unius tantum; Quàm magno beneficio ſe obſtrictos putarent omnes poſteri, quantaque amoris ſignificatione teſtarentur gratitudinem ſuam illi, qui ſponte nullaque obligatione coactus voluiſſet maculam illam delere? Qui fieri poteſt, ut hæc mente perpendens, duro adhuc ſis corde erga Jeſum? Hoc malum culpæ, quod nos omnes reddebat infames, non coram hominibus, ſed coram *Deo*, remedio carebat, ita ut quantumvis omnes mundi vires fuiſſent unitæ, omnia animalia fuiſſent Deo in ſacrificium oblata, omnes homines ſuum ſanguinem profudiſſent, omnes Angeli aſſumpta humana natura millies mortem oppetiiſſent, quantumvis unuſquiſque illorum compos fuiſſet ſanctitatis majoris eâ, quam nunc omnes poſſident ſimul, non plenè vel pro uno peccato ſatisfeciſſent Deo. Alter non erat, prætcrquam Jeſus, qui poſſet opem ferre; ipſe ſolus poterat nos in libertatem aſſerere; ipſe nobis vitam gratiæ conferre; ſine illo res acta erat; remedio carebat miſeria noſtra; cumque ad id minime teneretur, ultro nos ab hujuſcemodi calamitate liberavit; Tam parvi facis hoc beneficium, ut Jeſus non mereatur amari à te? Ah! ingrate, ah immemor beneficii: Eleva oculos ad Empyreum, metire altitudinem, qua diſtat cœlum ab inferno quem merebaris, ab hac abyſſo profundiſſima te Jeſus extraxit: Et arctiori amoris vinculo adherebis vili neſcio cui creaturæ, quæ te à miſeria temporali extraxit, quàm ipſi Jeſu, qui te ab æterna infelicitate retraxit? quid ais? qui reſpondes? qua tandem excuſatione purgare potes ingratitudinem tuam? Ah! vultum pudore ſuffunde, & mores emenda.

Tertium. Perpende, quomodo ut te à tantâ calamitate liberaret, neceſſarium fuerit, ut Jeſus ſe ſummitteret

ret malo, non quidem culpæ, ſed pœnæ, & in profundā dolorum abyſſum deſcenderet. Quid egit Jeſus! ita tactus eſt miſeriâ noſtrâ, ut non dubitarit, ſubire abyſſum vaſtisſimam & altisſimam dolorum, ut malum, quo opprimebamur deſtrueret; nec exiſtimas, te hoc titulo teneri, ſummopere Jeſum amare? Roma quidem adoravit hæc animalia, quæ nocte ſtrependo civitatem ab hoſtibus liberarunt: & alii coluerunt ſumma religione leænam illam, quæ caſu tyrannum, ſub quo gemebant de medio ſuſtulit. Ergo Jeſus minus erga ſe gratum ſentiet, quàm hac animalia experta ſunt illos, quibus beneficium temporale contulerant? Confer beneficium cum beneficio, liberatorem cum liberatore, & erubeſce. Elephas extractus ea foſſa, in quam ceciderat, fideliſſimum obſequium præſtitit, quamdiu vixit, liberatori ſuo; & tu liberali animo non amabis Jeſum, qui è profundo inferni lacu extraxit? Agnoſce, quàm graviter hactenus erraris in non amando Jeſu, & cum majori animi ardore defectus præteritos ſupple.

VIII. Martii.

MEDITATIO CIII.

Jeſus debet amari, propter ingens bonum, quod nobis procuravit.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo Jeſus non tantum nos exemit à malo tam gravi, quale erat peccatum, ſed inſuper nos in poſſesſionem ſummorum honorum immiſit. Si quis atrocium ſcelerum reus in atrum carcerem conjectus eſſet, dumque luce & libertate privatus, vinctisque ferro pedibus, mortem in horas expectat, carcerem ſubiret filius imperatoris, & miſerum hunc manu apprehendens, non tantum catenis ipſum ſolveret, & è tenebris arcti carceris ad lucem & libertatem extraheret, ſed etiam eundem in partem ſuæ coronæ & imperii vocaret, dic age, quænam eſſet illius infelicis mens? quis ſenſus?

Num

Num ille omnibus titulis teneretur ſe totum fingere & accommodare ad voluntatem illius, qui ipſum ad tantam dignitatem evexit? num ſe totum impenderet in gratiam ſui benefactoris? Hic habes cum proportione, ſi attendis, quod Jeſus contulit tibi; non agitur de te liberando è tenebris carceris, ſed ex inferis; non è captivitate aliquorum dierum, ſed æterna; non de te vocando ad lucem ſolis, ſed cœli; non ad regnum temporale, ſed ad Paradiſi delicias in comitatu Angelorum & Filii *D*ei. Quid tu non rependeres huic filio Imperatoris pro hoc bono temporali? erit igitur pejoris conditionis apud te Filius *D*ei, à quo accipis bonum tantò excellentius alio, quantò cœlum altius eſt terra, & tamen ut reſpondeas Jeſu, quàm parum ardenter illũ amas, quàm pauca pro illo operaris?

Secundum. Conſidera, quomodo ille infelix ſe obſtrictum putaret filio imperatoris, licet tantum fuiſſet ab illo viſitatus in carcere, & inde extractus in libertatem; at ſi ipſius liberandi & ad dignitatem imperatoriã promovendi cauſa, ſe filius imperatoris ſponte ſubjeciſſet tormentis, quæ reus merebatur: quæ exuperantia amoris hæc eſſet? quas laudes ab hominibus non referret hæc ſingularis amicitiæ ſignificatio quantaque huic infelici neceſſitas incumberet amandi ſuum liberatorem? & quæ comparatio inter filium Imperatoris terreni, & inter FiliumDei? & ubinam gentium ſimile quid reperiretur, ut ſcilicet filius Monarchæ liberaturus reum à pœna capitis, ſe ultro offerret ad ſubeundum ſupplicium, quod illius ſceleribus debebatur? Numquid Jeſus hoc ipſum præſtitit tibi? Num te eduxit è carcere æterno, ſeipſe intra Virginis uterum includendo? unde rei novitate Eccleſia attonita exclamat, *non horruiſti Virginis uterum.* Num ſe tot annos gloria corporis ſpoliavit, ut tibi gloriam cœleſtem compararet? Num ſe ad ſummam ege-

ſtatem

ſtatem reduxit,ut te divitiis augeret,&,ut ita dicam,ſe ipſe evacuavit & exinanivit, ut te omnibus bonis impleret,& cumularet? tecum reputa, quàm malè agas cum Jeſu,dum illi nón rependis amorem tuum. Erubeſce, eique aſſiduè ſupplica ne te diutius in tua ingratitudine ſinat perſeverare.

Tertium. Conſidera, quòd quemadmodum actum eſt cum Joſeph è carcere liberato,cui mutatæ ſunt veſtes, ſplendideque ornatus, quò poſſet in conſpectu Pharaonis comparere, ita Jeſus egit tecum, te exuit veſtibus ſordidis peccatoris, quibuſcum dignus non eras,qui in conſpectum Dei venires, teque veſte pretioſa divinæ gratiæ adornavit,cum quâ potes dignè te ſiſtere coram Divinâ majeſtate; neque his omnibus contentus, tibi dono dedit ſummam ſuorum meritorum,qua potes tibi omnium bonorum cumulum adipiſci. Vide,quæ liberalitas, quæ munificentia, quæ miſericordia? Fuit mirum quantum commendata charitas illa, quâ Martinus egeno à ſe eleemoſynam petenti mediam pallii ſui partem erogavit; laudibus extollitur S. Ignatius, quòd mendicum ſuis veſtibus cooperuerit. Quem affectum in te deberet excitare eleemoſyna,quam tibi Jeſus largitus eſt,tam ſplendido ornatu velando nuditatem tuam, tibi communicando infinita ſua merita, quibus cœlum emas, neque amplius ulla re indigeas? Vide,ad quem inſolitæ dignitatis gradum te Jeſus evexit: & quam deinde potes prætexere excuſationem,non amandi illum ex tota plenitudine cordis tui? Dole præteritam ingratitudinem tuam,& cave diligentes,ne Jeſu præbeas occaſionem jure de te inpoſterum conquerendi.

IX. Mar-

IX. Martii.

MEDITATIO CIV.

Jeſus eſt amandus, quia pro nobis tam multa paſſus eſt.

P*Unctum primum.* Si quis ex amicis tuis, etiam non ſponte, nec libenti animo te exemiſſet à morte, manu una amiſſa pro defenſione tua, & mutilus reliquum vitæ ſuæ tempus agere cogeretur, num magno te illi obſtrictum beneficio profitereris? & quoties tibi occurreret, num te ad miſericordiam excitaret? num beneficii accepti memoriam foveres? num te ad illum amandum teneri agnoſceres? Tolle oculos ad Chriſtum cruci affixum; illum à ſummo vertice ad pedes uſque contemplare; quælibet ipſius corporis pars, num ſuam erga te charitatem eximiam luculentè teſtatur? Num legis ſcriptum in qualibet cruenti corporis plaga ſingularem *D*ei erga te amorem, qui non caſu, ſed ſponte, non ægre, ſed libenti prolixoque animo, non unam manum amiſit, ſed vitam? Tecum attenta mente perpende; tam excors es, ut exiſtimes, te plus debere creaturæ patienti pro te, quàm Deo tua cauſa mortem acerbiſſimam ſubeunti? Contemplando Jeſu in cruce, num totus pietate commoveri debe-res? ſi illum amares, ut amant Seraphini; quid dico Seraphini? ſi æquares affectum, quo creaturæ omnes, quæ condi poſſunt, ipſum poſſent amare, poſſesne aliquando tui muneris partes implere? quid fiet præſtando, quod præſtas, hoc eſt, nihil boni operando? Erubeſce omnino, & ſaltem opta, Jeſu impendere amorem illum, quem tuo damno creaturis impertiris.

Secundum. Conſidera, quòd Jeſus ſeſe ultro his tormentis objecerit, non pro amico ſibi benevolo, nec pro aliquo alio, qui heroicis obſequiis tantum bene-

benevolentiæ ſignificationem promeruiſſet, ſed pro te, qui ſi te ipſum ſpectes, nihil es; ſi affectus tui rationem habeas, toties ejus gratia excidiſti, ac proinde indignus extitiſti, cui Deus beneficium ullum conferret, ſed potius inferni pœnas decerneret. Dic age, quid ultra poterat Jeſus tua cauſa operari, ſi tibi fuiſſet obſtrictus? ſi à te divinitatem, vel humanitatem accepiſſet, poteratne tantum beneficium majori gratia compenſare, quàm cum ut à te removeret culpam impudentiæ, qua auſus es quantum in te erat, peccatis tuis illi divinitatem eripere? reipſa ſiquidem peccando voluiſti non agnoſcere illum, ut Deum & ultimum finem tuum; ſed voluntatem, ſed inclinationem, ſed cupiditatem tuam. Quid ais adhæc? capis? percipis, quid dicam? Ah! miſerum me & infelicem, qui adhuc iſta non percipio vel potius non credo: qui erga Jeſum cor durum & ferreum gero: rumpe, diſcinde in mille partes hoc ſaxum, dulciſſime Jeſu, dum te patiente ſaxa ipſa rumpuntur.

Tertium. Perpende, quomodo cunctis cruciatibus adjunxit voluntatem adeo alacrem & liberalem, ut ipſemet ſibi fuerit crudelis, quaſi levia forent, quæ ab aliis patiebatur, utens potentia ſua, ubi vis humana non ſufficiebat; & ex una parte non parcens tormentis, quæ vitæ finem impoſitura erant; ex altera verò mortem longè arcens ſuæ divinitatis imperio, ut diutius pœnas poſſet producere. Quid ais ad prodigium illud amoris? ſi tamen ipſum mente aſſequeris. Tu, qui tam facile caperis amicitia, quam tibi quis teſtatur, Deumque propterea abjicis: dic, amabo, reperiſtine inter homines vel umbram quidem amoris, quem tibi JESUS exhibuit? & tamen JESUS non

poteſt

poteſt expugnare animum tuum. Potuit Abſolom blandis verborum lenociniis tantum populi multitudinem ſibi conciliare & armare contra Davidem, cujus diadema volebant in filium transferre, etiam cum vitæ periculo; & tu, ô mi Jeſu, non potuiſti per tot annos tibi animum meum conciliare, ut debellatis hoſtibus meis te conſtituat regem hujuſce animæ, harum potentiarum, omnium affectuum meorum? & tamen non verba, ſed ſanguinem impendiſti; & tamen quot dolores, quot tormenta mente revolvam meditationibus in ſequentibus de tua paſſione, tot ſũt impetus, tot oppugnationes, quibus cor meum expugnes.

Ah, *D*omine, expugna illud omnino, *& noſtras etiam rebelles ad* te compelle propitius voluntates.

MEDI-

MEDITATIONES DE PASSIONE DOMINI NOSTRI.

A prima die Quadrageſimæ.

Meditationibus de Paſſione, quarum una aſſignatur ſingulis diebus Quadrageſimæ, præterquam diebus hebdomadæ ſanctæ in qua quotidie duæ meditationes traduntur, viſum eſt, præmitti debere ſequentes circumſtantias, quas, præter reflexiones in ſingulis punctis propoſitas, poſſit, qui meditatur, applicare myſteriis paſſionis.

Circumſtantiæ ponderandæ in particularibus myſteriis Paſſionis Chriſti.

PRima trahitur à dignitate perſonæ quæ patitur; quis nempe? Jeſus, Deus & homo ſimul, atque adeo creator & Dominus univerſi, ab æterno in ſe feliciſſimus, nullius rei indigens, infinitè ſanctus, miſericors, amabilis. Secundo. Ut homo, eſt agnus ſine macula, ſine peccato ullo, Sanctus ſanctorum, cui datus eſt Spiritus Sanctus ſine menſura. Tertio. Ille ipſe eſt, qui à primo momento ſuæ conceptionis nos ita dilexit, ut noſtra cauſa renuntiaverit omnibus ſuis commodis, ſe cruciatibus inexplicabilibus immolarit; nihil aliud ſpectarit, quàm commodum noſtrum, totumque ſe aliorum obſequiis impenderit? tamen cum omne à nobis officii genus experiri deberet, tam crudeliter & indignè habitus

 bitus

bitus eſt : Unde colligitur, hunc pati, qui ſolus merebatur non pati, qui ſolus merebatur ab omnibus excipi perbenigne. Patitur, qui tulit injuriam, atque adeo creditor ſolvit pro debitore. Hinc hauriuntur affectus ſtuporis, propter tantam bonitatem, patientiam, benevolentiam : Deſiderium imitandi Dominum tantæ majeſtatis, & nusquam utilitati ſuæ ſervientem : Gratiarum actio, applicando mihi ipſi, quando aliquid tolerandum eſt mihi, hoc eſt, quantumvis peccatori, ſceleribus inquinato & indigno, cui bonum aliquod conferatur.

Secunda circumſtantia trahitur ab eo, quod tolerat Jeſus; quis poteſt illud mente complecti? Jeſus patitur tanta, quanta nullus hominum, licet viliſſimus, indignus vitâ & ſceleratiſſimus aliquando paſſus eſt, in corpore, honoribus & bonis fortunæ, ſive injurias ſpectet, ſive tormenta & ignominiam; quid non patitur? gravem infamiam: apprehenditur, ut latro; accuſatur, ut blasphemus, ſeductor, & Cæſari rebellis; creditur Dæmonium habere, & ſuis miraculis commercium fovere cum *D*æmonibus; tractatur ut mente captus, ut idiota, ut regnandi cupidus, ut Rex ſuppoſititius. In ſuo corpore quanta patitur? in oculis, in vultu, in auribus, in odoratu, in palato, à capite ad calcem vulneratus, ita ut numerarentur oſſa; cruci affixus veluti latro; cui nullus compatiebatur, ſed quisque illi inſultabat, ut omnium hominum ſceleratiſſimo, omni ſupplicii genere excruciando. Hæ pœnæ adeo atroces nobis ſubminiſtrant materiam tenerrimæ compaſſionis; ſiquidem ne brutum quidem animal videre poſſemus tam ſæva pati, quin erga illud miſericordia tangeremur. Quid ſi videamus hominem? quid ſi Filium Dei tam atrocibus tormentis lacerari? Eſt præterea, quod erubeſcamus ſummopere, dum apud

nos

nos reputamus, quàm pauca pro Chriſto pati ſciamus & velimus.

Tertiò. A quibus patitur? ab omni perſonarum conditione; à diſcipulis, quia proditur ab uno ex illis, ab altero non agnoſcitur, ab aliis deſeritur; patitur à nobilibus & ignobilibus, à Judæis & gentilibus, à ſecularibus & Eccleſiaſticis, à plebe beneficiis affecta, à populo ſuo electo, cujus cauſa deſcenderat in terras, quem docuerat doctrinam cœleſtem, & cujus ſaluti promovendæ tres & triginta annos expenderat; Ab hominibus, qui eo majori rabie & ardentiori in ipſum odio à *Dæmonibus* exſtimulabantur, quò majoribus beneficiis fuerant ab ipſo cumulati; ita ut ſacræ paginæ eos comparent canibus, tauris, leonibus, propter odium, furias & rabiem, cum qua illi interitum maturabant.

Quarta. Pro quo patiatur? non pro ſe, niſi quatenus renunciaverat gloriæ corporis ſui, debitæ ſibi, voluitque hac ratione ſibi gloriam ſuam comparare: Non pro Seraphinis, qui amore igneſcunt, non pro Angelis rebellibus; non pro iis, qui ſibi grati eſſent & accepti; ſed pro cunctis mortalibus, pro inimicis ſuis, pro rebellibus & proditoribus, quales ſuut omnes peccatores, indigni omni bono, rei pœnæ æternæ & ingrati: quia probe norat, quàm pauci, qui magnifacerent cunctos ejus cruciatus. Patitur pro illis ipſis, à quibus cruci affigebatur; denique pro te in particulari, quem ſub oculis ſuis præſentem habebat, cum omni multitudine ſcelerum tuorum. Quænam eſt iſta amoris exuperantia? Quas gratiarum actiones illi debes? Quàm bene uti debes pœnis, quas tulit?

Quinta. Ad quem finem patitur? ad gloriã Patri ſuo procurandam, ad reſtituendũ illi honorẽ, quem peccata ſuſtulerant, ad placandã irã, qua juſtè in homines divinũ numen exarſerat, ad ſatisfaciendũ pro peccatis mortaliũ

omnium, & nominatim tuorum, perinde ac ſi aliorum peccata non forent; ad obtinendam tibi cæteriſque gratiam, charitatem aliaſque virtutes, cunctaque ſubſidia neceſſaria juſtificationi, ſaluti & comparationi vitæ æternæ, quæ bonum quodlibet temporale & naturale multis partibus antecellit. Quæ omnia exigebant pretium infinitum, cum eſſent demerita noſtra innumerabilia & peccatorum malitia ac gravitas infinita. Ecquid de te factum eſſet, niſi tibi hæc bona fuiſſet adeptus? ſine dubio ſemper caruiſſes viſione divina: quamobrem hac in re ſuum infinitum erga homines amorem declaravit.

Sexta. Quo modo patitur? erga Patrem ſumma cum obedientia & propriæ voluntatis abnegatione, cura & diffidentia; erga nos, cum ſingulari charitate & liberalitate, quia cum ſufficeret una gutta ſanguinis, totum ſpargere voluit: Erga ſe, cum profundâ animi demiſſione, cum patientia inaceſſa, cum manſuetudine incredibili, ſine ulla ſignificatione dolores animi, non reſiſtendo, non repellendo vim vi, non purgando ſe, & innocentiam declarando, niſi quatenus honor Patris exigebat paratus pati multò plura & graviora his, quæ inimici ſui potuiſſent excogitare: quare elegit tempus ſolenne Paſchatis, quando ex omnibus Judææ partibus maximus hominum concurſus in civitatem Jeroſolymorum confluebat. In civitate illa, in quâ paulò ante triumphantem cives exceperant, eumque tot miraculis perpetratis celebrem laudibus ad cœlum extulerant. In loco ſolito, ubi de reis ſumebatur ſupplicium, in medio duorum latronum, quaſi illorum Princeps, illaque omnia patitur intra breviſſimi temporis ſpatium, non ſecus, ac ſi ejus ſcelera atrociſſima forent omnibuſque conſtarent.

Ex his circumſtantiis ſuo loco conſideratis, prout

ut fert myſteriorum ſeries, colligendi erunt iſti aut ſimiles affectus. Ergo Chriſtus in tam acerbis doloribus, pœnis & tormentis; & ego commoditates, delicias & voluptates ſectabor? Chriſtus tot contumeliis affectus; & ego honores ambiam? Chriſtus innocens tam indigna patitur ad delenda peccata mea; & ego peccator leve quid aut nihil pati volo pro culpis meis? Chriſto tanti conſtitit, mihi benefeciſſe; & ego vix ullum debitæ gratitudinis teſtimonium illi exhibeo. Ut me à tot tantisque malis erueret, tam multis tamque acerbis tormentis ſubjici voluit, & ego tantæ bonitati non cedam? pro creatura viliſſima mortem ſubire non recuſavit? & me divinæ offenſæ non pœnitebit? non dabo cor iſtud illi, qui pro me vitam dedit? fiduciam non ponam in eo, qui non rogatus fecit, quod ſperare non auſus fuiſſem? creabonè amplius moleſtiam huic Domino, qui mihi cœleſtes delitias ut compararet, tot amaritudines in ſe aſſumpſit? Quid faciam ad hoc exemplum? ſi credo & reſiſto, væ mihi; ſi poſt tot beneficia ingratum animum gero, quid de me fiet? Quid poterat *D*eus facere ultra ea, quæ fecit? ſimiles affectus elici poterunt ex myſteriis, quæ meditabimur.

Feria quarta Cinerum.

MEDITATIO I.

De conſilio divino.

P*Unctum primum.* Tecum reputa æternitatem, & aſpice tres perſonas divinas, conſilium inuentes de Adamo, quem peccaturum totamque ipſius poſteritatem è cœlo excludendam prævidebant. Audi, ut inter ſe deliberant. Quid facimus? quid conſilii capimus? Sinendi ſunt omnes perire, vel liberandi per mortem unius, qui ſit homo ſimul & *D*eus? Conſidera, quomodo juſtitia divina ſupplicium urget à re-

belli ſumendum, his verbis. Indignus eſt venia Adamus, præceptum illi impoſitum, ut abſtineret ab arbore, facile erat cum non deeſſent tot aliæ arbores, quarum fructibus ali poterat. Non erat difficile admodum, recuſare pomum ab Eva ſibi oblatum, donatus erat magno lumine, magna notitia, magna gratia, nulla indomita animi paſſione interius turbabatur, quia rationi omnes parebant, appetitus nondum rebellaverat, ſignificatum ipſi fuerat, futurum ut moreretur cum omni ſua poſteritate, ſi præceptum violaret: propter has rationes culpa Adami veniam non meretur, ſed debito ſupplicio puniri debet: Ex altera parte pro rebelli & inimico moriendum eſt illi, qui homo & *D*eus eſt ſimul, cujus proinde vita omnibus vitis & mortalium omniũ ſaluti longe eſt anteferenda. Quid aliud fieri poterat pro Adamo, ſi in fide & obedientia permanſiſſet? Vide, ut hæc omnia conſentanea ſunt veritati; quàm magnum erat crimen noſtrum, quamque juſte deſeri debebamus; quod eò verius eſt, ſi ad peccata tua particularia diligenter attendas.

Secundum. Conſidera, quomodo propter tot rationes in medium allatas poteramus jure de noſtra ſalute deſperare, tum cum miſericordia divina cauſam noſtram oravit in hæc verba: Debetur, inquit, & mihi locus in operibus Dei, nec ſoli juſtitiæ ſatisfaciendum eſt. Qui peccavit, conſtat ex luto, atque adeo fragilis & debilis eſt, dignusque, cui *D*eus compatiatur. Agitur de tota natura humana, propter unius primi parentis peccatum æternum peritura ad hunc lapſum *Dæ*mon impulit hominem per ſummum divini numinis contemptum, ac proinde adhiberi debet remedium, ne per totam deinde æternitatem glorietur, ſe triumphaſſe de Deo, ſed potius confundatur, dum videbit homines liberatos occupare hanc gloriam, quam ipſe ſuperbiæ tumor intolerandus eripuit; Magis elucebit bonitas

divi-

divina, parendo indignis, indeque æternam gloriam nulla ſæculorum oblivione delendam conſequetur. Denique ita dari poteſt locus miſericordiæ, ut ſimul juſtitiæ cumulatè ſatisfiat. Gratias rependes miſericordiæ divinæ, quam enixè rogabis, ut cauſam tuam, quam ipſa ſuſcepit, accuratè promoveat, neq; ab illius patrocinio deſiſtat, donec veniam exoraverit, teque ad portum ſalutis æternæ deduxerit.

Tertium. Expende decretum, quod in illo conſilio divino fuit pronuntiatum nempe illud ipſum quod Caïphas tulit, etſi non in eo ſenſu. Expedit, *ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Miraberis in hoc decreto infinitam Dei bonitatem ita ſtudioſam noſtri, ut judicaverit expedire gloriæ ſuæ, ut pro mancipio Dominus, pro creatura creator ipſe mortem ſubiret. Quanto in pretio te habuit Deus! voluit rationes ſuas cum noſtris conjungere. Quàm magni debet fieri anima, pro qua pretium infinitum eſt perſolutum? ut parcas figmento, non parcis filio. S. Amb. Quàm obſtrictum debeo me profiteri Domino tam miſericordi? cum quanta animi contentione ſervire? Num decet, me omnibus modis eniti placere Deo, qui nihil non egit, ut me à peccato & morte æterna vindicaret? & tamen hoc non capio, & cum ſeſe offert occaſio, ad praxim redigere minus laboro. Illumina, quæſo Domine, tenebras meas, & mihi vires ſubminiſtra, quibus obſequio, honori & voluptati ſim illi, qui judicavit expedire pro mea ſalute vitam profundere.

Feria quinta.

MEDITATIO II.

Cogitur concilium contra Chriſtum.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo Phariſæi, cum intellexiſſent à nonnullis, qui interfuerant reſurrectioni Lazari, quanta operatus fuiſſet Chriſtus,

ſtatim in domo Caiphæ coëgerunt concilium ex ſeptuaginta duobus viris, qui majori in Synagoga dignitate & authoritate pollebant. Attende ad finem, quem intendunt, cogendo cœtum iſtum; forte ad honores decernendos Chriſto, quem pro Meſſia agnoſcant & accceptent? ſine dubio moventur ſancto zelo honoris divini. Scilicet. Quod illos ſtimulat, eſt falſus zelus, invidia contra Chriſtum operantem adeo ſtupenda miracula, timor amittendæ authoritatis, ac propterea mens illorum erat, tollere illum de medio & occidere. Ecce quomodo tractatur Chriſtus ab hoc populo, tot beneficiis affecto, pro quo jam tot ſudores ſparſerat, totque labores pertulerat. Hæc grati animi memoria? Quo pervenitur, quando paſſio cor occupavit? quàm vilis habetur Chriſtus? Collige te, & vide, quàm ſæpe imitatus es hos Phariſæos, & inivisti in tuo corde conſilium occidendi Chriſtum in animâ tuâ. Quid aliud eſt amor proprius, qui reſidet in intimo ſinu cordis tui, niſi Caiphas qui præſidet? quid aliud ſunt paſſiones tuæ, & tot affectus incompoſiti, niſi tot inimici Chriſti, & conſiliarii, qui adverſus illum coguntur? quid aliud voluntas ſatisfaciendi ſenſui & inſatiabili aviditati avaritiæ, ambitioni & ſimilibus, niſi decretum, quo Chriſtus neci addicitur? O indomitæ cupiditates meæ! *Quid cogitatis contra Dominum?* Nahum. 1. Quid juvat vituperare concilium à Judæis coactum? ſufficit expendere malitiam meam, & quod ſingulis diebus facio. Fierine poteſt, O Domine, ut ego toties conſpirem in ſalutem & tuam & meam? Hæc eſt miſeria mea, hæc vis amoris proprii, qui ſubducit à conſpectu meo malum, quod ſecum trahit nimia indulgentia erga cupiditates meas! O ſi probe cognoſcerem, quod nimis adhærere commodis meis & honori, ſit necem Jeſu moliri! ſolve Domine cœtum iſtum internum, diſſipa cogitationes

iſtas,

iſtas, quæ conjurarunt in te. Fac,ut illis bellum indicam, neque amplius me objiciam periculo amittendi te.

Secundum punctum. Examina ſermones, quos habent iſti Judæi in concilio coacti. Proponunt, iſtum hominem multa prodigia operari. Adverte, quod nihilominus illum appellant eo nomine, quo ignotum aliquem ex ultima populi fæce donarent, iſte homo, ajunt, multa ſigna facit, & tamen tot prodigiis ſuam divinitatem probabat. Quo ruit anima, quæ luce caret? quàm parvo in pretio habet *Deum*! fatentur patrari ab illo magna miracula, timent ne ſi rem diſſimulent, illius doctrinam amplectantur omnes, ſibique perſuadent fore, ut acceptato Chriſto pro Meſſia, paſſuri ſint excidium à Romanis: ecquid felicius poterat illis contingere, quàm credere & ſectari Chriſtum? ecqua major ſecuritas, quàm eſſe ſub tutela Chriſti, qui ſolus ſalvare & liberare poteſt? Quis modus tutior ſervandi rem temporalem, quam ſibi conciliare *Deum* amicum, è cujus voluntate bonum omne dependet? Hanc veritatem non agnoverunt, exiſtimarunt ſe in tuto Judæam collocare ſi Chriſtum perſequerentur, & Judæam ſimul & cœlum amiſerunt. Quoties ego quoque diſcurri hoc modo, pluriſque feci res temporales, quàm gratiam *Dei*, quàm illius amicitiam, quàm animam ac ſalutem meam? fac, Domine, clare intelligam hanc veritatem, nimirum è re mea eſſe fovere amicitiam tuam; tibique ſervire, te amare, te delectare, viam eſſe ſecuriorem, non ſolum ad obtinenda bona æterna, ſed etiam, ſi quando expediat pro ſalute animæ, ad temporalia conſervanda.

Tertium. Expende ſententiam, quam protulit Caiphas Pontifex. Expedit, ut unus homo moriatur pro populo & non tota gens Hebræorum pereat. Ecce impium & injuſtum decretum Caiphæ. Quòd utilis

ſit mors Chriſti, licet innocentis, licet Prophetæ, licet Meſſiæ, licet operatoris tot miraculorum, quantumvis non ſit accuſatus, nec auditus, nec de ullo crimine convictus, modo ſtet templum Synagoga non deſtruatur, & patria non pereat univerſa; & ita decreta fuit mors Chriſti. Vide, ut humana malignitas conſiliis divini amoris inſervit; Adverte, ut conſilio à lingua adeo temeraria ſubminiſtrato utatur Deus ad conficiendum opus maxime ſtupendum, & pietate pleniſſimum, quo ſcilicet mundi ſalutem adſtrueret, peccatum deleret, tibique Chriſti interitu cœlorum fores occluſas reſeraret. O bonitatem divinam, quæ è malo novit bonum excerpere! tibi gratias ago, Domine, adoro clementiam tuam, quæ ſuper decreto tam iniquo miſericordiam infinitam ſtabilivit. O ſi ſcirem etiam ego è malo bonum extrahere, & Dei exemplo, qui mortem Chriſti injuſtè à Phariſæis decretam in remedium noſtrorum malorum convertit, noſſem ex his moleſtiis, quæ mihi creantur ab hominibus, colligere meſſem meritorum cœleſtium! ex hac fortuna adverſa, ex hujus rei jacturâ, non impatientiæ, ſed laudum divinarum materiam acceſſere! ex actionum mearum vituperatione captare occaſionem habendi honorificos ſermones de aliis! Ita apud me ſtatuo, ô Domine, certus, quod ſi diligentiam adhibeam, nihil poterit nocumentum afferre, imò ex pravis conſiliis & actionibus proximi traham ipſe materiam majoris profectus ſpiritualis & ſalutis æternæ conſequendæ.

Feria ſexta.

MEDITATIO III.

De cœna facta in Bethania.

PUnctum primum. Cum Jeſus eſſet in Bethania, ſex diebus ante Paſcha, invitatus fuit ad domum Simonis leproſi. Martha adfuit, ut menſæ miniſtraret, at Magdalena ſumpſit vas pretioſiſſimum unguenti nardini, pedesque *D*omini prius lavatos terſosque ſuis capillis, odorifera nardo perfudit, fractoque alabaſtro effudit totum illud unguentum in caput Salvatoris, ita ut totam domum odore gratiſſimo recrearit. Expende hic gratitudinem ambarum ſororum, quæ certatim contendunt officiis exhibitis Chriſto, qui ad vitam revocaverat fratrem, tunc menſæ accumbentem. Martha quamvis non eſſet domi ſuæ, nihilominus tota eſt in miniſtrando, & Magdalena avelli non poteſt ab illis ſanctis pedibus, ad quos flevit peccata ſua, eos unguento pretioſo perlinit, nec parcam ſe præbet, ſed vas totum ſuper Domini caput effudit. Quis erat illius cordis affectus? quis ſenſus, ſi tantam liberalitatem exercet, & quod ſibi pretioſius eſt, ad Chriſtum honorandum expendit? O ſi quis mihi communicaret ſcintillam illius amoris erga Chriſtum, ita ut non parce agerem cum illo, ſed ſemper illi meliora offerrem, ſcilicet actiones ſinceras & perfectas! *Holocauſta medullata.* Pſal. 65. nec ſinerem elabi occaſionem ullam, quæ ſe mihi offerret gratificandi Domino meo. Miſerum me, quàm diverſo modo me gero? quicquid facio, mihi videtur eſſe magnum; at Dominus meus & *D*eus meus non ita parcè mecum ſe gerit. Magdalena fuit etiam liberalis, quia forte non ignorabat, fore ut brevi totum ſanguinem ipſi daret. Diſce, illam imitari, cum Jeſu pariter totum ſanguinem debeas.

Secundum. Examina id, quod dixit Judas, ægre ferens liberalitatem Magdalenæ, ut quid perditio hæc? Putat diſſipari, quicquid

ad h[illegible]n[illegible]randum Chriſtum expenditur,& putat,qui in ſcholâ Chriſti eſt eruditus,& in numerum ejus diſcipulorum eſt aggregatus. Denique non deeſt,qui bene operantes carpat. Cave ne tu ipſe Judam imiteris, qui,ut oſtendat, ſe jure profuſionem illam damnare, velat obtrectationem ſuam pulchro prætextu charitatis in pauperes, dicendo, quod unguentum vendi potuiſſet,& inde inopia pauperum levari,non autem in *Domini* caput effundi. Vide,ut malitiam ſuam & avaritiam tegit prætextu miſericordiæ. Nollem,*Domine*,ineſſet in corde meo ſimilis ſenſus Judæ exiſtimantis profundi & diſſipari,quicquid in tuum obſequium impenditur. Tolle è corde meo ſimilem cogitationem,nec patiare, me velum virtutum exemplo Judæ paſſiones meas obtegere,vel nominare zelum,quod ex ira procedit; providentiam, quod inordinatâ cupiditas eſt; vel charitatem, quod ſenſui blanditur; tamen quoties ab amore proprio deceptus ſum, quoties ab affectibus meis deluſus? Vide præterea,quomodo Judas zelo, quem præferebat in verbis, traxit in ſuam ſententiam reliquos Apoſtolos,qui eandem actionem vituperabant. Adeo potens eſt exemplum,& enitere,ut bonum præbeas exemplum, & in omnem eventum non moveri iis, quæ ab aliis perperam dicuntur vel fiunt.

Tertium.Conſidera id,quod facit Chriſtus non accuſat Judam,& defendit Magdalenam tacentem. Licet Judas merebatur,ut Chriſtus ejus furta detegeret, (zelum ſiquidem oſtentabat erga pauperes ſed re vera animum furandi gerebat) tamen Chriſtus ejus malitiam non aperit,eam tolerat,etſi eodem tempore directè carperet Magdalenam, quod unguentum effudiſſet,& indirectè Chriſtum, qui id non prohibuerat. Simul datur exemplum abſcondendi defectus proximi, quanquam veros, & patienter ferendi eos, qui actio-

actiones noſtras reprehendunt. O ſi haberem charitatem iſtam erga proximum, quâ tegerem illius defectus & exercerem patientiam cum datur occaſio! O *Domine*, utraque virtus deeſt mihi, largire mihi gratiam, qua illam exerceam. Non deſiſtit propterea Chriſtus tueri actionem Magdalenæ, illum approbat, laudat, aſſeritque fore, ut in univerſo terrarum orbe depredicetur. O rem optandam, habere Deum laudatorem & defenſorem actionum ſuarum! Parum refert, ſi homines damnent, quando *Deus* abſolvit. Tamen, quam parum hæc capio! ſi caperem, profecto non tantopere curarem judicia hominum, cum aliquid ago. Non tam facile irem in ſententiam aliorum, haberem potius rationem oculi & judicii divini, quàm humani. Mihi ſatis eſſet, placere illi, qui certò protegit curatque eos, qui ipſi ſatisfacere ſtudent. Mihi, O *Domine*, gratiam iſtam pro tua pietate concede.

Sabbatho.

MEDITATIO IV.

Apparatus ingreſſus Jeroſolymitani.

P*Unctum primum.* Etſi Judæi in concilio inito ſtatuiſſent, Chriſti interitum maturare, & Pontifices ac Phariſæi juſſiſſent, ut qui ſciret locum, in quo lateret Chriſtus, ſtatim aperiret; nihilominus Jeſus, qui cuncta probè noverat, voluit ſolemni pompa Jeroſolymam ingredi ſpectantibus iis ipſis, qui in ipſum conſpiraverant. Quæ cauſa Chriſtum impulit, id agendi? ut ſignificaret, poſſe quidem Judæos machinari Chriſto carcerem & mortem, at ipſum comprehendere & dare in vincula, hoc enimvero nequaquam eos poſſe, niſi prius ipſemet vellet, eique in ſe manus injiciendi facultatem concederet. Adeo

verum eſt , *non eſſe conſilium contra Dominum*. Proverb. 21. Homines proponunt , ſed DEUS diſponit. Statuunt illi quidem apud ſe , ſed rerum eventus à divina voluntate dependet, quare ſatius eſt; omnia ſua divinæ diſpoſitioni committere, & ſæpius dicere cum *D*avide; Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? Pſalm. 61. ita eſt Domine. Fallaces ſunt noſtri diſcurſus, incerta noſtra conſilia, & (quemadmodum accidit) non ſortientur effectum , niſi quando tibi videbitur ; ita mihi perſuaſum eſſe debet , & me & omnia mea divino beneplacito ſubjacere. Secundo. Voluit in urbem ingredi cum omni illo apparatu , cum quo Prophetæ Meſſiam venturum eſſe prædixerant, ut talem poſſent agnoſcere & revereri, veniaque eſſent indigni , ſi recuſarent. Vide , ut DEUS nos illuminat, ſuisque cumulat gratiis ; ſed iis, quæ noſtra eſt miſeria , uti nolumus. Ah, quot habui gratias? quot diſſipavi ! Ah Domine noli permittere ut quòd mihi concedis in beneficium, illud idem propter cæcitatem & indomitas animi mei cupiditates evadat materia ſupplicii, ut accidit Phariſæis, *illumina oculos meos , ne unquam obdormiam*; Pſal. 12. in agnoſcenda clementia tua, & cooperando miſericordiis tuis.

Secundum. Miſit JESUS Petrum & Joannem in caſtellum vicinum , eisque dixit, invenietis aſinam & pullum, ſolvite eos , & adducite mihi , ut illis utar ad meum in urbem Jeroſolymam ingreſſum, & ſi quis vos interrogaverit, dicite , quòd *Dominus* his egeat, & ſubitò eos dimittet. Declarat JESUS divinitatem ſuam in cognoſcendis rebus remotis , & prædicendo Apoſtolis , quod ipſis erat occurſurum , & ſimul exercet authoritatem, quâ pollet in omnes res creatas , ut *Dominus* univerſi.

verſi. Quam fortunati extiterunt illi , ad quos hæc animalia pertinebant quod Jeſus iis uti vellet? Quæ major felicitas obtingere poteſt cuivis creaturæ , quàm gloriæ & triumpho Domini ſui deſervire? ſibique dici à Domino rerum omnium. His egeo, ecquando , Domine mihi favorem iſtum conferes, ut poſſim omnia mea impendere honori tuo? quàm magni debeo facere quod aliquid ex me dignėris accipere! O ſi ego ſcirem agnoſcere, quando tacitè ſuggeris mihi, ut me privem hac obleĉtatione, moderer hunc affeĉtum , refrenem linguam, captivem intelleĉtum, meam voluntatem tuis deſideriis accommodem! hoc totum nihil aliud eſſet, quam mihi dicere, quòd his indigeas, quod ea tibi concedam. Fac , ut expeditum & promptum me exhibeam , cum ſe dabit occaſio, tuncque meminerim verborum iſtorum. *Dominus his opus habet.* Matth. 21.

Tertium. Conſidera diligentiam Apoſtolorum in obediendo, & in liberalitatem eorum, qui ſtatim jumenta conceſſerunt. Apoſtolis poterat videri mirum juſſum illud eundi ad homines ſibi ignotos , illisque non rogatis abducendi ſecum animalia; tamen non ſe excuſant, non interrogant, non ultra quicquam ſciſcitantur , celeriter iter arripiunt , & hoc modo teſtantur promptum & hilarem animum exequendi ea omnia, quæ Magiſtrum velle advertunt. O Domine, fac, ut Apoſtolorum exemplo promptus ſim & fidelis in obſequio tuo, impleamque, quæ à me exigis, non quidem negligenter , *ſed corde magno & animo volenti.* Quantum diſſimilis ſum? ſaltem coram te pudore ſuffuſus, emendarem defeĉtus meos. Nec minorem alacritatem præ ſe tulerunt ii, ad quos pertinebant animalia, cum intellexerunt, Dominum his opus

habe-

habere. Non exquirunt, quinam ſint illi duo, qui animalia ſolvunt; multò minus, quiſnam ſit ille Dominus, qui illis eget; ad quid ipſis uti velit? Num ea ſit reſtituturus? Adverte, ut *Dominus* habet in ſua poteſtate corda hominum, ut ea vertit quò vult. Similia præſta, ô *Domine*, in corde meo, fac ut promptè & alacriter convertatur ad te, tuæque voluntati cumulatè ſatisfaciat. Vide inſuper, quomodo *Dominus* efficiat, ut alii obediant Apoſtolis celeriter, Chriſti imperia exequentibus; ita ut *Deus* ſubjiciat paſſiones illi, qui voluntatem ſuam ſubjicit *Deo*, & in ſe ipſo regnet, qui Deo ſervit. Illi obedire, eſt addiſcere appetitum ſuum & inclinationes. *Tu Deo, tibi caro; tu majori, major tibi, dicebat S. Auguſtinus in Pſal.* 143. *Servi tu, ei qui fecit te, ut tibi ſerviat, quod eſt factum propter te. Ita mihi contingat.*

Dominica prima Quadrageſima.

MEDITATIO V.

Chriſtus ingreditur civitatem Jeruſalem.

P*Unctum primum.* Cum duo Apoſtoli adduxiſſent ad Jeſum aſinam & pullum, impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Pullum conſcendit Jeſus & circundatus à duodecim pauperibus diſcipulis ſuis contendit in civitatem, ut eam cum ſolenni & triumphali pompa ingrederetur. Quo properas, Domine? an neſcis, quid in te Judæi conjurarint? ſciebat enimvero, ſed oſtendere vult, ſe promptiorem eſſe ad moriendum, quam inimici ejus avidi ſint ad inferendam ipſi necem, ac proinde in ſignum lætitiæ, quam capiebat è vicina generis humani redemptione, elegit quaſi triumphantium more illuc procedere. Quantum tibi debeo, *Domine*, pro benevolentia & animi alacritate ſingulari! mori velle ſalu-

ſalutis meæ cauſa, beneficium eſt nulli comparabile; ſed iſtud præſtare cum tanta prompti atque hilaris animi ſignificatione, plusquam beneficium eſt, cui pares gratias rependere nullus poteſt. Tam libenter attendis ad opus ſalutis meæ,& ego quàm promptè atque alacriter ad obſequium tuum deberem attendere? Hinc fit,ut ex una parte. *Hilarem datorem diligat Deus* 2. Cor. 9. & ex altera non parum diſpliceat, qui facit opus Dei negligenter; attamen ſi me colligo, nec ſcio emendari, nec erubeſcere propter meam in obſequio divino negligentiam. Adverte inſuper modeſtiam & manſuetudinem, quam obſervat,utque accuratiſſimè obſervat, quæ à Prophetis fuerant prædictà. *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.* Matth.21. Expende ſingulas voces. Eſt Rex tuus omnibus titulis: quare illi ut tali te debes ſummittere. Eſt rex tuus, non ſicut alii Reges, qui regnando ſuam potius quàm ſubſitorum ſpectavit amplitudinem & utilitatem; Sed Chriſtus longè aliter. Rex eſt tuus, ita quidem, ſed inſuper *Venit tibi*,cujus omnes paſſus, cogitationes omnes, labores omnes ad tuam utilitatem diriguntur. Te vult locupletare ſuis expenſis,te vult tueri ſanguine ſuo,utq; vitam tibi impertiat,ſuam ipſe cupit amittere quomodo debes iſti Domino & Regi tuo aperire intimos receſſus cordis tui, ad eum ſuſpiria omnia dirigere, illi millies ingeminare non lingua ſolùm ſed opere! *Anima mea* illi vivet pſal. 21. Eum roga,ut dignetur perfectè dominari potentiis,ſenſibus & affectibus tuis.

Secundum. Conſidera, quomodo cum precrebuiſſet tota urbe fama, venire Chriſtum, qui paulò ante Lazarum revocarat ad vitam, repente populus commoveri atque accendi ſe ſenſit, ad procedendum obviam illi, & ad honores ultrò deferendos; quiſque pro viribus aggreſſus, eum quàm honorificen-

tiſſimè venientem excipere; ſactis quidem, ſternendo viam, quâ gradiebatur, veſtibus propriis cæſisque arborum ramis; verbis autem ipſum laudibus & encomiis extollendo ac cantando, *benedictus qui venit in nomine Domini*; ut palam omnes teſtarentur, ſe Chriſtum acceptare in regem cordis ſui, & Dominum voluntatis. Vide, ut Chriſtus, quando vult, verè eſt Dominus cordium & affectuum. Quis plebem excitavit ad deferendos illos honores Redemptori? forte aliquis illi propoſuit magnam inde utilitatem vel dignitatem perſonæ vel magnatum civitatis Jeroſolymitanæ voluntatem? nihil horum. Et verò quid poterant ſperare ab eo quem pauperes diſcipuli comitabantur, quique aſello invectus ad civitatem accedebat? quin potius audivit, ſibi minas intentari à magiſtratibus civitatis, eosque in Chriſtum cônſpiraſſe non ignorabat. Adverte, quomodo Deus novit intra momentum, quoties vult, corda hominum movere, ad ſe allicere atque pertrahere; vide, quomodo Chriſti obſequio ſe totum conſecrat & impendit, qui illum ſemel agnovit. Populus iſte nihil videbat exterius in Chriſto, quod ipſum commendaret, ſed potius ipſum redderet contemnendum ob paupertatem honorum fugam & manſuetudinem, interno tamen pietatis ſenſu accenſi, nec ſpecie externa repulſi venientem adorant, ut Regem ſuum acceptant, eique ſe ſummittunt. Collige te parumper, anima mea, & tecum reputa, ſi vero pietatis ſenſu tangaris erga Chriſtum. Conſidera, num devotio tua interna prodeat, exterius non ſolum lingua laudibus illum ornando, ſed etiam opere, imperia illius exequendo, vel certe ſi vox tua ſit vox Jacob, & manus, hoc eſt, operationes ſint Eſau. Erubeſco, O Domine, & confundor, quia ſæpius facta non reſpondent verbis; ſi autem loquor de virtutibus tuis,

eas

eas non imitor, quia vero pietatis ſenſu cor meum non tangitur & exiguam, ne dicam, nullam tui notitiam habeo. Illumina, *D*omine, mentem meam, & voluntatem accende, ut te laudem, tibi ſerviam, & quicquid eſt in meâ poteſtate, id faciam, ſicque ab omnibus agnoſcaris & adoreris.

Tertium. Conſidera, quid hæc pompa pepererit in cordibus Phariſæorum: forte illos pœnituit initi contra Salvatorem conſilii? haud dubiè junxerunt & ipſi voces ſuas cantantibus encomia triumphantis? ſimul plauſerunt venienti in media populi geſtientis multitudine? pleni invidia iraque, & odio ſuccenſi, ſibi invicem dixerunt, nihil denique proficimus; *Ecce mundus totus poſt eum abit.* O utinam ita foret, ô *D*omine! Totus te orbis terrarum agnoſceret, amaret & obſequiis demereretur! Excitabis in te magnum doloris ſenſum, quòd illum mortales omnes non revereantur & colant. Adverte præterea, quo aſcendat invidia Phariſæorum, quò perveniat hæc paſſio non ſatis ipſis eſt, non honorare Chriſtum, quem alii honorabant, ſed pro viribus obnituntur, ne populus eum laudet, ac publice agnoſcat, ut Salvatorem. Adeo paſſio, quæ prædominatur, cor indurat. Roga *D*eum, ne patiatur te eſſe corde duro & obfirmato in malis. Inſuper mitare modeſtiam & patientiam JESU, qui in medio populi plauſu ſe à Phariſæis contemni & vituperari patitur. Quare, *D*omine, non efficis, ut iſti Phariſæi plebem in encomia tua ſeſe effundentem imitari non dedignentur? non eſt hæc culpa tua, dediſti illis quoque gratiam, ſed illam abjecerunt, & quia te reſpuunt, eos in ipſorum miſeria & duritia cordis relinquis. Diſce, anima mea, divinæ vocationi reſpondere,

nec extinguere ingratitudine tua, quos in te Deus lucis radios accendit. Tu demum eges illo, non ille te, & niſi vocanti reſpondeas, ipſe te deſeret. Væ illi animæ, à qua Deus recedit? propterea, Domine, te rogo enixe, *ne elongaveris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam reſpice.* Pſal. 21.

Feria ſecunda.

MEDITATIO VI.

De Chriſti venditione.

P*Unctum primum.* Principes Sacerdotum & Phariſæi acti in rabiem, quòd Chriſtus ſolenni pompa fuiſſet exceptus in urbem, conſilium inierunt biduo ante Paſcha in ædibus Caiphæ, qua ratione Chriſtum comprehenderent, & occiderent: quantò meliùs feciſſent, ſi conſultaſſent de modo Chriſtum honorandi, ejusque doctrinam ſectandi? quantò utiliùs eſt, ſervire gloriæ Chriſti, quàm in contrarium aliquid machinari! ſed vide, quomodo hîc eluceat bonitas Dei, qui ſceleratis iſtorum conſiliis utitur ut quam maximam erga nos miſericordiam exhiberet; nempe ut nos Chriſti morte redimeret. Adeo verum eſt, paſſiones indomitas iſtorum, *dum proprio incumbunt ſceleri* S. Leo benevolum Chriſti affectum promovere. Quot habes juſtiſſimas cauſas divinæ bonitati rependendi gratias pro beneficiis, quæ contulit tibi! Quoties divina clementia uſa eſt ſceleribus tuis, ut quamplures animæ tua gratias impertiret, ita ut unde merito expectare debebas ſupplicium, novos favores acceperis? Te ipſe examina, atque ex intimo animo ſummæ bonitati gratias repende. Vide, quomodo ut finem intentum aſſequantur, ad artes confugiunt, ſtatuuntque non injicere manus illi tempore ſolennitatis Paſchalis, ad vitandum tumultum in plebe, quæ

bene-

beneficiorum memor Chriſtum potuiſſet defendere, adeo ut nec ſanctitate diei, nec interna pietate, ſed finis non obtinendi timore moveantur. O rem periculoſam! quando fugimus malum ex pravo motivo, facile labimur, ut accidit iſtis, qui nolebant die Paſchæ Chriſto manus injicere. Diſce fugere peccata ex motivis æternis; ſic enim ſtabis firmo gradu. Præterea ſupponunt ſe minime comprehenſuros fuiſſe Jeſum tempore tantæ ſolennitatis, quia ii, quibus benefecerat, fuiſſent illum pro viribus defenſuri, ita ut ſibi perſuadeant, eum debere ſtare à partibus Chriſti, de quo Chriſtus bene meritus eſt; tamen tu non ita te geſſiſti, ſed licet tot beneficiis ſit affectus à Deo, tamen ſæpius à Deo defeciſti. Hic deteſtare ingratitudinem tuam, & propone emendationem.

Secundum. Cum Judas intellexiſſet, coactos eſſe Principes Sacerdotum, ut agerent de ratione comprehendendi Chriſtum, ad eos adiit ipſisque dixit. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Expende hæc verba, & circumſtantias omnes. Petit ab inimicis Chriſti, quod pretium velint ſibi dare? O miſerum mercatorem! Chriſtus eſt extra pretium, & tu relinquis arbitrio inimicorum æſtimationem pretii? ſi tu vis habere in tua poteſtate Jeſum, ditiſſimus es omnium mortalium, & tam facile vis illum vendere? Tecum reputa, quàm gravem injuriam proditor inferat Chriſto, quem tam parvi facit, ut rem permittat illorum arbitrio. O quantum vileſcit Deus in animis hominum! O quoties tu imitatus es Judam! viceverſa, quàm pretioſa fuit anima tua apud Chriſtum! ille dat ſe totum, qui eſt pretii infiniti, ut emat te, & tu illum pretio momentaneæ voluptatis exæquas! Inſuper expende, quis proponat Chriſtum venalem? nimirum Chriſti diſcipulus, vocatus ad Apoſtolatum,

unus è ſchola Chriſti atque ex ejus comitatu. Vide, quò progrediatur, qui ſuis cupiditatibus non invigilat. Nullo in loco ſumus ſecuri. Tantò graviore lapſu ruimus in præcipitium, quanto majora ſunt beneficia, ad quæ Deus nos evexit. Time tibi à te ipſo, te omnibus ſubjice in conſpectu divino. Venalis proponitur Chriſt● Flius Dei ab eo, quem beneficiis ac favoribus ipſe cumulaverat. Vide, quanta ſit ingratitudo, attende ad tuam, eamque pariter non levem invenies, propter notitiam, quam forte majorem habuiſti, quàm Judas. Denique attende, quibus venalem proponit Chriſtum, videlicet inimicis, qui ejus necem machinantur; perpende quantum poſſit avaritia & cupiditas habendi effrænata in animo Judæ. Ah! quoties vendidiſti Dominum ſenſui tuo, ut iterum in te crucifigeretur? Dolor de præterito, & propoſitum emendationis.

Tertium. Conſidera, quid fecerint principes ſacerdotum, cum Judas promiſit, ſe in manus traditurum Chriſtum. Primo, exhilarati ſunt mirum quantum, quòd operâ Judæ & diſcipuli familiaris Chriſti aſſequerentur finem ſuum, Chriſtusque ſine tumultu vel ſtrepitu traderetur in manus: Sed Lætitiæ cumulus acceſſit, quòd unus ex ejus diſcipulis ipſum odiſſet & vituperaret, ſicque egregia ſeſe offerret occaſio, funeſtum aliquid machinandi. Tecum reputa, quantum inde detrimenti acceperit exiſtimatio Chriſti. Sine dubio Judas ut perfidiam ſuam & avaritiam aliquo prætextu velaret, criminibus Chriſtum oneravit, dignumque morte eſſe declaravit. Quàm altè deſcendit in pectus tuum iſta injuria, quòd unus è diſcipulis tuis, quem tot beneficiis affeceras, ac favoribus cumularas, non tantum in te conſpiraret, ſed etiam propria malignitate atque avaritia impulſus zelum divinæ gloriæ ſimularet! Potes etiam juſtè con-

conqueri de me, qui non ſolùm offendi te, ſed ubi mea paſſio dominabatur, ibi legitimas cauſas prætexui. Secundo. Aſſignati ſunt Judæ triginta argentei, qui ſummam ſex aureorum ſcutorum plus minus conficiunt. O ſtupendam utilitatem, ad quam, Domine, meâ cauſâ te redegiſti? Formam ſervi induiſti in incarnatione, nunc venalis proſtas mancipii vel beſtiæ pretio, tu qui pretio æquari non potes. Ah! quomodo Pater æternus nos longè majori in pretio habuit, quippe qui filium ſuum tradidit pro redemptione noſtra! Ah! quomodo filius nos pluris fecit, quos propriâ vitâ redemit! Voluiſti, ô bone Jeſu, vendi pretio tam vili, ut me doceres contemptum judicii & æſtimationis humanæ, ſimulq; mihi animos adderes ad te comparandum, cum tam vili pretio væneas. Largire mihi gratiam, qua id faciam.

Feria tertia.

MEDITATIO VII.

Quomodo Chriſtus cum Juda ſe geſſerit.

P*Unctum primum.* Cum Judas acceptaſſet pretium, quod ei dare ſtatuerunt principes ſacerdotum, ut Chriſtum in manus ipſorum traderet, quid egit? primo apud me reputare poſſum, Judam valde exhilaratum fuiſſe, quòd ſperaret ſe pecuniam augendum eſſe, & re vera ad quantam ille infelicitatem devenerat quam exigua merces erat illa parva moneta, ſi ratio habeatur jacturæ, quam faciebat! O ſummam infelicitatem non agnoſcere infelicitatem ſuam! ita accidit omnibus, ita etiam tibi, quando cupiditas aliqua indomita & effrænata dominatur, non ſinit te verum diſcernere, tibi affert materiam lætitiæ, in re quæ dolorem

duntaxat parit. Roga *Deum*, ne permittat te eò progredi, ut malo delecteris & periculum non agnoſcas. Inſuper ſacræ paginæ teſtantur, Judam ex eo tempore captaſſe occaſionem tradendi Chriſtum ſine tumultu & ſtrepitu. Adverte, quales erant cogitationes Judæ, non eæ, quibus ſuum errorem agnoſceret, ſceleris illum pœniteret, contractum reſcinderet, ſed quibus conſilium ſuum executioni mandaret. Quanquam Judas non exiſtimaſſet Chriſtum eſſe Filium Dei, ſed purum hominem, tamen videbat illum dotibus animi & corporis ita amabilem ſe exhibere, ut ad primam cogitati ſceleris cogitationem toto corpore inhorrere debuiſſet, nec unquam rem tam indignam executioni mandare, & tamen animo agitabat tradere illum in manus, hoc eſt, ſervire tantum ſibi, & cupiditati ſuæ, non æquitati, virtuti, legi divinæ, ita planè accidit tibi, quando te ſinis trahi à voluptate. Deum roga, tibi gratiam concedat, quâ non demittas oculos ad res iſtas viles & abjectas, ſed illum atque æternitatem ſpectes.

Secundum. Conſidera, quænam eſſent id temporis cogitationes Jeſu: Quantum contrariæ cogitationibus Judæ: Noverat, quicquid Judas mente agitabat, & machinabatur, ipſe autem pro ſalute noſtra, & qua erat erga patrem ſuum obſervantia, libenti animo ſeſe offerebat omnibus injuriis & cruciatibus, quos ſui inimici, & nominatim Judas, ipſi perferendos deſtinabant; Ita ut Jeſus animo volveret conſilium, nobis conferendi maximum omnium bonorum, tum cum ejus inimici cùm Juda proditore peſſima quæque in illum moliebantur. O ſi ego ſcirem profundè adorare & conſtanter amare tantam bonitatem, & multò magis tantam erga proximum amoris teneritudinem imitari! Non agitabat in mente cogitationes

vindictæ & amaritudinis, ſed vertendæ ſceleratorum voluntatis in bonum, & ſalutem generis humani. Tecum reputa num ita geras, cum ſe dat occaſio, & enitere, ut in corde tuo dulcem & benignam erga alios charitatem ſtabilias. Præterea conſidera, Chriſtum præſertim arſiſſe deſiderio illuminandi & reducendi Judam. Iſte firmè ſtatuerat, nullam ſinere elabi occaſionem tradendi Chriſtum in manus Judæorum, & Chriſtus animo deſtinabat, omnem arripere occaſionem adducendi Judam ad agnitionem erroris; Optabat quantum in ipſo erat illum non perdere, ſed ſolita ſua bonitate ſervare. Agnoſce tantam clementiam. Ah, quoties hunc modum agendi tenuit erga te; tu recedebas ab illo, & ille ſuis gratiis te ſequebatur verè *benignus & miſericors & præſtabilis ſuper malitia*, Joel. 2. Dede te ſeriò, anima mea, tam bono Domino, qui ſollicitus erat de procurando tibi bono, quando tu illi pernitiem machinabaris, & eò ardentiùs ſtude illum redamare, quò tenerius te amavit indignam omni favore.

Tertium. Expende, quid Judas fecerit ubi rediit ad Chriſtum. Inito contractu cum Judæis lupus ille rediit ad gregem, deprædaturus paſtorem, & quidem fronte ærea diſſimulando, quod fecerat, & forte quò callidius ſua conſilia tegeret, præ ſe tulit majorem manſuetudinem & virtutem, qua carebat. Non illum moverunt exempla ſociorum, non potuerunt colloquia ſancta mollire duritiem: Jam occupaverat omnino cor illius avaritia, & ſpes lucri. O infelicitatem animæ, quæ eò progreſſa eſt, ut bono quod videt & audit, non tangatur: Rogo te, Domine, per tuam amabilem clementiam, ut me eximas ab hac miſeria, ne ſinas me ita premi jugo vitiorum, ut tua ope adjutus me in libertatem non aſſeram. Attende inſuper ad modum, quo Chriſtus Judam excipit; qua vultus

ſerenitate, qua cordis teneritudine, intuens illum, ut filium perditionis, ut lupum inter oves, ut perfidum inter chariſſimos diſcipulos proditorem. Nullum dat ei indicium conjurationis, quam noverat, non aperit aliis, unde veniret, non removet à cura ſervandí eleemoſynas, blanditur illi, ut ſolebat, eumque retinet ſecum. Quid facis, ô Domine? noſtine bene omnia? proditorem recipis apud te, nec tam turpem perfidiam ulciſceris? Numquid iſtud eſt educare ſerpentem in ſinu? cur illum à te non removes? merebatur hæc omnia proditor, ſed Dominus voluit præbere nobis exemplum pacifice vivendi cum iis, qui nobis adverſantur, & amandi eos, qui nos odio proſequuntur. Quàm diverſo modo me geſſiſſem? & nunc quàm longè aliter me gero! Non poſſum oblivíſci, vel diſſimulare injuriam acceptam, nec amicè tractare illum, qui me ſemel offendit. O Domine, *Spiritum nobis tuæ charitatis infunde*; Eò magis, quòd ita erga me te geſſiſti, quoties te offendi, ut erga proximum meum Spiritum veræ charitatis concipiam.

Feria quarta.

MEDITATIO VIII.

De cœna Paſchali.

P*Unctum primum.* Cum appeteret tempus edendi agni Paſchalis, miſit Chriſtus Petrum & Joannem ad urbem Jeroſolymorum, cum mandatis, ut ſequerentur hominem, qui ſibi introeuntibus civitatem occurreret, amphoram aquæ portans, & domum ingreſſi dicerent ædium Domino: *Magiſter dicit, tempus meum* prope eſt, apud te facio paſca, cum diſcipulis meis Matt. 26. Statimque illum oſtenſurum cœnaculum grande, ibique pararent omnia. Hic conſidera paupertatem Chriſti, ſine tecto, ſine domo; ſi velit Paſcha

ſcha celebrare, cogitur ab aliis mutuam domum emendicare, erat Dominus univerſorũ, & nihil habet, cumq; omnibus abundaret, *propter nos egenus factus eſt*. Quantam exſpoliationem deberet operari iſtud exemplum, ſi minus effectu ſaltem affectu, quantamque moderationem nobis afferre in optandis & procurandis bonis terreſtribus! Vide, quem modum hîc teneas, & ad Chriſti imitationem abſtine ab iis, à quibus potes. Adverte inſuper dominium, quod Chriſtus exercet & declarat, legando diſcipulos ſuos ad Dominum ædimum. Magiſter dicit, tempus ſuum prope eſſe, ſeque optare, apud te & domi tuæ Paſca celebrare. Vix hæc verba finierant Apoſtoli, cum omnia illis ad cœnam neceſſaria fuere ſuppeditata. Eja age num Chriſtus iſtam in te authoritatem exercet? ſatis eſt, ſi tibi ſuam voluntatem declaret, ut operi manum admoveas, vel potius obedire detrectes? collige te parumper, & conſidera ſtatum animæ tuæ. Inſuper attende Chriſtum dicentem, ſe morti vicinum eſſe, velle celebrare Paſcha, uti lex præcipiebat. Diſce, præparationẽ ad mortẽ eſſe accuratam legis divinæ cuſtodiam: ſtude ita te gerere.

Secundum. Conſidera, quis eſſet animus Chriſti comedentis unà cum diſcipulis agnum, ſui figuram. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, dixit Apoſtolis. Unde oritur in te deſiderium tam ardens celebrandi hoc Paſcha? & tamen hoc erit ultimum Paſcha, quod in hac vita mortali celebrabis, & tamen poſtridie morieris. Quid eſt quamobrem illud tanto ſtudio deſideres? Agnoſco, Domine, hujuſcemodi deſiderium oriri ab ardentiſſimo amore, quo flagras vitam ponendi pro ſalute mea. Quò vicinior eſt hora illa, eò majori gaudio cumulatur cor tuum, in quo meæ ſalutis deſiderium inſculptum manet. Ecquando poteris reſpondere Chriſti amori? gratias illi age ſingulares; opta tu quoque fovere in

cor-

corde tuo ardens deſiderium operandi ſemper ad gloriam & beneplacitum *Dei*. Introſpice pariter cor Jeſu, qui in illo agno aſſato ſeipſum agnoſcebat expreſſum; videbat in eodem mortem ſuam adumbratam, & oculis ſubjectos cruciatus, quos in illum exercere parata erat judæorum ſæva crudelitas: ſpectabat ſe morientem non tam vi dolorum, quos paſſurus erat in cruce, quàm flammarum, quibus illum charitatis ardor accenderat & hæc omnia acceptabat, & hæc omnia offerebat pro tua ſalute. Quanto beneficio obſtrictus es Jeſu! ſed quàm facile accepti beneficii memoria excidit tibi? ſtude, meminiſſe ſemper amantis tam præclarè de te meriti, ut illius amori reſpondeas.

Tertium. Perpende, quòd licet Chriſtus non teneretur lege ad eſum agni Paſchalis, tamen voluit, ut ille præcederet, tanquam diſpoſitio ad Euchariſtiam, quam inſtitueret deſtinabat, & ex cerimoniis, quæ in eſu agni Paſchalis ſervabantur, colligeremus modum accedendi ad ſanctiſſimum Sacramentum. Edebatur agnus Paſchalis non crudus ſed aſſatus, quia debet primo attentè perpendi excellentia & dignitas tanti Sacramenti, ſicque cor inflammari. Addebantur lactucæ amaræ, quia Euchariſtia ſumi debet cum amaritudine cordis, quæ oriatur ex contritione & dolore de peccatis in Deum admiſſis. Cingebant Hebræi renes ſuos, quia ille, qui manducat hunc agnum immaculatum, debet omni immunditiâ à ſe procul amotâ angelicam puritatem imitari. Calceos in pedibus habebant, quò nobis indicaretur, accedentes ad ſacram menſam paſſiones ſuas pravosque affectus coercere & in officio continere debere. Stabant tenentes baculos in manibus, quaſi parati & expediti ad iter habendum in terram promiſſam; Et nobis recepturis dignè *Dominum* tenendus eſt baculus in manu, conſtanter

ter exercendo opera bona, & ad cœleſtem patriam anhelando. Tecum reputa, num accedens ad ſanctiſſimum Sacramentum afferas iſtas conditiones, fervorem ſpiritus, reverentiam & devotionem, dolorem & amaritudinem de peccatis tuis puritatem mentis & corporis, moderationem cupiditatũ, exercitium continuum bonorum operum, denique deſiderium gloriæ cœleſtis, cujus pignus eſt hoc Sacramentum? quòd ſi conditiones hujuſmodi non habeas, enitere, ut eas habeas.

Feria quinta.

MEDITATIO IX.

De lotione pedum.

P*Unctum primum*. Facta cœna Paſchali, inquit S. Joannes Evangeliſta, *ſciens Jeſus, quia omnia dedit ei pater in manus, ſurgit à cœna & ponit veſtimenta ſua, & cum accepiſſet linteum præcinxit ſe, deinde miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo præcinctus erat.* Conſidera, quod Jeſus facit. Cum ſciret ſibi eſſe à Patrẽ conceſſam poteſtatem in omnia. Cui unquam veniſſet in mentem, quod Jeſus agnoſcens ſe eſſe ſupremum rerum omnium creatarum Dominum, impenderet ſublimem illam dignitatem & poteſtatem ſibi à Patre æterno conceſſam in abjiciendo ſe in terram, & pedibus duodecim piſcatorum lavandis? Quis iſte, ô Jeſu ante hunc diem inauditus modus agendi? Quomodo poſſunt iſta inter ſe conciliari! ſcire quid ſis, & quid potes, & ad tam vile miniſterium ſe deprimere! Non dedecet ſublimitatem Jeſu, ſe deprimere, quia ſimul eſt Rex terrarum & princeps virtutum, maximè demiſſionis & contemptus ſui; quare voluit paulò ante mortem ſuo exemplo nobis hanc virtutem commendare. O ſuperbiam mundanam? Huc ades tu, qui vias humi-

les *Dei* declinas; num eſt tuus Rex, tuus *Dominus* ille ipſe, quem vides proſtratum ad pedes diſcipulorum? ſi ais, te magnifacere Chriſti dignitatem & ſublimitatem, cur non amas ejus exempla, & reducis ad praxin virtutes, quas in ipſo elucere advertis? Ah, bone Jeſu, fac ut intelligam, tunc me veræ gloriæ & ſublimitatis culmen attigiſſe, ſi veſtigiis tuis inſiſtam, & tecum me deprimam.

Secundum. Conſidera Jeſum ad pedes Judæ, qui ut major domus primum probabiliter locum occupaverat. O ſingularem atque admirabilem ſui contemptum! noſti, Domine, & numeraſti greſſus omnes iſtius proditoris & tamen ſanctiſſimis tuis manibus tangis tam execrandos & deteſtabiles pedes? O exceſſum charitatis! Vides illum eſſe avidum ſanguinis tui, & tam inſolita amoris ſignificatione ipſum aggrederis, & miſcens cum aqua lachrymas tuas, ad cor ipſum alloqueris, & ex una parte duritiem exprobras obſtinato, ex altera vero reum invitas ad veniam. Adeſte huc è cœlis, O beati Spiritus, & ſpectaculum novum admiramini. Attende Jeſum ad pedes tuos ſe toties proſtraviſſe, quoties te peccati alicujus reum invitabat ad veniam, & animæ tuæ maculas ſanguine ſuo lavare deſiderabat. Illi gratias age ex animo, ſed adverte, Judam nihilominus ſtare animo obfirmato, non agnoſcere gravitatem ſceleris tui, non flecti, non molliri, non tangi clementiâ Salvatoris. Quantum obcæcat prava cupiditas, maximè avaritia! Quibuscunque favoribus cumuletur Judas, iis nullo modo tangitur. Proh dolor! quando Deus recedit ab anima, nihil eſt, quod illi majorem indies cæcitatem non afferat. Corripieris ſancto timore, ne deſeraris à Deo, eoque magis, quòd cum toties voci divinæ aures occluſeris, tuis affectibus indulſeris, *Deo*que tibi tot peccata condonanti gratias non rependeris; fieri facile

cile poſſet ut ad hanc calamitatem labereris. Demum Judas erat Apoſtolorum collegio aggregatus, aliquandiu bene ſe geſſerat, ſed paulatim eò progreſſus eſt. Quare pedibus Jeſu advolutus dic ex intimo cordis affectu: *Non ſecundum peccata mea facias mihi.*

Tertium. Conſidera contentionem, quæ intervenit Jeſum inter & Petrum. Ferre non valuit Petrus tantam in Jeſu demiſſionem radio quippe divinitatis è Chriſto emicantis illuſtratus, ſuam ipſe vilitatem & Jeſu ſublimitatem agnoſcens, in hæc verba erupit. *Domine, tu mihi lavas pedes?* Expende ſingulas voces. Tu Domine tantæ majeſtatis, gloriæ, potentiæ &c. mihi pulveri, luto, peccatori &c. in miniſterio tam vili? Quomodo non hærebo ego attonitus, dum recordor illum quotidie ſimile miniſterium mihi præſtare, deſcendendo è cœlis, ut mundet animam meam? tanto deſiderio meæ puritatis accenditur. Hic laudabis Deum, eique gratias ages. *Dixit* Petrus, non mihi lavabis pedes in æternum, & reſpondit Chriſtus, niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. O quàm verum eſt, quòd ſi tu non laveris me, non habiturus ſim partem tecum. Omne remedium meum in te continetur. Tu es fons ſalutis meæ, quare oculos conjice in plagas & paſſiones animæ meæ; lava utique animam meam, tibi ſiquidem facile eſt, me à ſordibus meis purgare. Tam gravi comminatione perculſus Petrus, ſe Chriſti voluntati ſubjecit his verbis. O Domine, non tantum pedes, ſed & caput & manus. Non amplius ſuæ vilitatis rationem habuit. O ſi addiſcerem, quanto in periculo verſor amittendi divinam amicitiam, & non habendi partem cum Chriſto! O ſi perſuaſum haberem, quòd omnia ſint pro Deo relinquenda! jactura regni cœleſtis compenſari nequit quolibet alio lucro. Conjice igitur in hanc pelvim cor ſuum vulneribus multis ſaucium.

Roga

Roga Deum, tibi illud lavet. *Cor mundum crea in me Deus*. Similis quippe lotio neceſſaria eſt illi, qui vult Dei particeps eſſe.

Feria ſexta.

MEDITATIO X.

De inſtitutione Sanctiſſimi Sacramenti.

PUnctum primum. Sub finem cœnæ communis, accipit Jeſus in manus panem & vinum, eaque porrexit diſcipulis ſuis, ut ederent & biberent, dicens, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus; quibus verbis, quod prius erat panis & vinum, deſiit hoc ipſum eſſe & ſub ſpeciebus panis & vini incœpit ineſſe corpus & ſanguis Chriſti. Primùm elicies ardentem actum fidei, credendò firmiſſimè, & adorando hoc divinum Sacramentum. Deinde expende magnitudinem doni, quod Jeſus fecit Apoſtolis, tibique etiam facit, quoties ad ſacram menſam accedis: Dedit tunc temporis, hodieque tibi dat vitam ſuam, animam, corpus, divinitatem, merita mortis ſuæ, atque, ut paucis multa complectar, quicquid ipſe eſt, & quicquid poſſidet eodem prorſus modo, quo ſe olim mundo dedit, induendo carnem humanam, & pro ſalute noſtra moriendo. Quid dicis ad hæc? nonne potes cum ſancto Bernardo jure dicere, *totus mihi datus eſt, & totus in uſus meos expenſus eſt*. Serm. de Epiph. Cum apud me cogito, Deum veniſſe in terras, hominum cauſa, ſtupeo totus, rei novitate perculſus; quid fiet, cum reputo, Deum toties è cœlo deſcendere, quoties ſub accidentibus panis ſe collocat, ut tibi in cibum ſe præbeat: Num ſummo amore raperis erga Jeſum, ſi quando recordaris illum cogitaſſe de te, dum in terris verſaretur? quid jam erit, ſi attendis, ipſum adire ad te, quotieſcunque accedis ad ſacram Synaxim, ſuſcipere cogi-

cogitationem de te, perinde quaſi nullus mortalium eſſet in terris præter te; paratus te cumulare omnibus donis congruentibus ſtatui tuo, & mundo deſtinatis per adventum ſuum: ita ut nullam illi majorem moleſtiam creare poſſis, quàm ſi te ad illum recipiendum non præpares. O quantum es, Domine admirabilis ſimul & amabilis? Quid tu & bonitas infinita, & quid ſum ego? & quomodo fieri poteſt, ut totum me non impendam pro te, qui te totum impendis pro me? poſſumne dicere, te minus exigere, dum mihi dicis, *prabe mihi cor tuum?* Gen. 28. dixit quidem Jacob Patriarcha, ſi Dominus cuſtodiat me in via, per quam ambulo, & det mihi panem *ad veſcendum, erit mihi Dominus in Deum*; quæ proportio illius panis cum iſto? illius protectionis & cuſtodiæ cum participatione ſanctiſſimi Sacramenti? Num æquum eſſet, ut totus arderem flammis amoris? & tamen quàm frigidus ſum, licet ſæpius paſcar hoc pane vitæ? pudor de præterito, propoſitum conſecrandi ſe totum Deo.

Secundum. Conſidera tempus iſtius inſtitutionis quodnam fuit? in qua nocte tradebatur ad Cor. ait S. Paulus, pridie mortis ſuæ, tum cum proditiones, dolores, cruciatus parabantur. O Domine, ita eſt, tu nobis hujuſcemodi donum parabas, & inimici tui inſidiabantur vitæ tuæ; illis nectebas laqueos amoris, eum tum ipſi catenas tibi deſtinabant; charitas tua condiebat cibos vitæ, & alii tibi exitium machinabantur; illi mente agitabant accuſationes, flagella, fellis amaritiem, & tu conſolationes, ſolatia, delicias paradiſi cogitabas. Attende, quòd tormenta omnia, quæ brevi paſſurus erat, non potuerint illius erga nos amorem imminuere, vel ita ejus mentem occupare, ut de tanto beneficio tibi conferendo non cogitaret. Quid deberes ipſe facere, ut amanti reſponderes? Numquid rationi conſentaneum foret, ut eodem, quò ſanctus

Paulus affectu, exclamares, *qui ſeparabit me à charitate Chriſti?* nullus dolor, cruciatus nullus potuit retardare Jeſum hac nocte, quin præ amore ſe nobis in cibum relinqueret in Sacramento: Et poterit eſſe res ulla tam dura tamque contraria, quæ me à Jeſu poſſit avellere? ſtatue, ſuperare omnia generoſè, ſtare inconcuſſe in rebus adverſis, ut imitari poſſis Sanctum Paulum, qui dicebat, *In his omnibus ſuperamus, propter eum, qui dilexit nos* ad Rom. 8. ſed quid? non ſuperavit tantum dolores vicinæ paſſionis, ſed omnes contumelias, injurias & opprobria, quæ ad finem uſque mundi paſſurus erat, tum à malis Chriſtianis, tum à tot infidelibus in hoc auguſtiſſimo Sacramento, & in particulari à te, qui irreverenter coram illo te geris; at nihilominus munus iſtud nobis impertivit. O exceſſum bonitatis tuæ, Jeſu mi! adeo verum eſt, *aquas multas non potuiſſe extinguere charitatem. Cant.* 8. nec tot flumina injuriarum adverſus iſtud Sacramentum perturbare tantum amorem. O ſi ſcires plangere reverentiæ defectus in eo excipiendo, totque contumelias, quas tulit & feret, propterea quod nos hoc dono affecerit. Stude, dolorem concipere de præteritis, & te diligentiſſime in poſterum ac majori, qua poteris animi demiſſione, præparare.

Tertium. Conſidera modum inſtitutionis, primò, edit agnum paſchalem, ut legi pareret; deinde lavat pedes apoſtolis, ut eos ab omni affectu minus compoſito perpurgaret; tum elevat oculos ad Patrem, eique gratias agit: denique conſecratum à ſe panem & vinum Apoſtolis tradit, eoſque ſimul illuminat, ut ea cum fide viva crederent & ſincero cum affectu comederent. Attende, quænam eſſe debeat præparatio tua, exacta divinorum mandatorum cuſtodia, integra omnium peccatorum venialium per confeſſionem aut contritionem purgatio, elatio oculorum

ad

ad cœlos, attentè conſiderando magnitudinem tanti beneficii, affectus tenerrimus gratiarum actionis, quam viva fides & cibi divini veneratio magna comitetur. Te ipſe examina; attende quomodo hactenus te geſſeris, utrum cum ſimili præparatione ad iſtam menſam acceſſeris, vacuus à peccatis & plenus reverentia erga eum, quem excipiebas an potius cum exigua conſideratione, levi dolore, & minori amore. Roga illum, tibi ut radios ſuæ lucis infundat, verum amoris & reverentiæ JESUM ingeneret, ac nunquam ſinat, te inſtar Judæ Salvatorem tuum in tuam damnationem accipere. *Sabbatho.*

MEDITATIO XI.

Chriſtus proditorem indicat.

P*Unctum primum.* Aderat quidem corpore in cœnaculo Judas, at mente ipſe armabat milites in Chriſtum, & conſilium ſuum premendo, credebat Chriſtum ignorare, quid moliretur: quando Chriſtus exterius turbatus eſt, faciem mutavit præ ſe ferens magnum animi dolorem, & ait *unus ex vobis me traditurus eſt.* Conſidera primo, quænam fuerit in Chriſto cauſa, cur turbaretur. Primo, fuit atrocitas ſceleris Judæ, quòd unus è duodecim diſcipulis ſibi familiaris, comes, Apoſtolus, proditionem hujuſmodi machinaretur. Secundo, ut indicaret diſcipulis ſuis, ſe futura prænoſcere, illiq; cognitâ proditione Judæ, ſtabiles & firmi permanerent in fide. Tertio, cauſa turbationis in Chriſto fuit internus dolor, ex obſtinatione Judæ conceptus, & deſiderium reducendi illũ, ad pœnitentiam: Quid non tentat? non ipſum nominatim indicat, ut emolliat duritiem Judæ, cujus famæ parcit: pergit ulterius, & clariora tradit indicia his verbis. *Qui mecũ intingit manũ in paropſide, hic me tradet.* Demũ illũ percellit his minis: *væ homini illi; melius ipſi fuiſſet, ſi natus nõ eſſet.* Mirare res adeò diverſas: hinc caritatẽ Chriſti in agẽdo, illinc duritiã Judæ

in obſiſtendo omnibus monitionibus & comminationibus pœnarum, quæ nullam habituræ ſint finem. Deteſtare, quæ fecit Judas eaque quæ tu ipſe, imitator Judæ, toties in Chriſtum admiſiſti. Time in Judæ perverſitate, ne tu quoque pervertaris, dicendo cum S. Auguſtino, *non eſt peccatum, quod fecit homo, quod non faciat alter homo, ſi deſit ei Rector, à quo factus eſt homo.* Roga Jeſum, ne ſinat te obdureſcere inſpirationibus divinis, vel ab indomitis cupiditatibus regi.

Secundum. Expende ſummum dolorem, quem Apoſtoli conceperunt ad hanc vocem; *Unus ex vobis me eſt traditurus.* Incredibili mœſtitiâ illos affecit ſcelus tam execrandum; Dubii ſe intuebantur invicem, & parum abfuit, quin præ dolore expirarent, ut ait S. Chryſoſtomus; cœperuntque interrogare Chriſtum, *Nunquid ego ſum?* Attende, quàm juſtè dolerent, quòd unus ex ipſis, familiaritate conjunctior, beneficiis obſtrictior, amicitiâ carior tanto ſcelere ſe macularet. Ad te mentem reflecte, quàm juſtè lugere debes omnes offenſas quas in eundem Dominum, de te tam præclarè meritum, admiſiſti? quare enitere, cum vero animi tui dolore deteſtari omnia peccata tua. Inſuper diſcipuli, quanquam nullius culpæ ſibi conſcii eſſent, tamen proditionis authorem ſciſcitantur, ſibi ipſis non fidentes, ne forte quid occultum lateret in intimis animis, quod ignorarent, aut crimen admiſſuri eſſent in poſterum. Idem ſciſcitatus eſt Judas, ne tacendo ſuſpicionem de ſe moveret, pluris facit bonam ſui apud homines exiſtimationem, quàm bonam apud Deum conſcientiam. Attende, num tu idem præſtes, cum ſeſe offert occaſio. Conſidera reſponſum Chriſti; *Tu dicis*, mirare manſuetudinem Chriſti; non illi reſpondet, tu ſcelerate, tu ingrate, tu ſacrilege me inimicis meis prodere machinaris; ſed benignè ſubjungit, nihil eſt, quod te nominem, tu ipſe rem fateris, & verum dicis.

Quid

Quid non facit ad illius animum ſibi conciliandum? & ſimul quod exemplum nobis præbet, benigne reſpondendi his, qui nos offendunt? ſtude hunc ſpiritum manſuetudinis haurire erga proximum, quando in tuam offenſionem incurrit.

Tertium. Cum Apoſtoli adhuc certiores non eſſent, quis ipſorum futurus eſſet proditor, Petrus aliis ferventior, innuit Joanni, ut proditoris nomen à Chriſto ſciſcitetur. Adverte zelum Petri, qui totus eſt in impediendo, ne quid mali Chriſto inferatur: Quàm felix tu pariter eſſes, ſi procurares, ne Chriſtus ab aliis offenderetur? Vide ſi iſte in te affectus dominatur. Joanni ſciſcitanti, quis eſſet proditor, reſpondit Chriſtus, hunc eſſe proditorem, cui panem intinctum porrigeret; eumque porrexit Judæ. Quo videns Judas, ſe eſſe detectum, diſceſſit furioſus, & mente captus, atque à dæmone inſtigatus, qui illum poſſedit, & impulit, ut quod mente conceperat, executioni mandaret. Vide, in exemplo Judæ, progreſſum peccatoris. Iſte Chriſtum deſerens, deſeritur paulatim à Chriſto; deſertus à Chriſto, occupatur à dæmone; occupatus à dæmone, ſe in omnem ſcelerum atrociſſimorum voraginem præcipitem agit O derelictionem deplorandam, quando Deus laxat habenas animæ infelici, ut cupiditatibus ſuis pareat, ſua conſilia exequatur! O ſtatum miſerabilem, quando Deus fruſtra collatis beneficiis, quibus duritiem obſtinati cordis infringeret, ab eo recedit! & dicit cum Ezechiele cap. 3. *Aufferetur zelus meus à te, nec iraſcar amplius.* Quàm terribilis ſeparatio, ſi mente percipi poſſet? Roga Deum, ne ſinat te regi à cupiditatibus tuis; nec illas foveas, dum adhuc naſci incipiunt: ſed ipſas fortiter coërceas, Deoque eique, à quo juvari potes, aperias; ne animum obfirmes in malo, divina ſubſidia ſubtrahantur, tuque exemplo Judæ miſerè vitam finias.

MEDITATIO XII.

De contentione ortâ inter diſcipulos, quis horum videretur eſſe major.

P*Unctum primum.* Judas impulſus propriâ malitiâ, exivit è cœnaculo. Quo tempore? *erat autem nox,* inquit ſanctus Joannes. Conſidera temeritatem & infelicitatem Judæ. Intempeſtæ noctis tempus incommodum non moratur Judam, quin cogitata perficiat. Sed mirum non eſt, quantò majores erant tenebræ, quæ mentem Judæ excæcaverant; extincta erat in eo lux omnis, & jam nox occupaverat ejus animum, qui præparatam ſibi caliginem ſempiternam non advertebat. Roga Deum, ut nunquam iſta nox offundatur menti tuæ. Dic ſæpius Deo, *illumina tenebras meas*; ne viſu amiſſo, caſum non videas. Attende ad illud, quod Chriſtus dixit, ubi Judas exivit è cœtu; *Nunc clarificatus eſt filius hominis*; ita ut præſentia Judæ ſcelerati & peccatoris obſcuraret, ut ita dicam, hujuſce cœtus ſanctitatem eoq; abeunte Chriſti gloria ſuum ſplendorem recuperaret. Quanto igitur cum ſtudio procurare debes, ut virtutem conſequaris, ne noceas iis, quibuscum vivis; neve Chriſtum prives eâ gloriâ, quã illi vitæ tuæ probitas contuliſſet. Mentem in te reflecte, & vide qualis ſis: ſed inprimis enitere, ut talis ſis, qualis eſſe debes.

Secundum. Poſtquam Judas exiiſſet, orta eſt contentio inter diſcipulos, quis ipſorum *videretur eſſe major*? Expende tempus, perſonas, & materiam contentionis. Audierunt Chriſtum minas intentantẽ Judæ, qui abierat, ut magiſtrum ſuum proderet; cumq; ex infelicitate ſocii timorem haurire deberent, & mœrore affici, propter mortem, quæ Domino iminebat; ambitione feruntur, atq; inter ſe contendunt, quis primum locũ teneret? Paulo ante mœſti erant, & zelo accenſi, propter ſcelus atrociſſimum proditoris: & nunc vanô hu-

manæ

manæ gloriæ fumo ducuntur. O *D*omine, quàm vili in pretio habere debemus virtutem noſtram? Quàm citò è bono ſtatu in malum tranſitur? ſecundo, quales ſũt ii, qui de primo loco contendunt? ſcilicet pauperes piſcatores, & diſcipuli Chriſti, collegio Apoſtolico aggregati. Vide, quàm periculoſa ſit ambitio, quæ irrepit non ſolum inter pauperes ſed etiam inter diſcipulos Chriſti. Stude, te ab hoc vitio im̃unem præſtare, nec reputare, te eſſe ſecurũ, in quovis vitæ ſtatu. Ultimò contendunt, quis ipſorum videatur major? non diſputant, quis ſit major, quod ſincera animi demiſſione, & ſola virtute cõparatur, ſed quis in æſtimatione hominũ cenſeatur major; quod ſummæ eſt vanitatis. Attende, utrũ tu ipſe ſtudeas magnã nominis exiſtimationẽ tibi comparare apud homines, vel apud *D*eum? enitere magnus eſſe coram Deo, neq; hominum judicia cures; quia tantus quisque jure haberi debet, quantus eſt apud *D*eum.

Tertium. Conſidera quomodo Chriſtus, ubi audivit contentionem ortam inter diſcipulos, ſtuduit ſtatim illi remediũ afferre his verbis. Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor; ſicq; ad majorẽ dignitatis gradũ aſcendet. Attende paradoxum Chriſti, quod mundus non poteſt capere; nempe viam ad veram ſublimitatẽ, eſſe ſui contemptum & depreſſionẽ; ita ut ſi velis eſſe magnus ſtudere debeas eſſe parvus. Hæc eſt lex condita à Deo, & à Chriſto ſervata: quare ipſe ſubjungit; *ego a. in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Mentem in te reflecte, quonam modo tu huic veritati fidem habeas, eamque obſerves. Quàm longè diverſa ſunt ſtudia, & cogitationes tuæ? & tamen conſidera id, quod Chriſtus Apoſtolis tibiq; ſignificat: *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum*; ac ſicut per opprobriã crucis exaltandus ſum ad culmen gloriæ, ita & vos eadem via depreſſionis, & dolorum, aſcenſuri eſtis ad faſtigium dignitatis cœleſtis. Quamobrem ſi quis optat ad gloriæ ſupremæ celſitudinem evehi,

non alia illi tenenda eſt via, præterquam humiliationis & crucis; igitur bibere debet calicem, quem Chriſtus bibit, ſi velit vera felicitate potiri. Quantam hic habes materiam erubeſcendi, ſi attendas, te duci principiis adeò diverſis! Homines mundani (fortè tu unus ex illis es) tantopere laborant, ut in hac labili vita fragiles honores conſequantur; at illi ut ſemper duraturam in alterâ vitâ gloriam conſequantur, vix ſe movere dignantur. Roga Deum, ut te revocet ab errore, in quo verſaris; tibique certò perſuadeas, quò profundiùs ejus cauſâ te deprimes, eò te ſecuriùs ad veram ſublimitatem, gloriamque interminabilem evolaturum.

Feria Secunda.

MEDITATIO XIII.

De Chriſti colloquio poſt cœnam.

P*Unctum primum.* Chriſtus morti vicinus, antequam egrederetur è cœnaculo, dulcia miſcuit colloquia cum undecim diſcipulis, non Jeſus ac cignus, qui moriturus dulciùs canit; atque ita orſus eſt. *Filioli.* His verbis indicat tenerrimum, & plusquam maternum, erga diſcipulos ſuos amorem. *Filioli*, non filii: ut ſignificaret, eos eſſe adhuc debiles in fide, neque adhuc in virtute robuſtos, & alta radice firmatos. Quid illis inculcat? *manete in dilectione meâ*, amate me conſtanter. Vide, quàm juſte id expoſcat; quibus beneficiis eos non affecerat? quare ſubjungit, ſicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos; vos amavi liberâ ſponte, ſine ſpe utilitatis propriæ, ad exemplum amoris, quo me Pater æternus eſt proſecutus. Quàm gravi igitur es in culpâ, Jeſum non amando, ſi amantem teneris redamare? deinde nobis indicat, unde poſſimus colligere, utrum ipſum amemus; *ſi diligitis me, mandata mea ſervate.* Hinc collige amorē, quo Jeſum proſequimur, ſtare non poſſe, quin Jeſu præceptis obediamus. Vide, nunc utrum tu illum ames? attende ad opera; quia verba non ſufficiunt.

Deni-

Denique illis confirmat, amorem ſui non futurum ſine fructu. Primus fructus erit, ipſos à Patre, & à ſe amatum iri; alter fructus, fore, ut Pater, & ipſe veniant, & habitent in animis ipſorum. Tertius, ſe ipſis manifeſtaturos in hac vita, per claram notitiam; & in altera, facie ad faciem. Examina fructuum iſtorum excellentiam. Quæ major felicitas, quàm amari à *Deo*? complecti Deum in corde ſuo, ut amicum & hoſpitem acceptiſſimum? eum in hac vitâ cognoſcere, & in altera poſſidere? ſume itaque animos, quibus Jeſum conſtanter ames, ejusque mandata conficias.

Secundum. Poſtquam Jeſus hortatus eſſet ſuos ad *Dei* amorem, eis præcepit amorem erga proximum, dixitq;, novũ vobis trado præceptum, & hoc eſt mandatum meum, ut invicem vos diligatis. Vide, quàm ſtudioſè inculcet hunc amorem; ita ut illum vocet mandatum ſuum novum, quia fundamentum eſt novæ legis, quę eſt lex charitatis; quia nos renovat in ſpiritu, & quia per incarnationem Chriſti ſtrictiùs unimur cum Chriſto capite noſtro, veluti illius membra, atq; adeo adhuc ſtrictiori vinculo ad invicem copulamur, eundem cibũ, qui eſt Chriſtus in euchariſtia, participantes, & eâ de cauſâ recens nobis incũbit obligatio, mutuo nos amore proſequendi. Deinde ſubjungit modum, quo amare debemus. Amate vos invicem, ſicuti ego amavi vos? O admirabilem regulam, ſi ad illam ſcirem amorem meũ dirigere! ut nos diligeres, non expectaſti merita; non habuiſti rationem mercedis; ut nobis benefaceres, & ſaluti noſtræ conſuleres, non refugiſti gravia quæque tormenta tolerare. Hæc ego deberem præſtare erga proximum meum; ſed quàm longe abſum? Accende in me ardens te imitandi deſideriũ. Inſuper declarat hac in re cognoſcendos eſſe diſcipulos, ſi ſe mutuâ benevolentiâ complectantur. Mirare prærogativam charitatis; non generis ſplendor, non ingenii ſubtilitas, non

 vir-

virtus patrandi miracula, vel aliud quodvis donum, ſed amor erga proximum nos diſcipulos Chriſti conſtituit; quia cum ſchola ſua ſit charitatis academia, non alia inprimis in ea docetur doctrina, præterquam amare, idq; non linguâ, ſed opere & veritate. Attende, utrum audias in hac ſchola? num in ea progreſſum aliquem feceris, & quomodo te geras erga proximum tuum? nec blandiaris tibi, quaſi Chriſti diſcipulus fores, niſi enim ames fratres tuos hoc titulo gloriari non potes.

Tertium. Conſidera, quomodo Chriſtus commendat diſcipulis ſuis orationem & recurſum ad Deum. Petite (inquit) & accipietis; & videtur conqueri de ipſis. Adhuc non petiiſtis quicquam. Adverte amorem Jeſu & voluntatem impertiendi nobis ſuos favores. Si princeps aliquis ditiſſimus diceret ſuis, petite à me, & ego vobis dabo, oſtenderet, ſe velle erga ipſos liberalitatem exercere & quilibet libenter accederet ad favorem aliquem ab illo poſtulandũ; Quantò libentius debemus recurrere ad Deum, qui ſum̃am bonitatem cum divitiis inexhauſtis conjungit? Mentem in te reflecte, ſi confugias ad Deum, eumque roges. Nec illi ſatis fuit, hortari ſuos ad petendum, eos pariter docuit modum poſtulandi, & circumſtantias, quas precibus noſtris debemus afferre. Prima eſt grandis fiducia, quia ille, qui vult nobis ſuas gratias elargiri, eſt bonus, potens & fidelis in adimplendis promiſſis. Altera eſt ſtricta cum Deo unio per vinculum charitatis; ſi in me manſeritis (ait ille) & verba mea in vobis manſerint, quodcũq; petieritis, fiet vobis. Tertia, ut poſtulemus, non per noſtra, ſed per Chriſti merita, exemplo Eccleſiæ, quæ dicit; *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Quarta non petatur, niſi id quod decet à Deo concedi, nomine Chriſti, & expedit ad ſalutem noſtram; quare Chriſtus ait. Quodcunque petieritis Patrem *in nomine meo, dabit vobis.* Ultima, ut quod poſtulatur, ad gloriam Dei referatur. *Ut glorificetur pater in filio.* Vide, utrum iſtæ circumſtantiæ comiten-

mitentur orationes tuas,& ſtude eas afferre, ut exaudiaris,cum preces fundis ad Deum.

Feria tertia.

MEDITATIO XIV.

Chriſtus ſolatur Apoſtolos.

P*Unctũ primum.* Dominus noſter Jeſus Chriſtus,poſtquam diſcipulos ſuos inſtruxiſſet,eos ſolatur,aſſerendo ſe non relicturũ Orphanos, & licet diſcedat,ſe tamen ad ipſos rediturũ. Attende tenerum amorẽ Jeſu; quaſi ipſe nõ eſſet brevi mortem paſſurus, quaſi ipſe intimo animo nõ angeretur (ſic n.volebat) eos tamen ſolatur iis verbis,licet ego (inquit) veſter pater diſcedam, non relinquã tamen vos orphanos. O incredibilẽ Apoſtolorũ felicitatẽ,quib.hæc promiſſa dantur? Quid deeſſe poteſt illis,à quib. Deus non recedit? quantumvis alii nos deſerant,felices tamẽ erimus,ſi Jeſum habemus patrem. Hæc ſolabantur Davidem, *Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus a.aſſumpſit me.* Roga Jeſum,ne unquam te deſerat,utque ipſe eſt verus pater,ita tibi largiatur ſpiritũ veri filii,qui obſervantia,obedientia & amore ſe prodat; Deinde adjungit in domo Patris ſui multas eſſe habitationes,ſe vadere paratum ipſis locum,atq; optare,ut ſecũ ſint in eodem loco,in quo ipſe erit. Quam magna hęc erat Apoſtolis conſolationis materia! O ſi tibi Jeſus diceret interius,paravi tibi locũ & velim,ut ſis mecum;& licet defectus tui fuerint in ſatis magno numero,tamen variæ ſunt manſiones in domo patris mei. Roga Jeſum,ut pro ſua pietate tibi præparet locum,poſſisq; cum illo eſſe ſemper,nunc quidem cogitatione,obſequio & affectu,& poſtea per totã æternitatẽ; & quando cadis animo puſillanimis,ſolare te ipſe his verbis. *In domo* Patris mei manſiones multæ ſunt; ſed adverte,ne eiſdẽ verbis ad fovendam negligentiam tuam abutaris. *Secundum.* Conſidera,Chriſtum diſcipulos hortari ad laborẽ,eosq; ſolari his verbis; mundus vos laboribus variis exercebit,ſed ſumite animos,ego vici mun-

mundum; ita ut concidere animo minimè debeas, quando adverſâ fortunâ jactaris; jam Chriſtus dixit, ſe viciſſe mundum cumque ipſe vicerit, nobis victoriam tradidit; quare ſpes tibi collocanda eſt & fiducia reponenda in Jeſu, qui de mundo triumphavit. Secundo, eos ſolatur exemplo ſuo, ſervus (inquit) non eſt major Domino ſuo; me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; adverte itaque, quòd virtutem ſectari, & à malis, quæ per mundum denotantur, perſecutionem pati, indicio ſit, quòd ſimus ſervi Dei, non autem mundi; qui diligit ſuos. O qui hæc caperet! Quanta animi conſolatione frueretur, quando aliquis vituperatur & vexatur ab hominibus ſceleratis, quòd congruenter ad legem Chriſti vitam inſtituat, quòd divina ſervet mandata, quòd Jeſum amet. Roga Jeſum, tuo ut veritatem iſtam cordi imprimat. Denique diſcipulos recreat, pollicens illis fore, ut lætitia mundi brevi finiatur, triſtitia autem diſcipulorum in gaudium ſtabile convertatur. Quanto igitur melius eſt, amplecti libenter dolores, quos gaudia æterna conſequuntur, quàm ſectari delicias mundi labiles & brevi mutandas in moleſtiam & dolorem? fac igitur, mi Jeſu, ut libenter amplectar crucem, cruciatus & ſpinas, cum ex illis felicitas æternùm duratura naſcatur.

Tertium. Appetebat tempus egrediendi ex urbe Jeruſalem, & proficiſcendi ad hortum; quamobrem finito colloquio, & inſtructis ac recreatis diſcipulis, prius quàm in campum prodiret, precibus cœlum ſollicitat, & patri ſuo æterno ſupplicat. Cur hæc agis, Domine Jeſu? indiges forte auxilio ad ea, quæ tibi ſuperſunt agenda? Actiones ultimæ, & quæ agimus paulo antequam ex hac vitâ diſcedamus, expendenda ſunt maturiori conſilio, & altiùs in animis imprimuntur. Nos itaque ſuo exemplo docet, recurrendum eſſe ad Deum in rebus duris, arduis & majoris momenti,

menti, ad vires obtinendas, quibus fortiter & virtuti congruenter nos geramus. Mentem ad te reflecte, & attende, utrum ita te geras, & recurſu ad orationem te munias & præpares. Deinde oſtendit, quid faciendum ſit, cum morti ſumus vicini; tunc arctiùs conjungi debemus Deo, atque eniti, ut eum nobis conciliemus, & tempore adeo periculoſo adjutorem ſentiamus. Statue imitari hoc exemplum Jeſu, qui cum non egeret auxilio ad preces tamen confugit, ut tu eò lubentiùs ad Deum recurreres.

Feria quarta.

MEDITATIO XV.

De oratione Chriſti ad Patrem.

P*Unctum primum*. Cum Chriſtus diſſeruiſſet cum Apoſtolis, oculos elevavit ad cœlum, & ut homo Patri ſuo ſupplicavit. Vide reverentiam, quam exhibet Chriſtus patri ſuo, & fiduciam, quam in eo reponit. Elevat oculos, atque adeo cor ad patrem, & patris compellatione orditur preces ſuas; hoc prorſus modo debes tu preces tuas ordiri, elevando mentem & cogitationes tuas ad Deum, cum externa reverentia & fiducia filiali. Attende, utrum ita te geras; & tamen vix unquam te à terrâ ad cœlum elevas. Secundo, ſignificat Patri, adeſſe tempus honorandi filium coram hominibus, ut honor ſibi exhibitus redundet in patrem. Attende, quàm juſtè poſtulet, ſibi exhiberi honorem, quem ſui contemptu meruerat, dum propriæ gloriæ non ſervit, ſed illam ad patrem dirigit. Tibi quoque optandum eſt & poſtulandum, ut Jeſus ſemper magis ac magis innoteſcat apud homines, quia & ipſe meretur, & hujuſcemodi gloria in commendationem Patris redundat, & hinc diſce, nullum bonum optare, ſive ſpirituale, ſive temporale, niſi ad ſummi numinis gloriam referatur. O te beatum,

ſi ita te gereres! Idem, quod Jeſus, dicere non potes. *Ego non quæro gloriam meam.* Joan. 8. *D*enique ut exaudiatur à Patre, ait, ſe ejus gloriam in terris promoviſſe, atque impleſſe opus ſibi injunctum. Quàm perfectè utrumque Jeſus executioni mandaverat! ideoque non immerito ſuas preces exauditum iri confidit. Poteſne tu utrumque Deo proponere, te ſcilicet ejus gloriam dilataſſe, & ejuſdem voluntatem impleſſe? quantum potes tibi ruborem injicere? loco bonorum operum crimina accumulaſti. Enitere inpoſterum, ut Dei voluntati obedias, ejusque gloriam promoveas, ſi vis, ut preces tuæ in cœlo locum inveniant.

Secundum. Conſidera, quomodo oret pro Apoſtolis, & tria roget illorum cauſâ. Primum, ut ad ſui nominis gloriam, quos ſibi dedit eos ſervet inter ſe mutui amoris vinculo arctisſimè copulatos, ita ut unum ſint, alterum, ut eos eximat à malo; tertium, ut eisdẽ veram & perfectam ſanctitatem concedat. O felicitatem ſummam Apoſtolorum, quibus erat talis advocatus, qui ſine dubio norat precibus flectere patrem ſuum, & ipſe exaudiendus erat à Patre! Attende præterea, quas gratias poſtulat, nô temporales, ſed ſpirituales; protectionem Patris æterni, verã inter ipſos concordiam & ſanctitatis augmentum. Hæc ſunt quorũ noſtra magni intereſt. Quo in pretio habes hæc dona? attamen bona temporalia maximi facis. Expẽde inſuper rationes, quas proponit Patri æterno. Prima, quia erant ſui. O ſi tu quoq; poſſes cum Propheta dicere Pſal. 118. *Tuus ſum ego, ſalvum me fac!* ſecunda, quia diſcipuli ipſum amabant: *Clarificatus ſum in eis.* *D*igni ſunt, qui protegantur à Patre æterno, qui laudant, diligunt & colunt Jeſum. Eſtne in te amor iſte? ſtude, illum habere, & poteris à Patre ſperare bona omnia. Tertia pro eis ſanctifico me ipſum (inquit) ego me offero morti, ut ſanctitatem conſequantur, adeo ut è pasſione Chriſti

oria-

oriatur bonorum cumulus, omneque genus ſanctitatis. Hinc diſce offerre ſemper Patri æterno Chriſti mortem, in eaque ſperare, ut gratias cœleſtes obtineas.

Tertium. Non reſtrinxit Chriſtus preces ſuas ad ſolos Apoſtolos, ſed cum eſſet immolandus pro omnibus, poſtulationem extendit, dixitq; ſe etiam rogare pro iis, qui credituri erant per verbum eorum in ipſum, ſicque rogavit pro cunctis fidelibus, atque adeo pro te, qui te hac nocte ſibi præſentem habebat. Quantum debeo amori tuo, ô bone Jeſu, qui paulo ante paſſionem tuam rogaſti pro me? fac, ut non obſtem ingratitudine mea gratiis illis, quas pro me pôſtulaſti. Attende ad illud, quod petiit; *D*uo rogavit; ut fideles inter ſe & in *D*eo unum eſſent charitate. O rem optandam! *D*eum amare & mutuò amari! Quæ ſanctior unio, quàm cum *D*eo & poſtmodum cum aliis? Opta, ut hæc poſtulatio ſuum in te conſequatur effectum, eoq; ardentius idipſum efflagita, quòd ſi te diligenter examines, te vix cum Deo, malè autem cum creaturis inordinatè amatis unitum invenies. Stude purgare cor tuum ab omni perverſo amore, ut poſſis ſanctè unitus cum Deo, veræ charitatis vinculo cum aliis copulari. Denique obſerva modum, quem ille in orando tenet. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant charitatem meam, quam dediſti mihi.* Jeſus dicere poterat, volo, quia voluntatem ſuam paternæ voluntati conformarat, & certus erat ſe obtenturum eſſe, quod rogabat. O Domine mi, dic etiam pro me patri tuo, volo ut ſit mecum; & ita fiet. O me felicem, ſi pro me fiat hujuſcemodi poſtulatio in quâ continetur, quicquid optari poteſt, nempe ut ſim cum Jeſu & ejus gloriam & ſublimitatem ipſi à Patre conceſſam in cœlo contempler. Hanc mihi gratiam, ô *D*omine, pro tua pietate largire.

Feria

Feria quinta.

MEDITATIO XVI.

Jeſus è cœnaculo & ex urbe Jeruſalem egreditur.

P*Unctum primum.* Poſt cœnam dixit Jeſus diſcipulis ſuis, ut cognoſcat mundus quia ego amo Patrem, & ſicut mihi præcepit ita operor, ſurgite, eamus. Hinc collige obedientiam & executionem præceptorum in re non quidem facili, ſed difficili, eſſe certiſſimum ſignum noſtri erga Deum amoris. Mundus, ô Domine mi Jeſu, duntaxat noſſe debebat patrem à te amari? & quidem dixeras, *quæ placita ſunt ei facio ſemper*: quomodo igitur jam addis, ut cognoſcat mundus, quia amo Patrem? Nempe mox impleturus erat præceptum, & quidem acerbiſſimum de morte ſubeunda, quam tot cruciatus acerbiorem reddebant. Te ipſe examina, & vide, utrum in te ſit iſtud ſignum tui erga Deum amoris, obedis in rebus facilibus, vel in rebus quantumvis aſperis, ſenſuique ac voluntati atque exiſtimationi propriæ contrariis, aliiſque id genus? quòd ſi non te geris hoc modo, non amas verè Deum, qui amandus eſt ſuper omnia. Deinde conſidera Chriſti alacritatem, ſurgite, eamus. Et quò, Domine, ad hortum, & inde ad calvarium, ad crucem, ad mortem. Non hîc agitur de oblectationibus & deliciis, ſed de ſanguine ſupra patibulum effundendo; tamen quàm promptum ſe exhibet, hortando diſcipulos ad diſcedendum. Quantum tibi debeo, Domine, pro his, quæ operaris; & pro alacritate, quam adhibes in operando! non ita ego me gero in obſequio tuo; quàm ægrè, quaſi per vim, atque ut ita dicam, violentè tractus tibi deſervio? Erubeſce, & animos ſume, ad exemplum Chriſti, non immemor, *quòd hilarem datorem diligat Deus.*

Deus. Ille *D*eum amat,qui ipſi libenter & officioſè deſervit.

Secundum. Cum exire Chriſtus ſoleret ad preces fundendas,hunc morem non intermittit,pedem effert è cœnaculo & civitate Jeruſalem, licet non ignoraret,quid ſibi impenderet. Diſce, te ex aliis negotiis expedire & ſolita pietatis officia ſuo tempore non omittere. In hoc egreſſu expende præſertim duo,locũ ſcilicet,unde exit,& tempus,quo exit.Locus,unde exit, eſt civitas Jeroſolymitana,cujus cives non ſine multo labore docuerat viam ſalutis ; nihilominus quamvis multa illorum cauſa fuiſſet operatus, diſcedit & deſerit civitatem. Hinc collige , quàm fideliter debeas reſpondere gratiis cœleſtibus, nec te in tuto collocatum reputare, ſed ſancto timore configi, quantumvis magna & ſingularia ſint beneficia tibi à *D*eo conceſſa. Tempus, quo Chriſtus egreditur è civitate Jeruſalem,ſi ſpectes Salvatorem , eſt illud , cum gratias huic genti deſtinatas per ſuam prædicationem expleverat ; ſi autem Judæos conſideres ; tunc illi ad ſummum malitiæ & ingratitudinis culmen aſcenderant,tunc impletum erat,quod Redemptor noſter dixerat; Implete menſuram patrum veſtorum Matt.23. Quare poſt hunc diſceſſum civitas illa in miſero & lamentabili ſtatu verſabatur. Mentem reflecte in te, & jam adverte, animam illam deſeri à Deo, quæ eò usque progreſſa eſt. Vide autem,quomodo ſe habeant iſtæ duæ menſuræ in animâ tuâ ; num poſſit tibi dicere. *Quid debui facere,& non feci ?* Iſa. 5. & utrum menſura ingratitudinis tuæ eò pervenerit, ut tibi dicturus ſit, *completa eſt malitia tua.* Et quia illud ignoras,deprime te in conſpectu Jeſu , eumque roga,ne tibi ſubducat gratias ſuas,neve permittat, ut peccata tua eò excreſcant,ut illum adigant à te diſcedere,teque deſerere.

Tertium. Conſidera, quanta in hoc ipſo diſceſſu miſericordia Chriſti eluceat. Completa erat malitia Jeruſalem, ad culmen aſcenderant hujuſce gentis peccata, ita ut digna eſſet civitas, quã omnino deſereret; tamen in hoc egreſſu dans initiũ paſſioni ſuæ & mundi redemptioni, urbem reingredietur cum majore clementia, ut illam ſi uti velit, opportunitate conſervet atq; ab omnibus eximat malis. Attende charitatem Chriſti, qui nos ad culmen impietatis progreſſos adeo non caſtigat ut nova pietate demulceat, & majoribus beneficiis afficiat; imò ad nos redeat oblatis novis ſubſidiis, ſi ea tamen velimus acceptare; viget enim in illo bonitas infinita, & amor erga ſalutem noſtram omnino ſingularis, quamvis ingratitudo noſtra divinam vindictam provocet, & ſupplicium mereatur. Quid ad hæc dicis? Num deberes te ſubjicere Domino tam benigno? quam excuſationem prætexere potes ingratitudini tuæ? quam rationem afferre poteris, quæ te eximat à culpâ, ſi laſſes Chriſtum toties ad te redeuntem, novisq; beneficiis animum tuum cumulantem ut te ab iniquitate ad meliorem vitam reducat? Propone emendationem, offer te ipſum Deo, eumque roga, ne te deſerat, ſed pergat ſuas erga te miſericordias explicare.

Feria ſexta.

MEDITATIO XVII.

Jeſus prædicit diſcipulis ſcandalum, & hortum ingreditur.

P*Unctum primum*. Jeſus ut oſtendat diſcipulis ſuis, ſe eſſe verum Deum, prædicit fore, ut hac ipſa nocte gravi timore corripiantur, & in fugam ſe convertant, ipſo impune à Judæis capto; quod innuit his verbis: *Omnes vos ſcandalũ* patiemini in me in iſta nocte. Attende, quàm varios motus peperit in animis diſcipulo-

rum comprehenſio Chriſti. Debebant illi quidẽ agnoſcere majorem amorem in Chriſto, qui ipſorum cauſa ſe comprehẽdi & vinculis ligari patiebatur, & ſecus omnino contigit. Quoties tibi quoq; accidit? Quæ *D*eus tuã cauſâ facit, ea tu pro tua exigua virtute in malũ cõvertis. Roga *D*ominum, tibi ut adſit deinceps, ne in tuum damnum vertas, quæ ipſe facit aut permittit. Conſidera inſuper id, quod Petrus dixit; Etſi omnes ſcandalizati fuerint, at non ego; quæ cauſa Petrum impulit, ut ita de ſe loqueretur? fervor ſine dubio; ſed ſine debitâ virium ſuarum diffidentiâ. Non ex divino auxilio ſed ex ſenſu, quem tunc experiebatur, in ſe ipſo, vires & actiones ſuas metiebatur. Sed ô errorem! ô fraudem non tolerandam! Nunquam fidas his, quæ tibi videris in te experiri: Sanctus voluntatis ardor facile intepeſcit; time debilitatem, time inconſtantiam tuam, & ſecurior eris. Petrus majorem fidem habuit fervori tuo, quam verbis Chriſti, atque hac in re graviter errans ſe prætulit omnibus diſcipulis; nimium viribus ſuis fidit, propriaque cecidit arrogantia. Petri erat ad verba Chriſti divinam opem implorare, ne laberetur. Diſce quid tu præſtare debeas, tibi diffidere, & ad Deum confugere.

Secundum. *D*ixit Jeſus Petro. Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, hoc eſt ut tentaret, affligeret, & veluti granum exagitaret. Expende hic duo. Primum, quale ſit deſiderium dæmonis, ſcilicet expugnandi diſcipulos Chriſti; & quantò quis eſt melior, tanto ille ardentiore æſtuat deſiderio, ſibi ipſum ſubjiciendi; vides igitur, quàm diligenter cavere tibi debeas ab inſidiis hujuſce inimici. Alterum, quod cõſiderare debes, eſt impotentia demonis, qui niſi facultatem à Deo accipiat, nobis moleſtiam creare nõ poteſt. Hinc mutuari debes animos & magnã in cœleſti ope fiduciã, ſæpiusq; ad Deũ recurrere, ne patiatur te hujus-

hujuſmodi tentationibus concuti, ut his aliquando ſuccumbas. Subjungit Chriſtus: ego autem rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Attende ſingularem felicitatem Petri, qui habebat advocatum & interceſſorem ita gratum Patri, ſibi nihil deneganti: & vero quid non conſequetur ille, pro quo Jeſus preces fundit? recurre ad eundem, hujus preces implora, ne unquam te deficiant fides, ſpes, charitas; quod ſi forte (quæ tua eſſet infelicitas) contra iſtas virtutes peccares, ille te ad ſe reducat: attende inſuper, quod à te repoſcat Chriſtus dum Petro commendat, ut ſuos ipſe fratres confirmet. His innuit *Dominus*, ſibi fore rem gratam ſi coopereris ad ſalutem alienam, primum exemplo, deinde cum res exigit, verbis. Tunc id præſtas? Stude, voluntatem Chriſti executioni mandare, & proximum tuum cœlo lucrari.

Tertium. Pervenit Chriſtus cum undecim diſcipulis ad montem oliveti, ad cujus radices erat hortus, quem ingreſſus eſt ille cum ſuis. Introſpice cogitatione cor Chriſti, & expende amorem, quo exarſit, inferens pedem in hortum illum, ut ibi penderet pœnas admiſſi in primo illo horto criminis, quod omnibus noſtris malis dedit exordium. Gratias repende Jeſu pro hoc beneficio, dumque ille in iſto horto ſanguine ſudabit, & pro tuis peccatis agonem mortis ſuſtinebit, ſtatue inpoſterum minimè pati, ut hæc vita ſicuti hactenus fuit tibi præbeat hortum, in quo delitieris, ſed Chriſtus ſit hortus tuus, ubi ipſius dolorum meditatio te recreet & delectet. Roſæ ſiquidem horti mundani ſpinas producunt, ſpinæ vero alterius horti, qui eſt Chriſtus veræ voluptatis roſas animæ referunt. Ingreſſus in hortum videbatur invitaturus diſcipulos, ut ſibi condolerent, & tamen ait octo diſcipulis, *ſede*

te hic, donec orem. Ergo, ô Domine, tuum eſt pati, illorum ſedere? ita eſt: Paſſio Chriſti nobis quietem comparat; quia dolores Chriſti devotè recogitati veram quietem animæ pariunt. Denique aſſumit tres illos diſcipulos, qui ſuæ gloriæ in monte Thabor ſpectatores fuerant, ut teſtes eſſent, quàm diſſimilem pro hominibus figuram aſſumeret, qui modo tam glorioſus extiterat. Ah, quomodo ego ſemper attendere deberem hæc duo puncta in Chriſto, bonum quod pro me reſpuit, & malum, quod meo bono acceptavit? Fac, ut hi ſint duo poli memoriæ tuæ, ut bona caduca & temporalia generoſè deſpicias, bonis autem æternis & nunquam perituris inſiſtas.

Sabbatho.

MEDITATIO XVIII.

De triſtitia Chriſti in horto.

P*Unctum primum.* Cum JESUS tres diſcipulos ſibi magis dilectos ſecum ab aliis aliquantulum abduxiſſet, cœpit contriſtari (inquit Evangeliſta) mœſtus eſſe, pavere, & tædio affici: quo ille loquendi modo ſignificat, Chriſtum permiſiſſe his animi affectibus, ut ſe invaderent & affligerent; ita ut ultrò & ſponte voluerit ipſe timore ac mœrore turbari. Quare, *D*omine ita te geris! cur ipſe te crucias? Num ſatius erat, generoſum & intrepidum ad mortem properare, quemadmodum multi deinde Martyres fecerunt? decet te, qui es ipſa fortitudo & cœli lætitia, hujuſcemodi timor atque triſtitia. Num ſatis erit tolerari à te tormenta illa, quæ tuorum inimicorum rabies excogitabit, ut te ipſe ſupponere debeas torculari timoris ac triſtitiæ? Hic eſt exceſſus charitatis, quâ flagrat; declarare voluit, ſe teneri deſiderio patiendi pro me majora, his quæ ab inimicis tuis pati poteſt; quare ipſe

voluit affligere ſe in hac parte, in quam creaturæ nihil poſſunt. Gratias tibi ago, Domine, pro hoc affectu, quo vix tibi ſatisfacis, cum es paſſurus pro me. Certe non injuria pudore ſuffundor ego, qui ita facile detrecto aliquid tolerare pro te vel levis afflictio me turbat & debilitat. O utinam tandem à te addiſcerẽ pati? Tu voluntario timore & ſpontaneâ triſtitiâ ſuperas timorem meum, dum ego reſpuo aliquid ferre pro te.

Secundum. Conſidera, cauſam iſtius timoris & triſtitiæ in appetitu ſenſitivo & inferiori Chriſti fuiſſe mortem, non minus infamem, quàm crudelem circumſeptam tot aliis tormentis & doloribus expreſſis diſtinctiſſimè imaginationi, & clariſſimè cognitis. Hęc omnia ſigillatim menti ſubjiciebantur, agebatur de tollenda vita illa, quæ cum eſſet vita Filii Dei, valoris erat infiniti: quare appetitus naturalis quàm maximè abhorrebat à morte, & à tanto malo, quod ipſi imminebat: cohorrebat & mœrore incredibili tubeſcebat; ſicq; iſta triſtitia pervenit ad ſummum, & quemvis alium mœrorem ex bonorum temporalium jacturâ perceptum ſuperabat. Attende, quò devenerit Jeſus, factus in ſe ipſum crudelis. Hæc agebat, quò foret redemptio noſtra copioſior, atq; in noſtris laboribus & anguſtiis conſolationẽ divinam proprio ipſe mœrore nobis promereretur. Parum tibi erat, O mi Jeſu, ſingula tormenta perferre, niſi eodem tempore cuncta ſimul complectereris, eorumq; amaritudinem deguſtares. Et ego tantũ amorem agnoſcere non deberem? quod ſi ego nequeam comes eſſe dolorum tuorum, num erit ſaltem rationi conſentaneum, ut ipſe componam faſcem ex omnibus cruciatibus tuis, quem altè memoriæ infigam meæ, & in medio cordis mei reponam? At in quantam harum rerum oblivionem venio? roga veniam, & reſipiſce.

Tertium. Conſidera, quomodo Jeſus voluit, ut appetitus ſuus ſenſitivus pateretur absque ullo ſolatio, & tamen

men poterat, ſi voluiſſet ex animâ beatâ in partem inferiorem conſolationis fluvium derivare, ſatis erat, ſi cataractã ut ita dicam, ſuſtuliſſet, & repente voluptatũ aquæ naturalem appetitũ inundaſſent; ſed noluit, elegit merè pati, tulit dolores, quantum vires naturæ illis ferendis fuerunt, uſus eſt divinitate ad regendam humanitatẽ, ne ſuccumberet, imò tormenta omnia ſibi altè in mente expreſſerat, quò major eſſet dolor, nec attendere voluit ad ea, quæ ſibi conſolationem afferre poterant. Quis nõ ſtupeat hunc patiendi modum? Vide, quodnam tibi præbuit exemplum non recurrendi ſubito in rebus adverſis ad conſolationes humanas, ſed illis obviã ire, eas generoſo animo tolerare, cum ita fert divina voluntas. Video equidem, Domine, quòd ita gerere me deberem, ſed quantum hoc repugnat ſenſui meo? certe vel minima moleſtia frangit animum meum, nec patienter illam ferre didici; at quod mihi arduum eſt atque difficile, ſi adſit gratia tua, facillimum evadet. Quare ad te recurro, cumq; triſtitia tua mihi gaudium promerueris & conſolationem divinam, rogo, mihi concedas patientiam in adverſis, quæ gratia longè præferenda eſt conſolationi.

Dominica tertia Quadrageſima.

MEDITATIO XIX.

De eodem argumento.

PUnctũ primum. Cum Jeſus cœpiſſet timore ac triſtitia affici, converſus ad tres diſcipulos, aperuit illis internũ dolorem his verbis: *Triſtis eſt anima mea usq; ad mortem: ſuſtinete hîc & vigilate mecũ.* Conſidera, quomodo Jeſus Deus & homo verus, qui utebatur conſuetudine divinitatis, eique ſua arcana communicabat, jam ita dolore opprimitur, ut in partem ſuæ triſtitiæ vocare non dubitet tres miſeros piſcatores, quos ſecum vult vigilare. Quis te, Domine, ad has anguſtias redegit? non agitur amplius de dolore appetitus ſenſitivi, ſed fateris ipſe, te lethali in animâ tuâ dolore affici,

Num beatitudine fruitur anima tua? num Deum clarè videt? mergitur mari dulcedinis? ita eſt? unde igitur accidit, ut animam dolor afficiat? quis tale quid unquam audivit? Jeſus patiendi cupidus ſuam omnipotentiam adhibuit, ut in animâ ſuâ beatâ, & gaudium ex beatitudine, & mœrorem ex morte impendente conceptū conciliaret: ita ut edat miracula in damnum ſuum, ſuam in ſemet virtutem convertat, pati cupit omnibus modis quibus cruciari poteſt. Quid reſpondes, anima mea, quid dicis? ſi patiendo probatur amor, negare potes, quin te ſummo amore dilexerit? illi gratitudinis tuæ officium exhibes? quod teſtimonium? imo ne animo quidem illud dignaris agitare; imo ne vel leve quid pati ſuſtines illius cauſa, vel aliqua voluptate privari; & ſi iſtud nō eſt eſſe ingratum, dic, anima mea, in quo ingrati animi vitium conſiſtet? Erubeſce, gratias illi age, luge quod tā male divino amori reſpōdeas, & ſtude emēdari.

Secundum. Tecum expendes cauſas tam lethalis triſtitiæ. Quære à Domino; quid vides quod tantam tibi triſtitiam pariat? Heu! vidit omnia mortalium omnium peccata, quorum ſingula diſtinctè cum illorum authore cognoſcit; utq; ipſe in ſe ſuſceperat onus ſatisfaciendi, ita ſe ſordido illo tot peccatorū veſtitu coopertum videbat ah quam fœda ſūt & immunda illa peccata, dicebat, apud ſe cœleſtis noſtra muſtela! & nominatim in hiſce tenebris oculo mentis te cernebat, te, inquam, qui turmatim adverſus illum emittebas omnia opera tua, mala verba & cogitationes, quorū unoquoq; ipſum impetebas, quaſi foret ludicra aliqua ſtatua, ad quam ludi cauſa decurritur. Quid moleſtiæ non patiebatur cor Jeſu, & in quas querelas non erumpebat, dicendo *ſcribis contra me amaritudines & conſumere me jus peccatis tuis? Iob.* Et ô quales fuerunt amaritudines iſtæ! & tu nihili facis peccatum; attende quàm grave ſit malum. Anima Chriſti infinitâ dulcedine perfundeba-

debatur, & peccatum tuum cordi ejus injectum totam illam dulcedinem in amaritiem, ut ita dicam, convertit. Stilla dulcedinis paradiſi ſi caderet ad inferos repleret illos dulcedine, & peccatum menti Jeſu repræſentatum amaram efficit dulcedinem ipſam paradiſi. Qui fieri poteſt, ut non obrigeas, dum audis filio Dei tantam à peccato moleſtiam creari, qui fieri poteſt ut illud ex animo non abomineris, nec ſtatuas inpoſterum non contriſtare Deum, licet omnibus fortunis evertendus foret? Humanumne eſt velle inpoſterum diſplicere illi, qui cum tanto rerum ſuarum incommodo agit de modo tibi medendi? Numquid eſt carere judicio, propoſita hinc voluptate ſenſuali, illinc voluntate divina, præferre momentaneam voluptaculam, quæ mortem parit, voluntati divinæ, quæ vitam confert? Beatus ille, qui poterit aſſequi hujuſcemodi veritatem & ex ejus præſcripto tuos mores dirigere.

Tertium. Conſidera, quomodo Jeſus ſummopere diligebat Deum, ejusq; honorem amplificari enixe optabat, ſimulq; intenſè amabat homines, eorumq; malis compatiebatur; quare afficiebatur ſumma triſtitia & incredibili dolore concepto ex omnibus peccatis, tum in genere, tum in particulari, quatenus erant offenſa patris ſui dilectiſſimi, & ruina hominum, quos tenero amore proſequebatur, ut hoc modo honorem Patris offenſi reſarciret, & miſero generi humano remedium afferret. Gratias tibi ago, Domine, pro dolore, quem ex meis peccatis concepiſti, & quidem magnum, utpote qui diſtinctiùs, quàm quilibet alius malitiam peccati cognoſcebas; Cumque majorem, quàm ullus alius, gratiam haberes, ut peccatum illud deteſtareris, æqualem tuæ charitati triſtitiam experiebaris. O ſi ego quoque cuncta lugerem cum acerbiſſimo ſenſu doloris? Sed iſtud mihi deeſt, quia nec novi dignitatem

Dei offenſi, nec gravitatem injuriæ, quam ipſi infero. Præbe mihi ſubſidium gratiæ tuæ, qua doleam peccata mea, & ubi dolor meus non ſufficit, patere offeram dolorem tuum, quo divinæ juſtitiæ ſatisfaciam. Ecquid eſt, mi Jeſu? cur dolore non rumpitur cor meum? cur à me vanam omnem lætitiam non amoveo? quantum dolere deberem dolente te? & quanta ſum dignus commiſeratione, dum oblitus ſcelerum meorum dies meos ridendo conſumo, quos lachrymando tranſigere deberem! largire mihi gratiam iſtam. *Et dimitte me, ut plangam paululum antequam abeam & non revertar.*

Feria ſecunda.

MEDITATIO XX.

De oratione in horto.

P*Unctum primum.* Cum Chriſtus diſcipulis ſuam triſtitiam aperuiſſet, ſe aliquantulum abduxit ab illis, & provolutus in genua cœpit orare cum ſumma reverentia. Vide primò, quomodo noluit levare triſtitiam longo cum diſcipulis ſuis colloquio, ſed ab illis ſejunxit ſeſe, atque ad preces fundendas ſeceſſit, mihi documentum relinquens, quod in anguſtiis, & præſertim in ægritudinibus animi, non debeam ſectari ſolatia apud creaturas, ſed ſtatim recurrere ad *Deum*, à quo lucem & remedium poſſum expectare. Times ſummopere Dæmon hunc recurſum ad *Deum*, & nititur illum impedire, ne anima conſulat *Deum*; quare eò diligentiùs mihi Chriſtus eſt imitandus. Mentem in te reflecte, num in rebus adverſis primum recurras ad Deum an potius ad creaturas, & ſtatue Deo primas partes deferre. Attende inſuper reverentiam, quam adhibet, proſternitur coram *Deo*, genibus & facie advolutus in terram, hocque ſigno exterioris reverentiæ interiorem longè majorem oſtendit. Diſce pulvis & cœnum, quomodo tractare debeas cum *Deo*; non te pudeat,

pudeat, ſubjici Creatori tuo, illumque agnoſcere cum hac reverentia externa, dum Filius Dei ſe proſternit in terram; mentem reflecte in te, utrum ita te geras, & ſtatue ſolvere divinæ majeſtati hoc reverentiæ tributum, quod illi humana vilitas debet.

Secundum. Expende, quam orationem habeat ad Patrem? *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſta, veruntamen non mea voluntas ſed tua fiat.* Oſtendit primo fiduciam in illo, quem patrem nominat. Deinde nomine appetitus ſenſitivi, qui abhorrebat à morte, poſtulat, ut calicem paſſionis non bibat, indicans, nos poſſe Deum rogare, ut liberemur à malo, quod nobis moleſtiam creat, adhibita tamen conditione, & cum indifferentia; quare ſubjungit, *non mea voluntas*, *ſed tua fiat*; ita ut voluntas Chriſti ſuperior, licet proponeret Patri, ut appetitui inferiori complaceret, ne moreretur, tamen illud inefficaciter proponebat: quare petitionem emendat, poſtulando abſolutè & ſine conditione, ut voluntas Patris executioni mandaretur. Attende, in quo ſita ſit omnis ſapientia orationis, nimirum ſi velimus in nobis impleri divinam voluntatem nosque cœleſti beneplacito conformare. Stude iſtud intelligere, & omnino mente complecti. Hic vertitur cardo rei totius, ut in iis omnibus, quæ ad nos ſpectant, Dei voluntas perficiatur. Vide, ut hac in parte animum & conſtantiam exhibeat: Attende inſuper, Chriſtum ter oraſſe, ſed idem repetendo, non ſolum ut nos doceat, quod ſi non exaudiamur ſubito, perſeverare debeamus, ſed prætera nos utiliter orare, ſi eosdem actus repetamus, ita ut ille non oret optimè, qui ſermonem variat ſed qui perſeverat eadem cum animi affectu poſtulare. Nullus igitur excuſationi datur locus, quod orare non poſſis, ſi iſtud ſufficit tibi.

Tertium.

Tertium. Conſidera, quomodo Chriſtus aliquandiu orabat, mox adibat Apoſtolos, tum ad orationem redibat, & paulo poſt ſuos diſcipulos inviſebat. O exercitium ſingulare, & viciſſitudinem admirabilem! Agere aliquantiſper cum Deo, poſtmodum cum proximo, ut melior evadat; mox reverti ad Deum, tum ad proximum. Hæc actionum mutatio Deum delectat. Sicne ipſe te geris? Secedisne identidem, ut accedas ad Deum? an potius ad exteriora te effundis, & ſupervacanea negotiorum tractatione diſtraheris, te ipſe non colligens? Enitere Chriſtum imitari, quia ita ſe gerit, ut tibi exemplum præbeat. Chriſtus diſcipulos ſomno ſepultos increpat, orſus à Petro, eique dicit. *Simon dormis? ſic, non potuiſti una hora vigilare mecum?* Tot promiſſa Petri de non deſerendo magiſtro terminantur ſomno. Quàm levem poteſt habere fiduciam in noſtro fervore! Petrus dormit, qui ſequitur Chriſtum; non dormit Judas, qui vult prodere Chriſtum; ſcilicet illi ſomnum excutiebat deſiderium lucrandi triginta denarios. Quantò plura facimus pro rebus terrenis, quàm pro divino obſequio? Attende, quàm ſæpe poſſit DEUS tibi dicere, tu dormis? cum tamen vigilandum tibi foret, ut tuæ ſaluti proſpiceres; Ah, quàm verum eſt, nos ſtatim defatigari! unius horæ oratio nobis videtur eſſe longa. Præterea expende manſuetudinem, qua Jeſus utitur in reprehendendis diſcipulis; accuſat non voluntatem, ſed impotentiam *non potuiſtis*: Quàm patienter, O bone Jeſu, defectus noſtros toleras? Demum ipſis inculcat, ut vigilent & orent, ne incidant in tentationem. Stude exequi conſilium iſtud, ſi laqueos & lapſus cupis declinare. Invigila tuis affectibus, & oratione ad Deum recurre.

Feria

Feria tertia.

MEDITATIO XXI.

De ſudore ſanguinis.

P*Unctum primum.* Poſtquam Chriſtus bis oraſſet, ſimulque tres diſcipulos inviſiſſet, appetente jam captivitate ſua, permiſit augeri in ſe futuræ paſſionis horrorem, ita ut *factus in agonia prolixius oraret*. Attende, ad quas animi moleſtias redactus ſit Chriſtus. Eam in animo luctationem admiſit, quæ ipſum ad agoniam reduxit. Hinc appetitus ſenſitivus timore correptus, quàm maximè poterat mortem fugiebat; illinc voluntas omnino crucem amplectens obſiſtebat inclinationi naturali, quæ mœrore afficiebatur. Unde timore in partem inferiorem repercuſſo, ita labor internus excrevit, ut Chriſtus tantum non animam egerit. En, quo te redegiſti propter me. Hoc lethali angore luebas meas delicias, & voluptates, quibus indulſi, tam carè redemiſti. Saltem ex animo dolerem! Attende inſuper ad exemplum, quod tibi præbet Jeſus, reſiſtendi conſtanter iis, ad quæ fertur appetitus naturalis & ſenſus, nec divinæ congruit voluntati. Jeſus reſiſtit tam validè, ut in lethalem angorem inciderit; at tu ita remiſsè obſiſtis tibi ipſi, nec ea quæ legi divinæ repugnant, audes ſenſui denegare. Quàm facile cedis? quàm levi negotio vinceris? O ſi agnoſceres debilitatem tuam, eamque lugeres coram Jeſu, qui pro te cum morte luctatur! Roga illum, per illam conſtantiam, qua appetitus inferioris deſideria coërcuit, tibi ſubminiſtret vires, quibus ejus exemplo poſſis inpoſterum animo firmo conſiſtere, nec tentationi ſuccumbere. Attende præterea, quò majores erant animi luctantis anguſtiæ, eò ipſe orabat intenſiùs, & in oratione diutius perſeverabat; ſi Jeſus hæc agebat pro ſe, quid tu, qui tantopere debilis es & infirmus, agere

debes

debes pro te! Agnoſce tui muneris eſſe, tantò ardentiori ſtudio perſeverare, quanto acrius impugnari te ſentis.

Secundum. Conſidera cor Jeſu ad eas luctæ & angoris anguſtias redactum, ut *factus ſit ſudor ejus, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram.* Quid rei eſt, Domine mi? quis tortor ſanguinem ex omnib. corporis tui partibus exprimit? nullæ adhuc ſunt ſpinæ, flagella nulla clavi nulli, nihilominus ſanguine totus mades. Agnoſco carnificem eſſe amorem tuum, qui fortitudine prorſus heroica timori reſiſtendo ſuperat dolorum horrorem, jamque per anticipatam ſolutionem foras ſanguinem emittit. Ego infirmor, & tu ſudas, ut ſudore tuo ſanet infirmitatem meam. Quantum erubeſcere debeo? tam multa tu agis pro me, & ego quid ago pro te? Vide & conſidera ſudorem iſtum, qui è toto corpore in veſtet & è veſtibus in terram ubertim promanabat. Ah, quantum invideo huic terræ quæ maduit ſanguine Filii Dei? O ſi vel una gutta caderet in animam meam, ut per eam lavaretur! Sudas à vertice ad pedes usque, curandi mei cauſâ, & hactenus de me cõqueri potes, te ſudaſſe magno cum labore nec adhuc ex anima mea rubiginem fuiſſe abſterſam. Introſpice cor Jeſu, quanto cum animi affectu ſanguinem iſtum pro tua ſalute offerebat, & manantes ex oculis lachrymas cum venarum cruore miſcebat; quam ardentibus ipſe ſuſpiriis pro te Patrem rogabat. Quantum tibi debeo, quanti tibi conſto, & quàm parùm agnoſco pretium ſalutis meæ! Aperi oculos meos, ut beneficium cognoſcam, tibi gratias agam, tibi ſerviam, non ceſſem à gloria tua promovenda, licet mihi ſudandus eſſet ſanguis, nec mea culpa ſanguis iſte effuſus ſuo fructu careat.

Tertium. Cum Jeſus in hoc rerum ſtatu verſaretur, æternus Pater, qui prima & altera vice oranti opem non tulerat, tandem Angelum delegavit, qui affli-

afflictum ſolaretur. *Apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum.* Expende primò fructum animæ in oratione perſeverantis, tempore tribulationis. Deus demum ſubſidium affert perſeveranti. Animos ſume,ut ita te geras. Conſidera inſuper,quæ Angelus Chriſto,cum ſe illi videndum præbuit,quàm modeſtè, quam reverenter eum eſt allocutus; ipſum rogavit, ut deponeret triſtitiam illam & timorem, quem ſponte admittebat; ſumeret animos, & ultrò obviam iret morti, & opus redemptionis humanæ perficeret, unde tanta in Patrem gloria, in Angelos lætitia & ſalus redundabat in homines, quos Pater æternus hac ratione, non alia, in libertatem vindicare decreverat. Attende, quantâ cum humilitate Jeſus audiat, quod ipſe apprimè tenebat, & accepto ab ſua creatura ſolatio, gratum habet, quicquid ipſi ſuggeritur. *D*iſce ex Chriſto, cum magna animi demiſſione conſilia & admonitiones etiam ab iis, qui tibi ſcientia aliisque rebus ſunt inferiores accipere, nec hujuſcemodi officia recuſare. *D*enique conſidera, Jeſum, poſteaquam egiſſet gratias Patri æterno pro ſolatio, quo recreatus fuerat, triſtitiam & timorem temperaviſſe, animique robur reſumpſiſſe, quò alacriter & generosè præparatis ſibi tormentis occurreret. Tu pariter rogabis JESUM, ut tibi impertiat vires, quibus cum ſe dabit occaſio, generosè patiaris, quicquid pro divini nominis gloria tolerandum occurret.

Feria quarta.

MEDITATIO XXII.

Chriſtus obviam it hoſtibus ſuis.

PUnctum primum. Cum Chriſtus ter oraſſet, & diſcipulis ſuis aliquantulum quietis indulſiſſet, eos è ſomno excitat his verbis. Surgite eamus,

ecce

ecce appropinquat hora & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Et quo, Domine, hortaris diſcipulos, ut ſe conferant? vis forſan dare te fugæ: abſcondi & in locum tutiorem te recipere? Adverte amorem, quo erga te fertur; occurrit inimicis, & majori ardet deſiderio patiendi pro te, & ſaluti tuæ conſulendi, quàm Judæi ardeant ſtudio eum tradendi in vincula & occidendi. O utinam accenderetur in te ardens deſiderium ſerviendi Domino tam benigno! Attende inſuper tempus, cum dixit, *eamus*; quippe eſt illud ipſum momentum quo tradebatur: illa ipſa hora, quam pater decreverat, Chriſtus acceptaverat, ardenter optaverat ipſe dum viveret, ſuiſque cruciatibus & tuæ ſaluti deſtinaverat; illa ipſa hora eſt, qua difficillimum opus humanæ redemptionis exequebatur; ita ut fuga ſibi non conſulat Jeſus, ſed alacriter & animosè omnibus periculis vitam objiciat? attende exemplum, quod tibi præbet, non abjiciendi animum, cum res exigit, ut opereris. Apud te perpende, quantum ab ejus imitatione degeneres. Multa bona forte proponis; ſed cum res poſtulat manum, tu aliò perſæpe vultum avertis quoties ſtatuiſti domare hanc animi cupiditatem, tibi hac in re imperare, de te victoriam reportare? & res differtur, cum eſt executioni mandanda. Si tenes hunc agendi modum, non advertis, te nihil unquam profecturum. Neſcis, dæmonem parum laborare, utrũ proponas animo, modo impedias, ne propoſitum exequaris? ſume animos exemplo Chriſti, & dic, eamus, faciamus, *venit hora.* Denique adverte, te jure multoties poſſe dicere, maximè cum ad ſacram Synaxim accedis. *Ecce appropinquat hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.*

Secundum punctum. Dum Chriſtus alloqueretur diſcipulos, ingreditur Judas militibus armatis ſtipatus,

ut illum trahat in carcerem. Expende facti atrocitatem, quam Evangeliſta non præterit: *Ecce Judas unus de duodecim.* Quò rerum devenit infœlix ille ſceleratus? quo miſerum avaritia deduxit, ut è milite comparandis Deo animabus deſtinato, non ſolum furem, ſed gentis etiam ſceleratiſſimæ ductorem efficeret? Quàm craſſis tenebris eſt obcæcatus? Nihil illum movet; non ille locus, quem toties adivit cum Chriſto; nõ præſentia domini ſui; arbitratur, poſſe ſe manus injicere Chriſto, qui erat Deus, eumq; militum poteſtati tradere. Avertat Deus ne pravæ animi cupiditates tibi unquã dominentur. Homo ruit ad exitium, & ignorat. Roga Dominũ, ne permittat aliquando, *ut poſt concupiſcentias tuas eas.* Eccl. 18. ſecundo, adverte malitiã Judæ, præibat aliquot paſſibus. Traditor *antecedebat eos.* Quaſi Chriſto ſignificare vellet, ſibi nihil eſſe cum armatis militibus, putabat ſe poſſe hoc modo tegere ſcelus proditionis ſuæ, ſed Deus, cui omnia patent, decipi nequit, ita ſe gerit peccator, quis te (inquit) videt? Eccleſ. 13. Cave, ne ex eorum numero ſis, time hunc oculũ, cui ſecretiores cogitationes & intimi cordis affectus deteguntur.

Tertium. Dederat traditor ſignum, quem oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete, & ducite eum cautè. Attende, quantam Judas diligentian adhibeat, ne ſibi pereant triginta denarii jam promiſſi, Chriſtoque in cuſtodiam tradito perſolvendi. Eapropter dat militibus ſignum, quo dignoſcant, in quem manus injiciant, eoſque monet, ut comprehenſum cautè teneant, ne elabatur. Quàm ſolers eſt malitia & quot modos lucri faciendi ſuggerit nobis utilitas propria? non ita attendimus, ut amplectamur bonum, nec tantam diligentiam adhibemus, ut illud exequamur. Talis forſan tu fuiſti; talis forte tu es. Nihil prætermittis, quo ſatisfacias cupiditatibus tuis; apprime noſti captare tempus & urgere occaſio-

caſionem aſſequendi , quod optas ; non ita te geris, cum agitur de obſequio divino. Demum expende has voces Judæ monentis, *tenete eum & ducite cautè*; ut conſilium ſequamur non eo fine, quem ſpectat Judas, ſed bono. Cujus benevolentiam tibi conciliare debes niſi Chriſti? huic hæreas firmiter, hunc ſtricte teneas oportet, & cum omni diligentia cuſtodias, ne forte elabatur. Vide, ſi hactenus ita te geſſeris, & ſtude inpoſterum id præſtare.

Feria quinta.

MEDITATIO XXIII.

De oſculo Judæ.

P*Unctum primum.* Judas, qui præibat militibus, congruenter ad ſignum quod dederat, accedit ad Chriſtum, ruit ad ejus amplexus, & appreſſo ore infami puriſſimis Jeſu labris illum oſculatus ait, *Ave Rabbi.* Bene tibi ſit, magiſter. Conſidera, os ferreum & intolerandam Judæ impudentiam; ſalutat Jeſum, & prodit, magiſtrum vocat, & ſe diſcipulum abjurat; oſculatur, ut amicus & odit, ut hoſtis: ſi exteriorem agendi modum conſideras, inſons videtur, & Jeſum graviter offendit: hujuſcemodi ſunt offenſæ noſtræ. Non apparet malum, quod expleta cupiditas vel percepta voluptacula continet, & tamen eſt Chriſti proditio. Latet intus venenum, & amicitiæ ſigna foris apparent. Quoties Judã es imitatus, reverenter ad Jeſum acceſſiſti & latenter Jeſum prodidiſti? Præterea conſidera dolorem Chriſti. Quantum indoluit, quòd ficto amoris ſigno proderetur, attamen non avertit vultum, non recuſat oſculum, non à ſe abigit proditorem, cur illum admittis Domine? cur tantam impietatem diſſimulas? Ex deſiderio patiendi, quo æſtuat Chriſtus, libenter admittit oſculum proditoris, paratus ferre longè majora. Gratias repende Chriſto pro ſtudio iſto & benevolentia ſingulari. Nobis inſuper eſt documẽto, quomodo nos gerere debeamus

mus erga eos, qui nobis aliquid mali machinantur, illos ſcil. amando, & dolendo ipſorum potius vicem, quàm noſtram. Hunc modũ agendi tenebat Jeſus, plus doloris capiebat ex ſcelere Judæ, quàm ex ſui proditione. O me beatũ, ſi ſcintilla iſtius charitatis arderet in anima mea! Attende, ô bone Jeſu, cor meum, ut inſiſtâ veſtigiis tuis.

Secundum. Expende verba, quibus Judam Chriſtus compellavit: Amice, ad quid veniſti? Quid, Domine? poſtquã illũ tamdiu in comitatu tuo tolerasti, ejus furta ſilentio preſſiſti, etiam ipſe adeſt, ut te inimicis tradat, amicũ vocas? quod ſi ad te adiret animo benevolo, quã majore benignitate & amoris ſignificatione poſſes venientẽ excipere? Adverte incredibilem Chriſti facultatẽ non excipit proditorem verbis aſperis vultuq; cõmoto, ſed cum animo conciliandi illum ſibi, ſi modo in amicitiam redire voluiſſet. Et unde orta eſt tanta in Chriſto ſuavitas & manſuetudo in diſcipulum proditorem? Non habebat rationem impietatis & malitiæ Judæ, ſed gratiarum, quibus illum cumulaverat, ſed bonitatis ſuæ, ſed amoris, quo fuerat illum proſecutus. Attende exemplũ, quod tibi præbet, & qua ratione te gerere debeas erga illum, qui te offendit. Jeſum imitare, cum ſe dat occaſio; & tamen amaritudinem foves in corde eamque promis exterius. Perpende inſuper quantam collocare debes in Jeſu bonitate fiduciam, ſi tam benignè excipit ad ſe venientem, ut vitæ moliatur inſidias, quanta cum amoris ſignificatione ſui ſtudioſos complectetur? Præterea tecum reputa, quoties tecum amicè agentem prodidiſti cum Juda? Tu illum offendebas, & ipſe tibi ſanitatem, facultates, honores conferebat; imò & ſuam amicitiã offerebat. Agnoſce hanc miſericordiã, & ſtude in poſterũ grati animi teſtimoniũ erga tantũ benefactor. exhibere.

Tertium. Agnitâ Jeſus verſutiâ Judæ, non tantum ab eo petiit, quorſum veniſſet, ſed diſertè voluit illi declarare, ſe nõ ignorare cõſiliũ ipſius; quare ſubjunxit. *Juda oſculo filiũ hominis tradis?* Attende hic bonitatẽ Chriſti,

qui volebat Judam revocare à delicto, cujus gravitatem ipſius oculis exponebat. Judas quid ſpectabat? quò animum intendebat? lucrum temporale, pretium venditionis, denarios triginta; his attendebat. Quid agit Chriſtus? mentem illius aliò avocat, eiq; proponit proditionẽ ſpecie pacis involutam. Quis poſſet capere quæ Jeſus ad cor Judæ ſuggeſſit? Hac ultima vice te alloquor; attende quid eras, & quid es? modo diſcipulus meus, nunc proditor, non quidem apertus, ſed occultus; perpende quid agas? non utilitatem lucri, quo duceris, ſed enormitatem delicte, quod admittis. O Domine, ita eſt: quoties te offendi, toties Judam ſum imitatus. Et hæc extitit etiam cauſa exitii mei. Conſideravi peccatum, non ut rem malam, ſed ut quæſtuoſam, ſed ut utilem, ſed ut gratam ſenſui & faventẽ amori proprio. Ah quoties te ita mecum geſſiſti, & benignè mihi ſub oculis expoſuiſti peccatum meum, tacitè ſuggerendo, quid agis? quid cogitas? tu me tradis? cumque errantẽ caſtigare potuiſſes ſeverè, me admonuiſti benignè. Non eſt, quo ego ſuſpiciam hujuſcemodi clementiam, qua uſus es erga Judam, cum toties eam in me ſim expertus. *D*enique attendam ad duritiem Judæ, qui dato ſigno ſe ad milites contulit; non audivit Chriſtum, ſed animum obfirmavit in peccato, & Chriſtus eum abjecit, neque amplius ipſum eſt allocutus. *D*iſce admonentem Chriſtum audire, tibique perſuadere, non ſemper *D*eum loqui & vocare, ſed tandem eſſe ultimam admonitionem, quam pœna conſequitur, ut in Judâ contigit, quare dic Deo, *Fac me* audire vocem tuam.

Feria ſexta.

MEDITATIO XXIV.

Jeſus ſe manifeſtat militibus, eosque in terram dejicit.

Pun-

PUnctum primum. Conſidera, quomodo Judas jam oſculo Chriſtum detexerat militibus, ut comprehenderetur; at ipſi non ſe movent. Quid agitis, milites; cur non propere compréhenditis & ligatis Chriſtum? quid rei eſt? quid obeſt? ſtat ille ſolus, inermis cum undecim diſcipulis. Cur Phariſæi conſilium veſtrum non exequimini? Adverto, vos id non poſſe, quia comprehendi adhuc non vult, neque unquam id poteritis, ſi ipſe nolit. Ita homines proponunt, & Deus diſponit: quantumvis capitali odio & ſæva rabie agantur hoſtes, ne vel unum quidem capitis noſtri pilum auferre poſſunt, niſi Deus, è cujus nutu cuncta dependent, facultatem illis permiſerit: Cur igitur tantopere res creatas & vix Creatorem timemus, ſi creaturæ ſine divino permiſſu nocere nequeunt nobis? cur tam parum formidamus Deum, ſi ipſe poteſt *& corpus & animam* perdere in gehennam? Matt. 10. Ergo quibus poteris officiis ſtudeas benevolentiam divinam demereri, neque unquam illi creaturam ullam anteponas, quia *non eſt poteſtas, nec conſilium contra Dominum.* Sed quid facies, ô Domine? milites non audent ad te accedere. Ah, quam citò amor quo æſtuat ipſum impellet, ut operetur, quod rabies inimicorum non poteſt? Hac de cauſâ Dominus, cum probe noſſet, quod futurum erat (inquit Evangeliſta) progreditur eis obviam. Attende, quid agat tuâ cauſâ, non ita pridem calicem deprecabatur, & jam ultrò ſe offert, ut illum ebibat. Roga Deum, ut tibi ſubminiſtret vires, quibus ipſius cauſa difficultates, quæ occurrunt, magno animi robore ſuperes.

Secundum. Expende, qua ratione Chriſtus ſe gerat cum militibus. Primo, interrogat illos, quid quærant? reſpondent milites, ſe quærere Jeſum Nazarenum. Cur, ô Domine, hoc petis? Non ignoras, quo conſi-

 lio

lio venerint, nempe ut te in carcerem conjiciant. Vult Chriſtus, hac interrogatione militibus in memoriam revocare, quid agant, attendantque ad ſcelus, quod admittunt injiciendo manus in eum, qui ipſos tot beneficiis affecerat. Peccata omnia naſcuntur ex defectu conſiderationis in peccante; quod ſi tu ipſe mentem in te reflectas, pro certo advertes culpas omnes quas contraxiſti & quoties contrahis, non ex alio fonte emanare, quàm ex defectu conſiderationis, quare ſæpius attende ad id, quod agis, ut declines à malo, & in particulari vide, ſi quæris Jeſum, non ut iſti milites, ſed qua par eſt reverentia nimirum ut ei comitatum præbeas & obſequium. O te felicem, ſi tua conſcientia interrogata, quò ſpectent actiones tuæ, quò tua conſilia dirigas, tibi poſſet reſpondere, Jeſum à te verè quæri, ut ſervias illi, non cupiditatibus tuis, quæ Jeſum detrudunt in carcerem! ſubjunxit Jeſus: Ego ſum, & hac voce, qua ſe manifeſtavit, totam hanc militũ catervã dejecit in terram: ubi eſt militũ furor? ubi rabies? ubi robur? una voce eos poſternit, & viribus privat ac motu; & tamen non eſt ea vox, quæ minetur, quæ fulminet, & nihilominus in terram disjicit, quantum, proh dolor! timorem injiciet, quando plenus majeſtate & potentia prodibit? Hoc merebantur milites iſti, qui Chriſtum hoſtili animo quærebant; quære tu illum reverenter, animoque contrito, ſicque non vindictam ſed miſericordiam experieris.

Tertium. Conſidera, quod data militibus facultate ſurgendi, rurſus eos interrogat, quid quærerent? Jeſum Nazarenum, ſubjunxerunt. Poſt tam repentinum & ſtupendum caſum obfirmarunt animum in ſuo pravo propoſito, non ſe collegerunt, non agnoverunt errorem, non depoſuerunt arma, non abjecerunt ſe ad pedes Chriſti, ſed majorem acti in rabiem à priore ſententia non receſſerunt. Quanta, Deus bone, eſt

cæci-

cæcitas peccatoris, quem ne miracula quidem ad meliorem vitam reducunt? Unde orta eſt in iſtis tanta perfidia? Ad veram cauſam non retulerunt caſum, nempe ad virtutem & potentiam Chriſti, ſed vel non adverterunt, ſed fortunæ tribuerunt. Quanti noſtra intereſt, eo quo par eſt animo res acceptare? Quare non emendamur caſibus adverſis? quia eos non agnoſcimus, ut pœnas à Deo pro peccatis noſtris inflictas, ſed potius ut effectus à quavis alia cauſa profectos. Roga Dominum, ne te hac in parte errare permittat. Subjunxit Chriſtus; *ſi me quæritis*, ſinite abire diſcipulos meos liberos. Adverte charitatem Chriſti, qui ſollicitus eſt, ut ſuos in tuto collocet; bonus paſtor, gregis ſui cuſtos. Roga & confide, fore ut ut ille ſuſcipiat tuæ etiam ſalutis curam. Præterea attende, quàm accuratè milites Chriſti imperio paruerunt, qui ne uni quidem ex undecim diſcipulis manus injecerunt, & licet Petrus educto gladio amputaſſet auriculam Malchi, nemo unus auſus eſt eos offendere. Quam ſecurus eſt ille, quem protegis! Prævidebas, ô Domine, fore ut diſcipuli tui, ſi in manus militum devenirent, non corporis tantum, ſed animæ etiam jacturam paterentur, & nimio timore correpti, quæ animi debilitate in peccatum delaberentur; & tu qui eos amabas, à periculis ſubſtractos mirabili providentia conſervaſti. Roga Dominum, ut pro ſua pietate hanc in te miſericordiam exerceat, & à te procul removeat occaſionem omnem, in qua divinæ gratiæ & ſalutis tuæ jacturam faceres.

Sabbatho.

MEDITATIO XXV.

Petrus Chriſtum defendit, & ab ipſo Chriſto reprehenditur.

Punctum primum. Conſidera, quid egerint milites, & quid Petrus? Tunc acceſſerunt milites, ut in Chriſtum manus injicerent, & Petrus Dominum defendendi zelo accenſus gladium eduxit, ac brachio in Malchum audaciùs irruentem elevato, ipſi auriculam amputavit. Attende ad præfervidum zelum & ſingularem in Jeſum amorem, quo Petrus temerariè fuit abreptus, ut propria authoritate & ſine Chriſti imperio aggrederetur factum, per quod manifeſto periculo ſe objiciebat, & Domini ſui cauſam apud adverſarios deteriorem reddebat. Hinc collige, utrum tu adverſus peccatores divini honoris tuendi zelo feraris, & quidem utrum prudenter, ſi tempore & loco, cum debitâ charitate & manſuetudine, non irâ & vindictæ appetitu abreptus defenſionem ſuſcipiat? ſume animos, quibus hoc modo cauſam Chriſti tuearis, non exaſperando proximum tuum, eique præbendo occaſionem pejora tentandi. Præterea attende, ſi tu ipſe erga bonum tuum pari zelo feraris? Collige te, & diligenti attentione perpende, ſi quid ſit in corde tuo, in verbis & actionibus tuis, in officio tibi impoſito, quod minus placeat Deo, vel ejus majeſtatem offendat? quod ſi quid ſimile reperias, accendere zelo Petri adverſus defectus tuos, armis eos inſequere, & ſublatis procul omnibus iis, quæ poſſent Chriſto moleſtiam afferre, ejus honorem generoſè defende.

Punctum ſecundum. Expende, quomodo Chriſtus improbat intempeſtivam hanc à Petro ſuſceptam defenſionem, eumque increpat his verbis: *calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* pœnas nimirum & cruciatus, quos mihi pater in hæreditatem reliquit, cuperes impedire? ita ut carcerem reliquaque ſuæ paſſionis ſupplicia conſideret Chriſtus, non ut à Judæis excogitata, à perfido Juda executioni mandata, ſed à divina providentia conſtituta; non quocunque

modo,

modo,ſed paterno,hoc eſt,amoris pleniſſimo. Noverat ſiquidem Jeſus, nihil in hoc mundo ſine divinæ providentiæ diſpoſitione contingere, & militum manus,dum proprio incumbunt ſceleri (ut ait Sanctus Leo) famulari redemptori. Conquieſcit in ſola voluntate paterna,hanc probat,hanc ſpectat, hanc libenter acceptat. Hinc diſce,quo clypeo utaris contra tribulationes,calamitates & caſus adverſos, ea acceptando,ut calicem,quem tibi porrigit non hominis manus,ſed Dei,qui tibi eſt Pater nomine & re, ut eum bibas in exercitium virtutis & peccatorum ſatisfactionem. Aſſueſce igitur dicere aſſiduè,calicem,quem dedit mihi Pater,non bibam illum? O ſi ita te geſſiſſes! profecto non ita te impatientem exhibuiſſes,non ita animum alienaſſes,neque in tot defectus incidiſſes; fuiſſes contentus,ut Jeſus,qui ducit honori, quòd patiatur dolores. Præterea attende,quàm pauca patiaris, ſi cum acerbisſimis Chriſti doloribus auferas tuos; & tamen Jeſus æquisſimo animo fert omnia,dum tu ſemper expoſtulas; quia nempe tu ſpectas potius ad manum,quæ tibi calicem porrigit,quàm providentiam divinam, quæ ſic ſtatuit. Roga Jeſum, tibi ut gratiam concedat,qua ipſum imiteris, cunctaque à Deo,tanquam à provido & benigno Patre profecta gratus accipias.

Tertium punctum. Conſidera,quid dixerit Petro? Neſcis,me non egere defenſione tua! rogare poſſum Patrem,qui mihi ſtatim in ſubſidium mittet plusquam duodecim legiones Angelorum: quomodo adimplebuntur Scripturæ? Non egebat Jeſus auxilio Angelorũ, cum eſſet *D*eus,ſed iſto loqendi modo præſentium auditorum captui ſeſe accommodat,docetq; debere nos in periculis noſtris ſanctorum Angelorum,maxime cuſtodum , opem implorare; cum illorum potentiæ, amor noſtri & de noſtra ſalute ſollicitudo reſpondeat.

Attende, num ita te geras, cum occaſio ſe offert? num recurras ad eorum auxilium? num eorum precibus te commẽdes? & enitere, ut deinceps huic officio nõ deſis. *D*eniq; conſidera, quomodo Chriſtus abſciſſã auriculam Malcho reſtituit. Attende exemplũ patientiæ juxta ac clementiæ in reſtituenda ſanitate illi, qui majore cũ audacia progreſſus erat, ut in ſacratiſſimum ejus corpus ſceleratas manus injiceret: in eoq; luculentius apparet Chriſti clementia, ſi illi non auriculæ tantum, ſed ſimul etiam animæ ſanitatem reſtituiſſet. Diſce ex Jeſu, non malum pro malo, ſed pro malo bonum alteri reddere. O ſi ſciros, ſanare aures tuas ſpirituales, ne ſurdus impoſterũ eſſes ad ejus inſpirationes! Roga, ut hoc in te efficiat, pro ſua pietate. In hoc facto oſtẽdit etiã obſervantiã miniſtris publicis debitam: quamvis autem in hac occaſione injuſti fuerint executores, noluit tamen de ſe poſſe dici, quòd eos malè tractaverit. *D*iſce, ſemper agere modeſtè, & venerari eos, qui locũ Principis tenent.

Dominica quarta Quadrageſimæ.

MEDITATIO XXVI.

De captura Chriſti.

P*Unctum primum.* Dominus illis, qui ad capiendum venerant, dixit: Vos exiſtis contra me cum gladiis, & fuſtibus, tanquam contra latronem: cur, cùm toto die vobiſcum verſarer im templo docens, non mihi manus injeciſtis! verùm hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. In his dictis conſidera primùm manſuetudinem Chriſti. Veniebant ad eum capiendum tanta cũ offenſione: non illos objurgat: non invehitur verbis acerbis, ut merebantur: oſtendit, ibi non armis agendum eſſe, nec violentiâ, quanquam eũ ut latronem tractabant. Quorſum res Chriſti pervenerunt, ut latro cenſeretur? Non rapuiſti aliquid unquam: non abſtu-

liſti

ſiſti gloriam tuo Patri, ſed eam amplificaſti: homini donaſti tuum, non furatus es ſuum: dæmoni eripuiſti animas, quas injuſtè poſſidebat. Tu, dulciſſime cordium prædo, aufer, ajo, meum, cum ſuis potentiis cunctis. Secundò, exprobrat iisdem ingratitudinem, quâ adeò male compenſant doctrinam cœleſtem, quam ſedens in templo tradiderat. Ecce, ut homines abutantur gratiis divinis, ut reddant malum pro bono. Vide, quomodo coram Jeſu te geras. Quotidie loquitur cordi tuo, & te inſtruit: quid agis, quomodo reſpondes? ſaltem erubeſcere ſcires coram *D*omino, & veniam ad ejus pedes poſcere, de beneficiis à te adeò male compenſatis. Tandem dicit illis: hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum: cum quibus verbis voluntate ſe manibus illorum obtulit, ut ſuam rabiē & furorem in illam ſanctā humanitatem effunderent. O mi *D*omine, ſi ego caperem, quo-usq; demittas te pro me! usq; in manus dæmonū. Tali pœna & abjectione ſolvere debebas pro me, toties peccatis dęmonis juri mancipato. Fac pro tua pietate, ut metuis poſthac manibus tradā, nec unquam illis eripiar. Ad extremum dicit ſceleratis illis: hæc eſt hora veſtra: ut intelligant, non ſemper poteſtatem habituros Chriſtum tractandi pro ſua libidine. Permittitur aliquò usque: at poſtea ſuccedit tempus, quod eſt Dei, quo juſta exigetur pœna. Et ob hanc time.

Secundum. Accepta poteſtate à Chriſto, ſceleroſi illi in eum irruerunt, & vinxerunt. In hoc puncto expende quod faciunt ſanctisſimæ humanitati: indignitatem, quâ eam tractant, & modum, quo ſe Chriſtus gerit. Arripiunt, alapis percutiunt, & pugnis, proſternunt in terram, proculcant, ligant brachiis, corpore, manibus, funem collo injiciunt, violenter rapiunt. Quilibet partem ſibi capit inferendæ injuriæ, ad ſatiandam ſuam rabiem. Quid Chriſtus? Non contradicit, non ſe defendit, non lo-

loquitur,non utitur ſuâ potentiâ. Coercet Angelos, omnesque creaturas, ne vindictam injuriæ tantæ, Creatori illatæ, tam vili de turba ſumant. Ante alia cor Domini ingredere: humilitatem, & manſuetudinem expende. Vide,ut amor tuæ ſalutis illud in hunc ſtatum adduxerit,& conſtanter retineat. Audi lectionem,quam te mediis in contemptionibus, & vexationibus docet. Quàm procul abeſt cor tuum ab hujusmodi ſenſis,& ab injuriarum, & dolorum tolerantia. Sic tua peccata expia: ſic ligatus exſolve, & libera te illis. Tanto dolore correptus eſt Heli Sacerdos, nuncio de Arca à Phyliſtæis capta accepto,ut corruerit in terram,& exſpirarit. Et tu,quem dolorem ſentis videndo Arcam illam Humanitatis captam, & indignis modis habitam, tuâ causâ? Expende tecum,quoties eum afflixeris,& conculcaveris tuis affectibus quaſi lutum terræ: quoties ei manus ligaveris tua ingratitudine: agnoſce,irreverenter habitum à te: roga veniam: & ad illius pedes abjectus age gratias de illis,quæ tunc amorè tui perpeſſus eſt,& deteſtare, quæ contra ipſum perpetraſti.

Punctum tertium. Omnes Diſcipuli Jeſum captum deſeruerunt, & fugâ ſalutem quæſierunt. Conſidera diverſa à verbis illorum opera: quæ enim non dixerunt,quæ non ſunt proteſtati,Petro initium faciente? nunquam ſe offenſionem accepturos: in mortem usque ſecuturos. Quid actum? Omnes,excluſo nullo, eum,oblato periculo,reliquerunt. Comitati ſunt ad cœnam,captum,& ad crucem rapiendum deſtituerunt. Diſce, non collocare ſpem tuam in promiſſis hominum, quantumvis ſincerè loquantur: in caſu ut plurimum fallunt,maximè cum quid periculi accedit.Deinde diſce,nec tibi ipſi fidere, nec tuæ fiduciæ, nec tuæ devotioni,nec tuæ ſententiæ. Quæ non ſtatuiſti,quoties Domino obtuliſti victoriam tui, contemptu huma-

manorum reſpectuum, conſtantiam in adverſis? & quàm pauca es exſequutus, cum res exigebat. Alius eras in factis, quàm juraſſes debere eſſe. Quare dum plenus es piorum affectuũ deprime te, nihil tibi arroga, nulli te antepone, time tuam fragilitatem, interdum ſub bono affectu latentem. Ad hæc diſcipuli digni videntur miſeratione: vident Chriſtum captum, magnam armatorum manum, ſuam paucitatem inermem, ignari ſecuritatis: iccirco periculo conſpecto fugiunt. At ego quoties fugio, cùm abeſt periculum, nullam rationem ducens veri periculi, quod incurritur relinquendo Deum? Itaque da mihi, Domine, lumen: *ne permittas me ſeparari à te*, vera vita, verum bonum, vera lux: robora meam debilitatem, ne de me mihi unquam præfidam.

Feria ſecunda.

MEDITATIO XXVII.

Chriſtus primùm Annæ, poſtea Caiphæ præſentatur.

P*Unctum primum.* Milites Chriſtum captum, ligatumque adduxerunt primùm ad Annam, ſive, quia domus Annæ prior occurrebat ad Caipham tendentibus; ſive ad honorandum Annam, ut ſeniorem, & ſocerum Caiphæ Pontificis annis illius, ad quem pertinebat videre Chriſtum captum. Conſidera hîc primò injuriam grandem, probrumque Chriſti ad tribunalia rapti, & judicio humano ſubjecti. Et perſona Chriſti ſanctiſſima, graviſſima, Judex ſupremus, qui tantis argumentis ſuam potentiam oſtenderat, ac magnitudinem, inter illos homines, & qui ex illis, quæ palàm erant, dignus erat omni honore ac veneratione, deducta ſit in medio lictorum, ligata ut reus ac nocens, ad quæſtionem & judicium? numquid grande dedecus eſſet viro magnæ in urbe auctoritatis, ſi publicè duce-

duceretur ab apparitoribus in carcerem? O quanta fuit ignominia Chriſti, tam benè meriti, tantæque exiſtimationis, adductum eſſe ad tribunalia, & Judices, etſi fuiſſent Judices amici; quanto major eſt, adductum eſſe ad Judices iniquos, qui cauſam non acturi eſſent ex juſtitia, ſed ex odio, interficiendi animo? Nonne graviſſima Chriſti afflictatio debere indicari à peccatoribus, & vilibus creaturis? & non ſimul fuit admirabilis exceſſus amoris? Quantum, ô Domine condolere tibi debeo, quia te Judicibus tam iniquis ſubjeciſti! Quàm, ad imitationem tui, ferendum eſt mihi perverſum hominum judicium? quàm mihi gaudendum eſt, quia qui *judicat me, Dominus eſt*, 1. Cor. 4. cujus judicium eſt juſtum! quàm tibi ſupplicandum, ut mihi ſis Judex miſericors, illo cum amore, quo cum te hominibus perverſis ſubjeciſti!

Secundum. Conſidera, quomodo Chriſtum hac prima via milites tractaverint: & quæ ſit ille paſſus. Conſidera conditionem gentis illius inſolentis, vehementer irritatæ caſu illo in terram, nomine licentiam effuſam moderante, & ab inſultatione Chriſti prohibente: imò incitatæ à Sacerdotibus præſentibus, & multò acriùs à dęmonibus. Quanta ſcurrilitate, quantis verberibus, quantis injuriis onerabant, ad feſtinandũ impellentes, prolapſum raptantes, offendentem greſſu verberantes. Quas in urbis ingreſſu voces tollebant, quos gaudii clamores de capta præda, jactantes ſucceſſum expeditionis, aliis temporibus fruſtra tentata. Vide, quomodo Chriſtum tractent: vide, quid jactent: id nempe, quod potius eſſet lugendum. Sic faciunt peccatores: *exultant in rebus peſſimis*, Prov. 2. Vide, an paria feceris: an de malo ſis gloriatus? Verùm, quid Chriſtus? tacet, non reſiſtit, non dolet, tolerat vultu ſereno, modeſto, tranquillo, voluntate prompta, corde amabili, offerendo omnem ictum, omnem injuriam,

omnem

omnem vexationem pro tuis peccatis; catenam illam, ad ſolvendos laqueos tuos; carcerem illum, ad liberandam animam tuam; illam viam acerbam, & ſudore ſanguinis debilitatas vires, ad expiandos paſſus tuos in vitia, & contra legem *D*ei promotos. O mi Jeſu, quantũ tibi debeo! magis ligatus es amore tuo, quàm funibus Judaicis; magis captivus tuæ charitatis, quàm hoſtium tuorum; magis ductus obedientiâ paternâ, quàm Hebræorum malitiâ. Quando unquam ſatisfacere potero paſſibus, cum tanto incomodo, cruciatu, dedecore pro me factis? Non ambulem inpoſterum per viam virtutis? etiam cum doloribus? non acceptem libenter, quod ferre me oportet, & à tua manu, & amore tuî, ſicuti generosè tu acceptas, quod, obſequendo Patris voluntati, tibi eſt ferendum? Largire, mi Domine, animum ad illud inpoſterum faciendum: & corrige malos meos greſſus, quibus longè diſceſſi à te.

Tertium. Conſidera verecundiam ac pudorem, quo captus fuerit Chriſtus, in Annæ conſpectum adductus, plauſum circumſtantium, gratulationẽ militũ, facti approbationem. Hæc omnia pro te Jeſus tolerat: quid tibi tolerandum pro Jeſu? nonne omnem confuſionẽ complecteris ab impiis propter obſervationem divinæ legis illatã. Statue id agere Conſidera præterea eſſe credibile inter eos, qui Chriſtum ſiſtebant Annæ, fuiſſe etiã Judã; cui in Annæ domo publicè pretiũ, quod convenerat, eſt numeratum: quod, ne perderet cum iisdem militib. accedere porrexerit. Non pudet, fuiſſe proditorem; non vult jacturam facere triginta argenteorum: eos accipit, oſtentat, gaudet. Ah infelix, Chriſtũ perdidiſti, & pecuniâ acquiſitâ non frueris. Sic evenit illis, qui propter fluxa amittunt amicitiã *D*ei, gratiamq; divinã: manent absq; Deo, & ex juſta pœna, utilitatẽ nullã capiunt ex partis. Res nulla eſt, quæ dignè compenſare poſſit jacturam *D*ei. In hunc errorem fortaſſe tu quoque ſæpius

es lapſus. Poſthac incede cautiùs, & ſtatue, nullam ob cauſam unquam obſequium, & amicitiam Dei deſerere. Tandem dicit ſacer textus: *Miſit eum Annas ligatum ad Pontificem.* Vide infelicitatem Annæ: qui, cum præſentem haberet Chriſtum neſcivit eum cognoſcere, & uti opportunitate in bonum animæ; ſed obdurato animo tranſmiſit Chriſtum ad Caipham. Cave occaſionem utendi gratiâ divinâ negligere: quia interdum non redit: quod contigit Annæ.

Feria. III.

MEDITATIO XXVIII.

Chriſtus interrogatus à Pontifice alapam accipit.

P*Unctum primum.* Poſtquam Judas milites accepit ad Chriſtum capiendum, collecti erant in domo Caiphæ Pontificis ſexaginta primores Judæorum, qui Chriſtum adducendum exſpectabant. Conſidera quanto cum deſiderio, & quo animo exſpectaverint: lætitiam, cum advenit, & vinctus adſtitit, Chriſti verecundiam cum aulam illam eſt ingreſſus, ligatus, ut reus, cùm eſſet innocens, & ſanctus. Ecce, quo-usque ſe deprimat pro te Jeſus: & tu quàm parùm facis pro ipſo. Cœpit interrogare Caiphas, quam doctrinam tradidiſſet, quos Diſcipulos habuiſſet. Conſidera finem Pontificis, non ad intelligendam veritatem, nec ut doceretur, ſed ad capiendam occaſionem eum condemnandi, illudendi de Diſcipulis, quorum unus erat traditor, cæteri fugitivi. Qualis erat Chriſti verecundia de inexcuſabili diſcipulorum fuga! tacet igitur, & diſſimulat. O magnam Chriſti cautelam: excuſare non poteſt, iccirco non reſpondet. Diſce, quanta cum cautela de proximo ſit loquendum: & quando fas non eſt benedicere, tacere & diſſimulare. Vide, an ſic agas, & interroga te ipſum, quomodo Chriſti ſis Diſcipulus.

Pote-

Poteritne Dominus te monſtrare pro ſuo vero ſectatore? eſtne illi honorificum, habere te Diſcipulum? pudeat, ab hominibus talem te credi, & cum occaſio eſt, luge. O quàm verum eſt; malum eſſe me diſcipulum! parùm gloriari poſſum, me factis eſſe. Modicè tuâ doctrina, omnine; proficio; minùs illam exerceo, & tamen tanto tempore in tua verſor ſchola. Obſecra, ſi nunc pudet videri verum Chriſti ſectatorem; non agnoſcendum te à Chriſto pro ſuo apud æternum Patrem. *Et Chriſtianum ſe putat; qui Chriſtianus eſſe confunditur;* ait. S. Cypr.

Secundum. Ad punctum de doctrina reſpondet Chriſtus, ad auditores illud referendo, quoniam docuit publicè in templo; proinde illi interrogarentur, illi teſtimonium dicerent. Ecce prudentiam in reſpondendo! declarant enim atqui tunc nolebant audire verum; nec erant propter ſuas paſſiones apti ad intelligendum. Laudant? dixiſſent: *tu teſtimonium perhibes de te ipſo; teſtimonium tuum non eſt verum,* Jo. 8. Remittit interea judicium de ſua doctrina ad illos ipſos, quia publicè docuerat. Ecce effectum bonæ conſcientiæ; quæ ſicut facit, & dicit res cum puritate, ſimplicitate; & bonitate; ita timoris eſt expers, nec opus eſt ei multis verbis ad ſuam defenſionem. O quàm aſſiduè curandum eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ? quàm obſervandum eſt, ut ſic operemur, ut opera ipſa, & rerum veritas; quæ aliquando proferetur in lucem, loquantur pro innocentia noſtra. Vi[illegible]n obſerves iſtam regulam in tuis actionibus: an ma[illegible] oculos mundi, quàm Dei; & conſcientiæ verearis. In Deo fiduciam colloca, & juſtitiâ tuam: homines judicant, ut intelligere ſibi videntur.

Tertium. Domino reſpondente, miniſter ſceleratus; qui prope Chriſtum ſtabat, luculentam ei infringit alapam; dicens: *ſic reſpondes Pontifici?* conſidera gravitatē hujus injuriæ; ex parte percuſſoris, qui eſt improbus, &

vilis homo ex parte percuſſi, qui eſt filius *Dei*; ex parte ictus, qui eſt alapa, in illa facie, in quam Angeli deſiderant proſpicere; ex parte loci, ubi aderat magnus hominum numerus, & conſeſſus principum urbis; ex parte temporis, quo tanquam reus interrogatus erat Chriſtus, & integrum illi eſſe debebat, ut in omnibus tribunalibus, etiam barbaris, uſitatum eſt, loqui pro ſe, & defendere ſe. O *D*omine, hanc injuriam non ulciſcuntur Angeli, non aperitur terra, & haurit caput improbum? ô cœlum, non fulminas! At me doces, *D*omine, hoc eſſe tempus patiendi, non vindicandi. Vide porrò, qualis fuerit confuſio Domini, quòd nemo circumſtantium reprehenderit factum, nemo caſtigaverit, ſed probaverint cuncti contra rationem, & æquum. *D*iſce tolerare facta contra omnem juſtitiam. Quid Dominus? Ille, qui tantopere ſuperiorum, ac magiſtratuum obſervantiam commendaverat, loquitur non ad juſtitiæ debitum exigendum, non ad culpam in hanc miniſtrum retorquendam, ſed ad oſtendendum debitum erga Pontificem reſpectum: quod ita fecit, ut verba monſtrarent, nullam ineſſe animo permotionem, ſed ſuavitatem. Video, te loqui bene & percuſſum eſſe tanquam locutum malè. Ita verè expungis errores, quos ego ſæpe numero commiſi loquendo malè: & mihi quoties dicere poteſt: *quid me cadis?* tuâ linguâ, tuis murmurationibus, tuis indignationibus, tuâ irâ. *D*a gratiam Domine, nè obruat in injuriis, indignatione, & deſiderio vindictæ: ſed conſervem in meo corde caritatem, & ſpiritum benignitatis, ad imitationem tui, qui dixiſti: *ſpiritus meus ſuper mel dulcis*, Eccl. 24.

Feria IV.

MEDITATIO XXIX.

Chriſtus interrogatur à Caipha, & condemnatur.

Pau-

Punctum primum. Conſidera, quale ſtudium Principum Sacerdotum, & hujus concilii fuerint ad veritatem cognoſcendam & juſtè judicandum? Studium erat ad invenienda falſa teſtimonia contra Chriſtum, quia de veris inveniendis diffidebant. Ecce finē, *ut eum morti traderent.* Vide procedendi formam, & judicii normam, æqui fuerint judices, an iniqui. Cum omni tamen diligentia non invenerunt alicujus ponderis teſtimonia, quæ ad veram ſufficerent accuſationem, & condemnationem, præter aliquod dictum, malè intellectum, & ab illis prolatum. O ſanctiſſimam Jeſu vitam, quàm procul aberas ab omni umbra mali, quantumvis omnes eam culpabilem facere contenderint. O ſi talis eſſet mea, ut nihil mihi dæmon poſſet objicere, maximè in puncto mortis, quandó me accuſabit apud juſtisſimum Judicem, damnationem meam urgens. Cogita, quomodo vivas, & ſi nunc caſus incideret, qualem te invenires : & adfer periculo remedium. Conſidera porrò, illos propterea teſtimonium exegiſſe, quia ſuum odium, ac malitiam fucare volebant aliquo prætextu. Nolebant aperiri ſuas pasſiones, & injuſtitias; ita ut vitium nudum ipſis diſpliceat peccatoribus, qui id veſtitum volunt umbrâ virtutis. Quoties imitatus es iſtos Judæos : celaſti tuas pasſiones, & tuos affectus inordinatos, prætextu necesſitatis, impoſſibilitatis, decori, & hoc modo quæſiviſti falſa teſtimonia ad condemnandam operibus tuis Chriſti legem; noluiſti videri ambitioſus, ſuperbus, iratus, invidioſus, proprii commodi ſtudioſus : quæſiviſti modos tegendi, & abſcondendi tuos affectus. O Salvator, non poſſum hæc negare : auxiliare in poſterum, ut verè me emendem, & non memet decipiam, cum tanto animæ meæ periculo.

Punctum ſecundum. Summus Sacerdos videns teſtimonia contra Jeſum allata eſſe manifeſtè vana; & Dominum tacere, ſive, quia loqui nihil eum juvabat, ſive quia impedire ſua tormenta nolebat, qui tantopere pati deſiderabat; adjuravit eum per Deum vivum, ut diceret, an *D*ei Filius eſſet. Quid hîc *D*ominus? non tergiverſatus eſt, non tacuit, non diſſimulavit, apertè confeſſus eſt, ſe eſſe, adjunxitque, viſuros ſedentem ad dexteram Dei, & venientem ſuper nubem ad omnes judicandos. Cur tam clarè loqueris? non vides, Pontificem non cupere audire veritatem, ſed occaſionem te condemnandi quærere ex iſta confeſſione? paulò antè tacebas, & non reſpondebas ad accuſationes, & jam loqueris. Agnoſce reverentiam nominis divini, deſiderium provehendæ gloriæ æterni Patris profitendo ſe filium, & Eccleſiam de ſua Perſona certam reddendo. Age, Domine, gratias de hoc exemplo, libere loquendi, ubi honor divinus agitur, non tacendi, non diſſimulandi. *D*a vires exequendi. Porrò cogita, cùm omnia tormenta ex iſta confeſſione ſibi inferenda præſciret, non ea exhorruiſſe, ſed complexum eſſe, hanc mortis cauſam, & noſtræ liberationis agnoſcendo. O amorem tuum totum meo bono dedicatum! Tui rationem nullam ducis: libenter occaſionem patiendi pro me omnem acceptas: aliter ego: fugio, quà poſſum, pati pro te, pro honore tuo, pro gloria. Robora me contra futuros metus, & ad contemnenda mortalia, & ærumnas imminentes: & ad ſoli tibi ſerviendum, ac placendum.

Punctum tertium. Conſidera, quid Caiphas, audito reſponſo, fecerit, ac dixerit. Laceravit veſtes, quod vetitum erat ſummo Sacerdoti; &, ut blaſphemiam condemnavit veritatem à Chriſto prolatam, & Chriſtum tractavit ut blaſphemum. *D*ebebat ille cum toto concilio, auditâ veritate, procumbere in terram,

vene-

venerari Dominum, adorare ut *D*ei Filium, paſcere veniam; at contra Pontifex cum univerſis reum mortis judicavit. Ecce quouſque progrediatur cor humanum malitiâ imbutum! convertit in venenum, quidquid prodeſſe poteſt, magiſque indureſcit malo. Roga Dominum, ne hoc unquam tibi eveniat: ſed ut cedat lumini, inſpirationi, gratiæ, tibi à *D*omino collatæ. Præterea cogita ſenſum Chriſti, cum eſſet tractatus ut blaſphemus, &, ut morte dignus, condemnatus; ut ferat hanc ſententiam, ut æterno Patri ſe victimam pro tuis peccatis offerat. Vide, quid debeas *D*omino: ſi ipſe damnari ſe paſſus eſt pro te à toto aliquo concilio; quanto magis, pro illius obſequio, ferenda tibi ſunt iniqua hominum judicia, criminationes, contemptiones. O mi Jeſu, mortis me reum agnoſco, tantarum offenſionum reus. Tu, qui vitæ fons es, non potes eſſe mortis reus, ſed dignus omni honore, & adoratione: iccirco projectus ad tuos pedes tibi confiteor, te adoro, te veneror ut Filium Dei, tanto cupidior honorandi te, quanto plura adverſa toleraſti pro me.

Feria quinta.

MEDITATIO XXX.

De negatione Petri.

P*Unctum primum.* Petrus, collecto nonnihil ex timore animo, poſito ante oculos facinore, cognovit injuriam Chriſto defectione ac fuga illatam, cui fidem ad mortem uſque ſequendi obſtrinxerat: & propter affectum, quo Jeſum complectebatur, ac deſiderium ſciendi, quo res evaderet, ſenſit impelli ſe ad ſequendum cautè, & celandam perſonam. Quid ages, Petre? ſequi, magna eſt audentia; deſerere, ingrati probrum. Viam iniit mediam; ſtatuit ſequi, ſed *à longè*: bonum videbatur temperamentum; retinebat ſtatū

cipuli, ſequendo: vitabat diſcrimen, non appropin-
ando; erat hoc adeò ſequi languidè & velle diſci-
lum eſſe, ac non eſſe. Quid ſperetur? nihil boni:
c eſt vacillare, unde ſequitur cadere. Oportet Deum
qui ſtrenuè *à longè*. O quoties tu ſic agis! velles *Deo*
vire: ſed unà tuo genio obſequi, ſi *Deus* eſt, ſequi-
ini eum; usque quò claudicatis in duas partes! Hoc
nto gradu pervenit Petrus ad domum Caiphæ: in-
vit: quid fecit? Acceſſit ubi Chriſtus eſt? non: hæ-
in atrio: miſcetur militibus ad focum, ad eorum
mones excipiendos, quaſi de illis unus, non Chriſti
cipulus eſſet. O miſerum Petrum, vicinum præ-
itii; quia periculum adiit, & occaſionem! Tu
ſimules, tu ſocietatem fingas, conſilia contra Chri-
m audias, & non labaris? nimium præfidis; teme-
as eſt. Non eſt, quisque es, tua temeritas minor, cùm
res præbes ſermocinationibus parum bonis, in me-
hominum, Chriſto adverſantium. Fuge pericu-
n, ſi ſtare firmus cogitas:
Punctum ſecundum. Conſidera interrogata Petro fa-
, & negationes. Vidit illum mulier vilis, oſtiaria, &
mœſtitia vultus conjectans quis eſſet, dixit illi: tu
is cum Jeſu Nazareno. Aliquanto pòſt tempore
nſpectus ab una altera, audivit: & iſte erat cum Je-
Nazareno. Poſt unam horam dixerunt alii Petro:
è tu de illis es, qui diſcipuli ſunt hominis iſtius,
n lingua te Galilæum prodit: acceſſit teſtimonium
ius, qui dicebat Petro, in horto viſum à ſe. Quid
rus? Ad primam interrogationem negat ſe nôſſe
riſtum: & mulieri dicit, non intelligere ſe, quæ il-
icat. Ecce Petrus inter ſceleratos miniſtros, dicit
cognoſcere ſe Chriſtum, quem Dei Filium fuerat
feſſus, dum erat cum aliis diſcipulis. O quàm
t noxiæ malorum ſocietates! ſed ſecundam inter-
roga-

rogationem repetivit idem, adjuncto juramento falſo. Ecce progreſſum! Qui in primo peccato durat, cadit in alterum gravius, & nocentius. Diſce, nunquam in peccato conſiſtere: ſed labora confeſtim diſcedere: quia primum eſt via ad ſecundum. Negat tertiùm: &, quia dubitabat, an convictus eſſet teſtimonio oculato, addit exſecrationes, & imprecationes. Conſidera caſum iſtum Principis Eccleſiæ ad levem unius fœminæ impulſionem. Quid facere poterat auribus exſecrationum plenis, quas milites illi contra Chriſtum effundebant? corde metus, & reſpectus humani pleno! Ecce, quàm ſit miſerabilis homo, cùm ſolus eſt, & deſertus à Deo: quàm ſit potens ratio aliqua humana, cùm animam occupavit! Quis ergo hominum ſecuritatem ſibi promittat? quis de virtute ſua præſidat? O quantum demittere te oporteret, ſi tuam conditionem, ac fragilitatem agnoſceres? quantùm fugere pericula, & vitæ perfectæ ac ardenti ſtudere.

Punctum tertium. Conſidera primo loco dolorem Chriſti ex hac triplici negatione perceptum. At quoties ego occaſionem præbui dolendi Chriſto, negando factis, erubeſcendo ejus me diſcipulum eſſe, & peccando, non ſolum ter ex fragilitate, ut Petrus; ſed ſæpius ex malitia! Dignetur Dominus pro ſua pietate ignoſcere. Deinde quid fecit Jeſus? Noluit perdere hanc ſuam ovẽ: ad Galli cantũ memor ejus, quod Chriſtus dixerat, & multò magis ad ſuavem obtutum Jeſu, collegit ſe, errorem agnovit. O bonitas Jeſu! Non reſpexit ad periculum ſuum, & poſitam in præcipiti vitam, ſed ad miſeriam Petri, cui uno oculi nictu in cor penetravit. Roga impensè Jeſum, ut te aſpiciat: *Aſpice in me, & miſerere mei.* Ah, unum indulge obtutum, Jeſu, ut reſurgat hæc anima ex infelicitate ſua, quâ propria illam vitioſitas attinet. Jam quid fecit Petrus? exivit illo atrio, ubi relabi poterat,

& laxatis lamentationi frenis, deplorare cœpit peccatum, fletum in omnem vitam producturus. Ah modicum quid ſinceri hujus affectus ſentiã, ardentius, quàm ſensi huc usque. O *D*omine, vulnera hanc animam, & compunge ſolida omnium culparum deteſtatione; feci, ut ſciat ſua deflere peccata, lavare delicta. S. Ambr.

Feria VI.

MEDITATIO XXXI.

De injuriis Chriſto illatis in domo Caiphæ per reliquum noctis.

P*Unctum primum.* Condemnatus ab illo concilio Jeſus, & reus mortis judicatus eſt. Unde quivis omne in eum ſcurrilitatis ac vexationis exemplum edere, ut rem præclaram, contendit, dictis, ac factis. Vide ſpeculum ſanctitatis & innocentiæ ad ſupremi contemptus metas adductum? ſilet tamen: non purgat objecta: & tu, miſerabilis in conſpectu *D*ei, ob tantas culpas, ſentiri de te ab omnibus honorificè cupis: turbaris, cũ ſiniſtro judicio tangi bonam opinionem putas. Erubeſce igitur, & agnoſce, qualis ſis, & quid tibi debeatur.

Secundum. Incipiunt illi ipſi, qui damnaverant, illum tractare male vociferando, percutiendo, omnia movendo. Unde vobis iſta libertas? qua auſteritate audetis talia? nemo mortalium facere poteſtatem poteſt in filium Dei: vos ipſi eam contra fas omne & æquum arrogatis. Sic ab illis tractatus eſt Deus: ſic tractatur à te. Quoties licentiam ſumpſiſti offendendi *D*eum, & vexandi tuis peccatis: nemo tamen eſt, cujus auctoritate id facere posſis: tu tibi auctor fuiſti: tu hac abuſus es libertate; quam accepiſti ac honorandum Deum, & convertiſti ad offendendum: & pepercit *D*eus. Agnoſco, *D*omine, meum errorem: velim in-

inpoſterum ademptam mihi peccandi libertatem; Quia tamen me vis eſſe liberum, rege hanc libertatem, nè poſthac eâ contra tuum honorem, & meam ſalutem abutar.

Tertium. Soluto concilio domos ſe ſuas ad quietem reliquæ noctis receperunt, relicto in manibus militum Chriſto. Conſidera gaudium, quo diſcedentes geſtierunt, expleto ſuo deſiderio? quaſi re præclarè geſta. Ah infelices! gaudetis, *& exultatis in rebus peſſimis*! Prov. 2. Care ſtabit iſta lætitia. Habet occaſionem peccator flendi, non gaudendi. Cogita, an ſis imitatus iſtos, an rem tibi inſignem geſſiſſe videaris, cùm egiſti malè. Deinde conſidera, quid agat Chriſtus; nulla ei conceditur quies: nemo de levamento aliquo cogitat: relinquitur licentiæ illorum militum, qui lætam illam agere noctē deſtinant, vocando in ludibrium Chriſto, & ut morionem tractando. Qua auctoritate, & licentia hæc audetis, quâ juſtitiâ? ſi Chriſtus, ut reus, veſtræ commiſſus eſt cuſtodiæ, tueri illum, non offendere debetis. Non ſervatur juſtitia erga Chriſtum: malitia ſola lex eſt, ſciunt gratum ſe facere Conſultoribus: & hoc illis ſufficit. O malam cauſam, quando, quod malis hominibus complacet, eſt regula faciendorum. Conſidera, an in tuis actionibus, hac utaris norma. Et tu mi Jeſu, quam mœſtas vigilias, quam dolore plenas ages iſta nocte? ſic pro noctibus illis funeſtis ſatisfacies, quibus tam graviter es offenſus. Placeat tibi, ut non illa magnis tuis pœnis tranſacta, *ſit illuminatio mea in deliciis meis*. Pſal. 138. nè te unquam poſthac offendam.

Punctum quartum. Digreſſo ex domo Caiphæ conventu, lictores, & milites, quorum cuſtodiæ commiſſus eſt Chriſtus, deduxerunt eū in conclave aliquod, vel atrium, ubi credibile eſt viliorem familiæ turbam fuiſſe; & conſidere fecerunt manibus ligatis, facie, &

capite aperto, ad jocos, & ludibria converſi. Conſidera afflictationes Chriſti, in manibus hominum pro ſua conditione ſcurrilium, ſomnum arcere ludificando volentium; qui ſciebant, gratum ſe Principibus Sacerdotum facere malè habendo Dominum, nemine præſente, cujus reverentiâ cohiberi licentia potuiſſet, qui tanquam blaſphemum, & jam damnatum pro nihilo æſtimabant, & affligendo obſequium ſe Deo præſtare, & vindictam expetere de injuriis Legi Moyſis illatis credebant. Denique, inſtigantibus dæmonibus, ad impatientiam aliquam impellere conabantur. Quas ob cauſas, quos non ludificandi, ſpernendi, deridendi modos invenerint, unoquoque primas ferre petulantiæ contendente. Non reſiſtebat Jeſus, non defendebat ſe, non impediebat, totum eorum licentiæ ſe permittebat. Expende atrocitatem injuriæ, quam in natura humana tulit Perſona divina. Grates ei perſolve de toleratis tuâ causâ: Erubeſce, videndo illum ſceleratis hominibus ad omne vexandi ſe genus permittere, te in manus Jeſu tradi refugere. At nunc incipe te voluntati Patris optimi ſubjicere, certus de bono in te liberaliter conferendo.

Sabbatho.

MEDITATIO XXXII.

Continuatio ejusdem materiæ.

P*Unctum primum*. Evangeliſta dicit, alios eum pugnis, alios alapis percuſſiſſe. Conſidera dolorem, & ignominiam Chriſti. Non rationem ullam, non miſerationem habebant: hic pugnis caput pulſabat, ille collum, ille humeros, nullo diſcrimine. Deficiebat omnis civilitas, & reverentia erga modeſtiam, gravitatem, & majeſtatem divini vultus. O, ut mutata naturalis illa pulchritudo cum livore & tumore ab impactis alapis fuit! *Vidimus eum*, inquit Iſai. *& non erat ei*

aſpectus. Condole Domino ſic afflicto & inhoneſtato. Erubeſce, quod non tantum imitator iſtorum hominum peccando fueris, ſed multò amplius, quia tam frigidè imitaris patientiam, quam te Chriſtus in his injuriis, & cruciatibus docuit. Me miſerum! honoro, quæ patitur Chriſtus, & horreo injurias, & contemptus eoſdem, cùm ego petor. Ridicula eſt mea patientia: cum præ me fero, & quavis offenſione levi commoveor: modeſtiam in lingua, ſuperbiam in corde gero. Tu, mi Domine, humilis & manſuetus es corde: non habes rationem tui vultus, nec humani judicii; taces, ſuffers, plenus amore erga ipſosmet affligentes te. Quam multi colaphum unum gratiæ, cœlique jacturâ perſequuntur: quia in externa illa injuria obfirmantur, & non capiunt gloriam, in contumelia pro tuo amore, & imitatione tolerandâ latentem? Fac, Domine, ut bene hanc veritatem perſpiciam, ut eâ, cùm caſus erit, me regam.

Punctum ſecundum. Conſidera aliam graviſſimã contumeliam Chriſto illatam, *cùm*, ut ait Evangeliſta, *exſpuerunt in faciem ejus.* Expende gravitatem hujus injuriæ; perſonæ, cui infertur, dignitatem; eorum, qui inferunt, vilitatem; contemptum ex ſe maximum. Inurbanum eſſe cenſetur, exſpuere præſente viro honeſto, eam ob rem avertitur vultus, quæritur angulus, pede locus tegitur. Quam atrox erat contumelia Perſonæ divinæ facta, faciem illam viliſſimæ abjectiſſimæq; loco rei haberi? Et hæc injuria inferebatur ab hominum fæce, non ſolum abſque reverentia, & honeſtatis reſpectu? ſed etiam cum delectatione, hilaritate, oculo, ad ſatiandam rabiem, ex induſtria materiam exciendo, quæ ſolo aſpectu nauſeam excitabat. Intra in cor Domini: vide, ut ferat hanc injuriam, cernens, factum ſe opprobrium hominum, & judicatum dignum, cui facies conſpuatur. Non avertit vultum, non

non ſe movet: præbet ſe impiis illis ad conſputandum pro lubentia. Animadverto, te hoc modo ſatisfacere pro peccatis meis, quibus te, ut rem viliſſimam, tractavi, tibi creaturas anteferendo: & non cognovi meis me peccatis eſſe commeritum, ut abhorreas à me, tanquam re immundiſſima, & ſic mecum agas. Doce me, Domine, abominari omnem corporis contaminationem, quæ me disjungit à te, & execrabilem tibi me reddit ut aliquando diſcam contemnere me, & odiſſe, tanquam vilem, & miſerabilem peccatis meis factum.

Punctum tertium. Adjungit Evangeliſta alium vexationis modum; velatâ Domini facie, & impactis alapis, divinare juſſiſſe, quis percuſſiſſet? Conſidera gravitatem hujus injuriæ, haberi ut fatuam divinam ſapientiam; & ut falſum Prophetam, Dei Filium; quaſi dicerent; tu, qui Prophetam egiſti, & cognitionem rerum latentium profeſſus es, divina, quis hunc tibi infregit colaphum, iſtum pugnum, quis inſputavit in faciem, quis barbam convulſit? Non admiratione obmuteſcas comparando majeſtatem perſonæ divinæ cum vilitate projectæ ad audendum turbæ, & impudentia ludificationis tum dolorificæ, & ignominioſæ? Vide quouſque pro te ſit abjectus Jeſus; vide patientiam tam continentem. Non agitur de ludibriis ab una perſona, ſed à multis, ac multis modis, ſine moderatione, illatis; non tamen reſiſtit, non ſe liberat, patientia continuata durat. Erubeſce, quòd, cum producitur in longum afflictatio, pendas patientiam. Deinde conſidera, faciem Domini propterea velaſſe tortores, ut liberius vexarent, cùm ferre non poſſent illius majeſtatem, qui ſuâ modeſtiâ, ſilentio, manſuetudine, ſcelus illis exprobrabat. O quoties, ut indulgeam affectionibus, & libertati meæ, operio, & abſcondo tuæ lucis radios, quibus me colluſtras? Ah, nunquam te

porrò

porrò dimittam ex oculis! fac, ſemper te præſentem habeam, ne abutar libertate, mihi à te donata. Ad extremum, conjunxerunt iſtos contemptus maximis injuriis, & exſecrationibus. Miſereſcat te Domini tui tantopere pro te deſpecti; & contende, tantò amplius illum laudare, quanto majoribus ac pluribus fuit injuriis affectus.

Dominica Paſſionis.

MEDITATIO XXXIII.

Siſtitur Chriſtus Pilato.

P*Unctum primum.* Conſidera primò ſollicitudinem Caiphæ in convocando primo manè integro Concilio; & promptitudinem evocatorum ad veniendum. Quâ fine? ad emendandam veſperi heſterni injuſtitiam? neutiquam: ſed ad eam confirmandam: ad inveniendos affectionibus ſuis, & odio colores: ad rationes occidendi Chriſti cum ſummo dedecore ineundas: *ut eſſent adeò veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*, Pſal. 13. Ecce promptitudinem ſatisfaciendi ſuis affectibus. Etſi parùm nocte præterita dormierunt; ſurgunt tamen maturè ad cogitata impia expedienda. Tu non es tam promptus, ut aliquid incommodo tuo ad ſerviendum Deo facias, quam illi ſunt ad oſtendendum: ſed quid illos dico? quoties tu ſatisfacere deſideriis tuis inordinatis voluiſti? non rationi conveniret, aliquando te emendari? quid ais? num facies? Deinde deducunt iterum ad Concilium: interrogant, an ipſe ſit Chriſtus, Meſſias promiſſus, Dei Filius. Affirmat ſe eſſe Chriſtus, ad excludendam illis omnem excuſationem. Et iterato condemnatus eſt à Concilio, ut mortis reus. Vide magnanimitatem Chriſti, quamvis perverſum illorum conſilium non ignoraret. Precare Dominum, ut par tibi robur impertiatur in omnem caſum, ut eum verbis,

& factis profitearis, agnoſcas, adores, ut Filium Dei timeas. Ad hæc pondera præcipitem illorum injuſtitiam. Cognoverant pridiano veſpere falſitatem accuſationum, & teſtimoniorum: ſciebant afflictationes illa nocte ſumma cum manſuetudine, abſque ullo oſtenſi animi ſigno toleratas; tanta tamen virtute non movebantur, ut crederent, non eſſe hominem purum, vel ſaltem dubitarent? At poſthabita omni ratione damnant, ut pertinacem blaſphemum, divinæ majeſtatis reum, quod Filium Dei ſe dixiſſet; reum quoque majeſtatis humano, quod regiam ſibi dignitatem arrogaſſet. Condole *D*omino: gratias age: deſidera, ut regem tuum illum recipere: illi omnem tuam affectionem, cogitationem, facta ſubmitte.

Punctum ſecundum. Conſidera, Chriſtum à Concilio damnatum, ductum fuiſſe ad Pilatum. A quibus eſt ductus? ab integro Concilio, à Caipha Pontifice, ab aliis Senatoribus, ad opprimendum auctoritate ſua, non ſolùm Chriſtum, ſed etiam Pilatum, ut Dominum condemnaret. Eccur eum poteſtati Pilati committunt? ut à ſe omnem opinionem malignæ mentis avertant, & oſtendant, honoris divini ſtudio ad id faciendum ſe compulſos. Ab altera parte tanto magis volunt honorem Chriſti obtenebrare, efficiendo, ut à Pilato in crucem agatur, tanquam latro, die Paſchatis, ipſis feſto, ſed Pilato profano. Et eâ culpâ non ſunt ingreſſi Prætorium, ne contaminarentur, cùm victimis Paſchalibus eſſet veſcendum. Expende ſcelus illorum, & ſimulationem: optimi volebunt videri, cum eſſent peſſimi; & religioſi, non intrando Prætorium, quaſi locus inquinaret, non peccatum proprium. Vide, an ſimilis illis ſis, qui deglutiunt grandia, & in parvis monſtrant ſe religioſos: non curant odia interna, injuſtitiam, innocentis perſecutionem: & timent

Præ-

Prætorio inferre pedem. Secundò, volente Pilato cognoſcere accuſationis capita; reſpondent primò, ſi non eſſet nocens, non ſe eum illi fuiſſe tradituros. Vide ſuperbiam iſtorum, patientiam Chriſti. Tandem accuſant de ſeditione, de tributi Cæſari dandi interdicto, de Regno affectato; de omnibus mendaciter ac falsò. Conſidera Jeſum: permittit loqui absque interruptione, accuſare absque defenſione; & plus dolet de damno, & interitu adverſantium, quàm de malo ſuo; averſatur illorum obſtinationem, & pro amore in illos deſiderat illis ſalutem. Imitare iſtam patientiam, & amorem erga tuos adverſarios.

Punctum tertium. Jeſus ſtetit ante Pilatum. Expende verba Evangeliſtæ. Quis eſt, qui ſtat? Jeſus, cœli Dominus, Judex omnium. Ante quem ſtat? ante Pilatum, judicem terreſtrem, idololatram. Quomodo ſtat? ſtat ut reus, quæſtioni ſubjiciendus, & damnandus: ſanctitas ipſa, & innocentia, ut examinetur, Creator ipſe, ut reſpondeat creaturæ. Vide humilitatem, & manſuetudinem Domini: non dedignatur amore tuo tam abjectus fieri. Tu quid agas? Pilatus ei dicit: tua gens, & tui Pontifices in meas te manus tradiderunt, *quid feciſti?* Conſidera dolorem Jeſu, cum audiret, à Præſide modum, quo tractatus erat à ſua gente, tam amata, tot beneficiis cumulata: & hîc expendes, de te dici poſſe, poſt tanta accepta beneficia malam Domino te gratiam retuliſſe. Præterea conſidera, quanta reſpondere potuiſſet Jeſus, ſi exponere voluiſſet, quæ fecit, deſcendendo de cœlo, in præſepio, in Ægypto, ad annos triginta, in parva Nazarethana domo, poſtea Judæam omnem, & Galilæam benefactis implendo. Inſpice tuam vitam: quid reſpondere poſſes Domino interroganti, *quid feciſti?* tot annis, cum tantis auxiliis,

in-

inſpirationibus , ſacris myſteriis , opportunitatibus; quid boni egiſti? Erubeſce de te ipſo. Tandem quærit Pilatus, an Rex Judæorum ſit; & reſpondet Jeſus, ſe & Regem Judæorum, & Meſſiam eſſe, non qui terris imperet, poteſtate terrena; ſed animis, imperio cœleſti. Vide, an tuus ſit Rex: an regnet in anima tua: & ora, ut regnet ſemper, & tuis affectionibus, cogitationibus, & factis imperet.

Feria ſecunda.

MEDITATIO XXXIV.

Judas deſperat.

P*Unctum primum.* Judas, cognita Chriſti condemnatione ad mortem, agnovit erroris ſui gravitatem, & pœnitudine impulſus retulit pecuniam, contractum reſcindere, & Chriſtum liberare eo facto cupiens. Confeſſus eſt peccatum ſuum, traditum à ſe hominem innocentem, & juſtum. Conſidera Judam non magni æſtimaſſe factum, etſi crederet malè factum eſſe: ſed in impetu affectionis, & cupiditatis habendi ſibi perſuaſiſſe, Chriſtum ratione aliqua manibus Judæorum eripiendum, & pecuniam nihilo ſecius lucri faciendam. Sed non ſunt bonæ rationes, quæ ineuntur dictante pravo affectu: tunc enim dæmon tollit pudorem, & cognitionem. At ſubitò, commiſsâ noxâ, ſuccedit pœna, & conſcientia rodit, ponendo ante oculos atrocitatem mali commiſſi. Id evenit Judæ. Peccatum eum exagitavit: horrorem proditionis injecit: confiteri ſcelus, & culpam absque veniæ ſpe coëgit. Diſce, priusquam pecces, dimittere illam opinionem, omnia bene eventura; ſed timere juſtitiam, & pœnam, & non temerè fidere. Conſidera quomodo erraverit Judas: pœnitendo, pecuniam reportando, ſcelus confitendo, rectè egit: ſed, prætérito Deo,

acceſſit ad homines, cum ſit neceſſarium, commiſſo peccato, conferre ſe ad miſericordiam, & bonitatem divinam, & in hac ponere fiduciam. *D*iſce ſic agere: rem expendere ante lapſum; poſt lapſum, ſi quis contingat, confugere ad divinam pietatem.

Secundum. Conſidera exiguam rationem duxiſſe Sacerdotes de Judæ pœnitentia, peccati confesſione, pretii reſtitutione: *Quid ad nos? tu videris*. En, ut nunc Principes iſti Sacerdotum Judam deſtituant, cujus operâ in ſuam poteſtatem Chriſtum redegerunt. Juſto Dei factum eſt judicio, illum, qui, ſive ob hominum gratiam, ſive utilitatem propriam *D*eum deſeruit, ab illis ipſis deſeri, quorum cauſâ offendit *D*eum. *D*iſce hinc nunquam relinquere Deum, propter ſpem in rebus conditis poſitam. Verùm qua ratione dixerunt Judæ, *quid ad nos?* ô magnam cæcitatem illorum, qui ſtatuerunt pretium venditionis, & tantum operæ ad capiendum Jeſum contulerunt; nec tamen intelligunt ſuum malum, & periculum, videntes Judam, qui ſe proditionis hujus reum agit, & proditi innocentiam profitetur; nec ſe culpabiles volunt agnoſcere. O peſſimos induratæ malitiæ fructus! Libera me, Domine, ex adeò pernitioſo ſtatu: non permitte, ut unquam mergar hoc profundo, quo inſuper habentur culpæ. Quid egit Judas? projecit acceptam pecuniam in templum: nihil ex pretio percepit emolumenti: Chriſtum non liberavit. O quoties non fruitur homo partis cum offenſione Dei: & quàm verum eſt, paucis perdi poſſe Chriſtum, ſed non paucis recuperari. Fac, mi Jeſu, veritatem iſtam intelligam, & eâ meas actiones regam, nec unquam in lucro ponam, quod eſt conjunctum peccato. Ad extremum expende hypocriſin iſtorum Sacerdotum. Pretium illud, ad Chriſtum comprehendendum expenſum nolunt remittere in ærarium, unde promſerant, quaſi pecuniam, quæ optimè

mè in Chriſti necem impenderetur. Eam judicant impuram, quia pretium ſanguinis eſt, ſeipſos non judicant contaminatos, qui manus immitti curant in ſanguinem Chriſti. O quoties gravem *D*ei offenſam, cùm occulta eſt, non curamus: & magna ratio habetur exiguæ rei, quia publica eſt. Cura, non eſſe de iſtorum numero.

Punctum tertium. Conſidera infelicem Judæ exitum, & grandem conſcientiæ malæ carnificinam. Neſcit infelix, quid agendum: non fert ſeipſum, non animi perturbationem: non timet laqueum, ſed ſuismet ſe manibus ſuſpendit, & medius rumpitur. Ecce, quò infelix perveniat: quis crediſſet, deſiderio tam exigui lucri Apoſtolum aliquem in eum locum deduci potuiſſe? quàm timenda ſunt mali initia, cùm ignores quorſum ſint evaſura! Noli credere, immoderatam Judæ cupiditatem à tua eſſe diverſam: propterea rectiùs ſaluti conſules, ſi timebis, ſi tibiipſi dices: mea malitia, mea miſeria ſufficit, ut agar in præceps, niſi vigilo, niſi me ſubmitto, niſi mihi diffido. Ad ultimum conſidera, miſerabile exitium Judæ vulgari debuiſſe per totam Jeroſolymam: unde graviter admoniti ſunt Judæi, ut à morte Chriſto inferenda deſiſterent, hac magna teſtificatione innocentiæ Chriſti cauſam agente. Nihilominus non emendantur hoc exemplo: in ſumma, ſpes emendationis exigua eſt, cùm pravus affectus in animo fixit radices. Quid autem Jeſus? gravem ſentit in animo dolorem, videns è diſcipulis unum æternum in interitum ruere, unicè amatum, & eodem tempore damnatum, quo ipſe univerſo hominum generi ſanguinis pretio emit ſalutem: nihil movet de ſua liberatione: non dicit, caſtigatum à Deo Judam propter proditionem, pœnamque commeritam de illo expetitam: non talia loquitur; tacet: non vult impedire

dire ſuos cruciatos, ac mortem: & docet, quando Deus caſtigat, qui nobis nocent, adorandam eſſe providentiam divinam, & juxta dolendum de malo aliorum, ac tacendum, ne diſpliceamus Deo. Vide, an ſic agas, ut ſic agas, cura.

Feria tertia.

MEDITATIO XXXV.

Chriſtus ducitur ad Herodem.

P*Unctum primum*. Pilatus, cognito Jeſum de regno Herodis eſſe, omiſit quæſtionem, ut judicaretur ab illo: quare ductus fuit ad Herodem, qui id temporis verſabatur Jeroſolymis. Quæ cauſa Pilato fuit? Voluit eximere ſe judicio illius cauſæ, quam cognoſcebat eſſe injuſtam, clarè perſpiciens, accuſationes contra Jeſum eſſe effectus invidiæ, imposturæ, veritatis fundamento carentes. A parte Jeſu cauſa fuit, plura pati. O mi Jeſu, pauca fortaſſe paſſus es, quando fuiſti ductus ad Annam, deinde ad Caipham, & inde ad Pilatum? quam plenæ opprobriis, contumeliis, injuriis fuerunt acceſſiones ad hæc tria tribunalia! cum etiam ſubire judicium Herodis voluiſti? Hæc omnia patiendi famem tuam non explebant. Saltem gratias agere diſcat, qui neſcit imitari. Secundò conſidera voluptatem Herodis ex adducto Chriſto perceptam, jam dudum eum videre cupientis. Quid ad videndum impellebat? volebat fortaſſe de animæ ſuæ rationibus, & ſalute agere? fortaſſe honorare Jeſum, & ut Meſſiam venerari? Neutiquam. Vanum erat deſiderium explendæ curioſitatis, & miraculi alicujus videndi, miris de Chriſto auditis: non ortum ex amore Chriſti. Cogita, an res divinas deſiderio puro appetas, aut in his tuo guſtui ſervias: an audias verbum Dei, an leges, ad

nutriendam curioſitatem, an ad cognoſcendum verè Deum, emendandos tuos errores, creſcendum in virtute. Et ſi in his deficis, cave ne cadas: & excita deſiderium efficax videndi Jeſum.

Secundum. Conſidera, quid fecerit Herodes, præſente Chriſto; nimirum quod Principes Sacerdotum: quid fecerit Chriſtus. Primùm multa interrogat Herodes, fortaſſes de miraculis, & rebus aliis curioſis; ſed nullum accipit reſponſum. Non merebatur homo ſceleratus, inceſtuoſus, ſanguinarius, qui Joanni caput abſtulit, ut ei loqueretur Jeſus, & ejus curioſitati indulgeret. Nunquam antea laboraverat videre Jeſum, etſi deſideraverat. Luere debebat iſtam negligentiam: ut intelligas, non eſſe prætermittendas occaſiones cùm afferuntur. Vide, an ſis diligens, an negligas opportunitates, quas habes, agendi cum Chriſto. Deinde Scribæ, & Sacerdotes intenti animis ad accuſandum Jeſum erant: *ſtabant*, inquit Evang. *conſtanter accuſantes.* Et Jeſus audiebat, & dolebat, potius de infelicium illorum damno, quam ſuo periculo. O charitas Jeſu, quæ in medio afflictionum ardentius exæſtuas: etiam cor meum, pro tua pietate, accende. Ad hæc conſidera Jeſum ligatum, ſtantem ante Herodem, oculis in terram defixis, vultu modeſtiſſimo, nullo verbo, ſive ad defendendum ſe, ſive ad reſpondendum Herodi prolato. Quorſum hoc ſilentium, mi Jeſu? & quando unquam occaſionem opportuniorem habuiſti manifeſtandi te, innocentiam oſtendendi, pudorem tuis hoſtib. incutiendi? uno ſolo miraculo totam illam regiam in tuas partes, & teſtimonium veritatis poteras convertere, tacendo autem, & nihil agendo nonne jure tuo cedis, & accuſationes, ut veras, approbas; & oſtendis, te neque loqui, neque operari potuiſſe; ut adeò facta antehac prodi-

gioſa non verè, ſed ad ſpeciem videantur eſſe facta. Amirare in iſto ſilentio, quam diſtent noſtræ cogitationes à divinis. Volebat mori pro te, nolebat agere pro ſua liberatione: patiebatur exiſtimationi ſuæ detrahi, ut ſervare te poſſet. Quid dicis ad tantæ charitatis cognitionem? Gratias age ex animo, ama, honori illius totum te impende, non recede ab eó, quod illi placeat....

Tertium. Herodes videns, Chriſtum obfirmatè tacere, quid fecit? contempſit illum: indicavit fatuum, ac judicii expertum, & tam incultum, ut videretur, neque perſonam ſuam, neque prudentiam ducere, ut cauſam inſtitueret; ſed ut ſtolidum ac ſtultum tractaret, vana omnia judicans, quæ de ipſo audiſſet. Iccirco juſſit illum indui veſte alba, qui cultus erat ambientium aliquam dignitatem, ut eum ridiculum redderet, & ut reum affectati regni proponeret. Cogita irriſiones palatinæ Herodis familiæ, inſolentiam militum, lætitiam Sacerdotum, totius populi ſenſum. Verùm ingredere cor Jeſu: vide, ut ferat illam contemptionem, ut eam Patri æterno offerat. Vide, Perſona Verbi quo-usque ſe demittat, ut ejus potentia tam videatur eſſe tenuis, ut nihil agere poſſit; Sapientia credatur eſſe inanis. Diſcè perferre, quod videbitur eſſe intolerabile; contemni, & rationis impos, imprudens, ac ſtultus judicari. Sic, *D*omine, ſanare vis meã ſuperbiam, & deſiderium mea talenta in lucem proferendi & occaſionem præbes pudore me confundendi; dum interea tam ſollicitus ego ſum, omnem à me umbram contemptus removendi: & tu nè verbum quidem proferſ ad tantam ignominiam repellendam. Quâ igitur fronte pòtero dicere inpoſterum, videndo *De*um ipſum ita tractatum, nullam me injuriam toleraturum. Nonne hoc eſt magis Chriſtum ſpernere,

quam ſprevit Herodes, nullam tantæ humilitatis rationem ducendo. Ah, mi Domine, fac agnoſcam magnam gloriam, quæ cortice contemptionis tegitur, quando ad imitationem tui toleratur moderatè. Adhuc nec intellexi, nec feci.

Feria VI.

MEDITATIO XXXVI.

PUnctum primum. Herodes etſi non condemnavit Chriſtum, non tamen liberavit, ſed gratum facturus Pilato, judicium ei commiſit. Ita homines placere hominibus curant ex Chriſti calamitate, Chriſto autem placere parùm ſatagunt; magisque ſolliciti ſunt de fama, quam de conſcientia; magisque cauti, nè ſibi irrogentur mala, quàm ut impediantur. Sic agit Herodes: non liberat innocentem, ſed gratificatur Pilato: non impedit condemnationem Chriſti, ſed videri non vult id facere. Vide, an talibus utaris principiis. Secundò conſidera, Pilatum ad liberandum Jeſum Herodis facto fuiſſe uſum, qui eum non condemnaverat; teſtificatum proinde, nihil in eo ſe caſtigatione, vel morte dignum invenire. Ecce Chriſti ſanctitatem, & innocentiam, contra quam malignitas accuſatorum non habet, quod producat. Utinam talis vita tua ſit, non ſolùm inculpata apud homines, ſed, quod majus eſt, in oculis Dei, qui videt omnia, & ſincerè judicat! Non jam dicere tibi poteſt: *nullam cauſam mortis invenio in te.* Quàm multa commiſiſti, quæ te reum apud tribunal divinum mortis, & pœnarum æternarum agunt. Offer pro tuis delictis innocentiam Chriſti, ut cùm examinandus, & judicandus apparueris, non inveniatur in te cauſa juſta condemnationis.

Secun-

Secundum. Pilatus ad liberandum Chriſtum decrevit uti conſuetudine illâ, quâ ad Judæorum preces, ſolemni Paſchatis, captivorum aliquis dimittebatur: propoſuit autem Barabbam cum Chriſto; & dixit populo: quem vultis de duobus iſtis dimitti? Conſidera graviſſimam injuriam Domino in hac comparatione illatam, JESUS æqualem non habet in dignitate, magnitudine, ſanctitate: unde eſſet iniquum conferre illum cum aliquo Seraphino ar[illegible]tiſſimo. Quanta igitur fuit injuria conferri, non cum improbo aliquo, ſed cum peſſimo, latrone, famoſo, ſanguinario, ſeditioſo; cujus ſcelera tam erant recentia, & gravia; ut ſperare potuerit Pilatus, neminem hominum fore, qui vitam hominis tam facinoroſi poſtularet? nam quò deterior erat, hoc magis conſilium Præſidis juvabat. Vide profundiſſimam Domini humilitatem, de cujus vita, & liberatione agebatur, quaſi minùs nocentis, quàm qui erat Judææ peſtis. Eheu, ſemel ita tecum egit Pilatus: at quoties ego? & audeo ſtare ante conſpectum tuum, & intueri te, qui in tribunali cordis mei oppoſui tibi tot creaturas, & æquavi honori tuo unam meam voluntatem, & delectationem? Inſuper immoderatè fero, cùm non habetur ratio mei, cum poſtponor alteri: & mox in pectore, & lingua illud habeo: hoc mihi? ſic agitur mecum? Ignoſce, Domine, & concede, ut compenſandis injuriis tuis tolerare diſcam, quæ ab aliis inferuntur.

Tertium. Principes, & Sacerdotes videntes Pilato conſtitutum eſſe, condemnare illum, quem populus nolebat; odio incitati contra Chriſtum perſuaſerũt populo, ut liberationem Barabbæ poſtularet: Qui peſſimo Sacerdotum obſecutus conſilio petivit donari ſibi latronẽ & ſeditioſum. O malã electionem! Erant adhuc

recentia Chriſti miracula, & beneficia illi populo collata; nihilo ſecius anteponit ſceleroſum Sancto, & auctori vitæ. I nunc: ſequere mundum, qui ſic judicat, qui ſic eligit, qui malos bonis præfert. Et tu, quoties tuâ ductus opinione elegiſti Barabbam, & deſeruiſti Chriſtum vitæ largitorem præ latrone vitæ. Roga veniam: ſtatue relinquere omnia, ne relinquaris à Chriſto. Conſidera porrò ſenſum Chriſti, quanto cum dolore vidit, tam vilem, & abjectum ſe genti ſuæ eſſe? Non minorem in ſimili caſu tu illi dolorem intuliſti. Ab altera parte, quanto ſe affectu obtulit æterno Patri, moriendi pro Barabba, ad vitam cunctis peccatoribus dandam. Ages gratias maximas de tanto amore, quo ille mori gaudet, ut vitam impertiatur aliis. Tandem, obſtupefactus electione tali Pilatus, quæſivit ex populo tumultuante, quid eſſet faciendum de Jeſu: reſpondit populus, crucifigendum. Conſidera, quid ſenſerit Jeſus, ab uno populo ſic habitus, &, quod prævidebat, à peccatoribus multoties crucifigendus; inter quos etiam te videbat. Ad hæc diſce, ex Pilati caſu, quàm pernicioſum ſit, conſilium inire cum paſſionibus tumultuantibus: unde, quam ſententiam exſpectes, quàm Chriſtum crucifigendum. Et tu, qui antehac cum tuis paſſionibus conſultaſti, ſtatue hos conſultores dimittere: & eorum in locum divinam legem, & voluntatem divinam ſufficere, ſicuti Pſaltes dicit, Pſal. 118. *Conſilium meum juſtificationes tuæ.*

Feria quinta.

MEDITATIO XXXVII.

Flagellatio Chriſti.

P*Unctum primum.* Cùm cerneret Pilatus, populum non acquieſcere ſola liberatione Barabbæ, ſed etiam ad crucis ſupplicium Chriſtum poſcere, nec ſine aliqua ſan-

ſanguinis penſione poſſe tumultuantibus ſatisfieri, ſententiam tulit, ut flagellaretur. Conſidera primum, quàm iniqua fuerit hæc Pilati ſententia. Cognovit odium accuſatorum, innocentiam accuſati, expertis culpæ, nec morte digni, eccur condemnat ad caſtigationem tam crudelem? Velle ſatisfacere impotenti accuſantium poſtulationi, nonne injuſtum eſt? nonne eſt abuti poteſtate Judicis? quid Chriſtum juvat bona Pilati voluntas, ſi interim tam luculenta eum afficit injuria? Non illi vanum eſſe debebat, quod, qui non merebatur mortem, non etiam meritum eſſe flagellationem. Ecce, ut multum ſibi præſtare videtur non condemnando ad mortem, etſi licitum eſſe judicet, facere minus, ut declinet majus. O, in quàm multis Chriſtianis invenitur bona voluntas Pilati: non machinantur, nec volunt mortem Chriſto peccato aliquo mortali, flagellare autem venialibus penſi non habent. Hæc eſt relligio Pilati, quam imitantur Chriſtiani, & fortaſſe etiam tu. Tu non dicis cum Judæis, *crucifige*, quia non vis perdere gratiam Dei: dicis tamen cum Pilato, *corripiam ergo illum*. Non times peccatis venialibus innumeris augere plagas Chriſto; omne tamen peccatum diſpicet *Deo*, omne enim offendit. O, ſi timeres offendere *Deum*, caveres etiam venialia. Time, ne paria Pilato facias. Nolebat Chriſtum mori, volebat flagellari; & poſtea etiam occidit. Cave, ne idem tibi eveniat, & ex venialibus ruas in mortalia: propterea vita, quantum potes, omnia.

Punctum ſecundum. Conſidera in flagellatione, quid agat. Auditâ ſententiâ, tacet, acceptat, offert ſe Patri, *Ego in flagella paratus ſum*: exuit ſe veſtibus: offert manus, ut alligentur columnæ. Cogita, quomodo imitari debeas, qua promptitudine offerre te ad omnia, quæ complacent Domino; exuere, quæ illi diſplicent; adſtringere te, pro ejus amore, ad exactam legis

obſervationem. Stat ille ſic ligatus in atrio Pilati ad columnam, circumfuſâ ad ſpectandum plebe, nudatus, ut ſatisfaciat pro peccatis, quibus toties te gratiæ divinæ veſte ſpoliaſti. Ingredere cor Domini: vide ſitim fundendi pro te ſanguinem; vide amorem, quo vult ſatisfacere pro tuis voluptatibus. Ama, erubeſce, dole, gratias age, offer te. Secundò conſidera ſupplicii modum. Flagellatus eſt, non ſolùm ſinè reſpectu, miſeratione, moderatione, ſed cum odio, à carnificibus impiis, validis, inſtigantibus Judæis, etiam pecuniâ promiſſà, animatis voluntate Præſidis, cui conſilium erat, Chriſtum reddere miſerabilem, ad commovendos illâ ipſâ crudelitate ad miſericordiam Judæorum animos. Cum autem tenerrimum eſſet Chriſti corpus, ſudore ſanguinis, multisque aliis cruciamentis debilitatum, tempus anni frigidum, inſtrumenta, quibus feriebatur, barbara; quantum ſacratisſima illa membra dolorem hauſerint? quantum ab omni parte ſanguinis profluxerit, quàm multa carnis revulſæ particulæ per aërem volaverint, plagis ad oſſa usque penetrantibus. Ecce, quantum ſint malum tua peccata, quæ remedium habent adeò violentum. Pro te ſic affligit ſuam carnem Chriſtus innocentem, & tuam tu tam molliter tractas nocentem? Non pudet, tali propoſito ſpectaculo, nolle tolerare paucos flagelli ictus. Oſtendit Jeſus ſuum erga te amorem patiendo; tu non oſtendis, nihil pati volendo. Quid erit de te? tantum facit Chriſtus pro te, tu tam modicum pro illo, & pro te.

Tertium. Conſidera fatigari carnifices, & vices mutare, ſed non fatigari Chriſtum. Tacet: non queritur: non iraſcitur: non declinatione aliqua ſubtrahit ſe ictibus: ſuſtinet ſupplicium illud quaſi mancipium, cùm ſit *Dei filius*: non mollit blando aliquo obtutu percutientium ferociam: non ſe comendat: non dicit, ſatis eſt, ictibus in aliquot millia productis. Ipſe ſibi auxiliari po-

terat in tam cruciabili flagellatione: verùm ſuâ potentiâ nihil agit aliud, quam confirmare patientiam: non tamen lenit dolorem. Quid hic agis? non erubeſcis, ſubitò laſſari te in obſequio Dei, omni modicâ moleſtiâ, omni difficultate proſterni, quidvis aut nimium, aut ſatis videri. Conſidera Chriſti ſenſum, nudi, inter hoſtes tantos: quorũ rabies & impudentia calcar erant ad infligenda verbera, & offutienda verba injurioſa, audiente Jeſu. Provolvere pedes ad columnam ligati: audi, quæ ad cor tibi loquitur: agnoſce te tantorum cauſam tormentorum, quæ ſuſtinet pro te: para illi cor intimis affectibus: roga, ut, quoniã tantum iſtis tortoribus dat ſanguinis, tibi non neget unicam guttam, ad emolliendam cordis duritiem; & columna illa ſit terminus tuæ ingratitudinis, & robur tuum in omnibus occaſionibus confuſionis, & doloris occurrentibus.

Feria ſexta.

MEDITATIO XXXVIII.

Chriſti Coronatio.

Punctum primum. Dominus, ſive ſolutis, ſive ruptis funibus, corruit in terrã, nemine allevante, ſanguine circumfuſus. Veſtem nemo porrigebat: quærere per terram reptando cogebatur: & eſt credibile, turbã illam inſolentẽ, & efferatam in Chriſtum, ad majorem cruciatũ, & ludificationẽ, veſtes, modò in hanc, modò in illã partem calcibus protruſiſſe, ſimul verba injurioſa jactaſſe. Conſidera patientiam Chriſti in his perferendis voluntariam, ſine querela, conſtanti modeſtia, & manſuetudine. O quàm verum eſt, hunc agnum *coram tondente ſe obmutuiſſe, & non aperuiſſe os ſuum*, Iſa. 53. Gratias age, & facienda diſce, admirando tranquillitatem illam; abſque ira, & triſtitia conſervatam. Secundò, conſidera inſatiabilem militũ illorum cruciandi, illudendiq; cupiditatem. Incipiebat iterum veſtire ſe

Do-

Dominus; cum memores, reum actum Regni affectati eſſe; voluerunt, ut perſonam Regis per deridiculum ageret, & flagellationi coronatio ſuccederet. En, ut unum peccatum naſcatur ab altero! ut adeò vanum ſit credere, indulgendo tentationi uni, immunem aliarum tentationum importunitate animum manſurum. Vide, ut illi uno ex peccato gradum proferant in aliud! Tu cave decipi: reſiſte tentationi: crede indubitanter, commiſſum peccatum, niſi aboleatur, *pondere ſuo mox ad aliud peccatum trahere*, teſte S.Greg. & culpam unam ſternere viam ad alteram. Milites induunt Jeſum veſte purpurea, attritâ, & ſordidâ: ſedere jubent: deinde coronam de ſpinis plectunt, longis ac duris, ad formam pilei depreſſi, totum caput integentis, &, ne contactu lædantur, fuſtibus, & cannis adigunt in caput; ita, ut omnes ſpinæ vulnerarent, aliis usque ad cerebrum penetrantibus, aliis per frontem erumpentibus, aliis per tempora, ſummo dolore affligerent ſanctiſſimum caput, ex quo diverſis in partibus defluebat ſanguis. Conſidera doloris acerbitatem, in parte tam acuti ſenſus, continuati usque ad mortem crucis. Dolor aliquis capitis, ut nos excruciat? una ſpina in ungue, ut acerbè transfigit? Quid fecerint ſpinæ tam multæ in illo capite? divinitas ſuſtentat humanitatem, ne moriatur: at non lenit dolorem, ne quidem ad punctum temporis. Quomodo permittis, ô Pater æterne, tanta pati filium tibi dilectiſſimum. Et tu, mi Jeſu, non habes in terra pretioſius aliquid ad coronandum te, quam ſpinas? Video effectum tui amoris, ſicut in flagellatione atrociſſima, à capite usque ad pedes, ad ſatisfaciendum pro meis noxis; ita in ſpinis iſtis, ad abolendam vanitatem cogitationum mearum, falſorum judiciorum, conſiliorum, deliberationum. Utinam intelligerem, quæ cordi meo loqueris, dum ſpinis coronatus exprobras iniquitatem meam, qui membrum de-

lica-

licatum ſum, ſub capite ſpinis pleno? Cum iſta corona oſtendis te Redemptorem amantiſſimum: ſimul tamen admones me, me non eſſe recenſendum inter tuos, ſi in vita mea non aliud egerim, quàm indulgere genio, voluptatibus, ſenſibus. Fac me intelligere iſtam veritatem, ut, ſi tu ſpinis es coronatus, non mihi frenum laxem in mei corporis appetitiones.

Punctum tertium. Milites non contenti coronatione, tradunt in manus, loco ſceptri, cannam, quâ ſignificare volebant, eſſe Regem Regni alicujus fragilis, inanis, nullarum virium. O ſi te, Jeſu cognoſcerent, ſcirent utique, illum te eſſe, qui Regna diſtribuit, qui Reges in ſolio collocat, qui lateri ſuo inſcriptum gerit, *Rex Regum*: cujus Regnum ſit ſtabile, & æternum: cujus tam multi ſunt ſubditi, quàm multæ ſunt res creatę. Conſidera porrò circumſtantias hujus tormenti. Convocant totam cohortem militum: ſinguli ingeniculantes ſalutant cum jocu lariter: *Ave Rex Judæorum*: eripiunt cannam, eaq; caput percutiunt: faciem conſpuunt: alapas infringunt. Pondera gravitatem ſingularum iſtarum circumſtantiarum: verba injurioſa, irriſiones, geſtus omnes ad illudendum compoſitos, quibus alios alii vincere contendebant. Vide, quorſum redactus ſit Jeſus, Dei Filius? ad ſerviendum oblectationi vilis turbæ. Vide, ut tacet, ut non reſiſtit, ut mira tranquillitate, tantos contemptus, cruciatus, ictus perfert? ut ad ſpeciem illam miſerabilem omnis tortorum indureſcit condolentia, etiam naturalis. Inſpice cor Domini, quanta cum patientia ferat omnia pro ejus peccatis? para tibi de contemptu illius, de ſanguine, & lachrymis gloriam: compone emplaſtrum ad ſananda vulnera tua: & projectus ad pedes illius adora, ut Regem tuum: honora ſincerè, & dic, *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus.* Æternum te ſervum mancipa: non verbis, ut huc-usque feciſti, Regem Deumq; tuum confitendo, factis autem illudendo.

MEDITATIO XXXIX.

Pilatus monſtrat Jeſum populo.

PUnctum primum. Chriſtus in hac ludicra, & erubeſcenda Regis ſpecie ad Pilatum adductus eſt. Cùm videretur eâ forma jam aptior eſſe ad molliendam,& placandam Judæorum ſævitiem,& eximendum timorem de Regno occupando; produxit illum de podio ſpectandum,& dixit, *Ecce homo.* Significare volebat,non eſſe illam ſpeciem ad Regnum adſpirantis; deeſſe potentiam,exercitum,Regalem apparatum, vix hominis ei formam relictam. Conſidera confuſionem Domini, formâ ſic immutatâ, ſtillantibus cruore membris,in conſpectum inimicorum ſuorum producti,qui tantis oblectabantur injuriis; dolorem quoque, & afflictionem amicorum, inter quos etiam Virgo mater aderat. Omni tamen modo diſſimulat omnia bonus Jeſus,& ſumma cum patientia,ac ſerenitate animi offert æterno Patri ſuam confuſionem: *tu ſcis confeſſionem meam.*Fige etiam tu oculos mentis in Chriſto. Non dic amplius cum illo ægroto :*hominem non habeo,* Joh.5. Ecce hominem ſimul,ac Deum,qui tibi Pater, amicus, Redemptor eſt; adhæc ſocius,paſtor,paſtus,vita,& omne bonum; per hunc hominem condonabuntur tibi peccata, dabitur gratia, cœlum aperietur. In hoc ſpes tua eſt,tuum perfugium: hunc offer,cum hoc contrahe amicitiam,huic ſervi, hunc ama: quod niſi feceris,poterit Jeſus tibi dicere de te: *Ecce homo, qui non poſuit Deum adjutorem ſuum, ſed prævaluit in vanitate ſua.* Pſal.51. Dic igitur æterno Patri: *Ecce homo*: qui eſt mediator meus: quem affero cum omnibus tormentis ſuis: per hunc rogo,& culparum veniam,& vitæ emendationem.

Punctum ſecundum. Conſidera,quid egerint Judæi. Pro miſeratione,cernentes ita flagellis laceratū,& ſan-

guine

guine ſtillantem, proſequuntur ſuum conſilium: depoſcunt ad crucem. Ergone inſatiabilis eſt veſtra rabies? nondum expleta invidia? nondũ odium extinctũ? Conjice hinc, quæ natura ſit paſſionis pravæ: quæ, cum ex parte placata eſt, non acquieſcit, donec deſiderii totius fiat compos: ſemper dicit: *affer, affer*. Obtinuerat Hebræorũ odium, ut Pilati imperio flagellaretur: erat aliqua ſatisfactio hæc flagellatio, ſed non integra; proinde poſtulant compleri. Quare diſce, paſſiones regi frænando, non modicè indulgendo, qui adduci nõ vult ad graviora. Quid egit Pilatus? *accipite eum vos, inquit, & crucifigite.* Illi: nos legẽ habemus, cujus obſervatio exigit, ut ille moriatur, *quia filium Dei ſe fecit.* Quid dicis de iſtis hypocritis? Profitentur ſe legis divinæ vindices: & effrænata paſſio ad propoſitum exequendũ utitur titulo obſervationis. Vide, an hoc prætextu perturbationes tuas obveles. Vide etiam ſenſum Domini, qui ſic à ſuis agi ſecũ cernit, falſum Dei filium, & ideò mortis reum, blaſphemũ & ſacrilegum appellantibus. Taces; ô mi Jeſu, non te defendis, neq; convincis obſtinatos, verum te filium Dei eſſe: ſed quantò potentior es, tantò demonſtras te patientiorem. *Punctum tertium.* Pilatus audiens Chriſtum à Judæis incuſari de uſurpato Filii Dei nomine, cœpit dubitare, an ſupra hominem aliquid eſſet, & filius, ſive Jovis, ſive Herculis, cùm eſſet Gentilis, & falſorum Numinum cultor. Unde Chriſtum aliò ſeductum, clarè cognoſcendi ſtudio, interrogavit: *Unde es tu?* Tu quoq; deſidera cognitionem claram magnitudinis, & majeſtatis Jeſu, ut ei ſervire poſſis cũ affectu: & quamvis noſti, non eſſe purum hominẽ, ſed ſimul Deum; itera tn. ex animo illud, *noverim te:* quia diverſa eſt cũ cognoſcẽdi ratio. Roga igitur illum, ut eo modo cognoſcas, quo ad amandum, & promptè ſerviendum ducaris. Verùm quid fecit Jeſus? non reſpondit Pilato. Cur non reſpondes, Jeſu? ſcis Pilatum interrogare amicè, liberandi tui deſiderio: cur non ei te manifeſtum facis? in ſumma,

taces : quia plùs amas meam ſalutem, quàm tuam vitam : non impendis tuam condemnationem, ut tuearis meam ſalutem. O ſi nôſſem meam obligationem in hoc tuo ſilentio! quantùm id me accenderet ad æternam tui laudationem! *D*oluit Pilatus, non reſpondiſſe Chriſtum: propterea ſubjunxit : neſcis, & condemnandi, & liberandi te mihi eſſe poteſtatem? Reſpondit Chriſtus : nullam illum, niſi à cœlo habere poteſtatem. O reſponſum, quo nititur juſtorum conſolatio in medio ſuarum ærumnarum. Sciunt, nullam in ſe malitiæ humanæ eſſe poteſtatem, niſi quàm Deus permittit : & ex hoc non curant perſequentium malignitatem, ſed animum erigunt ad conſiderandum divinum amorem, qui cuncta componit illis, qui humili obedientia ſe ſubjiciunt. Sic etiam tu age : & ſemper pace interna frueris. Roga Jeſum, ut hunc tuo cordi ſenſum imprimat.

Dominica Paſſionis.

MEDITATIO XL.

Pilatus de novo agit de liberatione Chriſti.

P*Unctum primum.* Pilatus Chriſti reſponſione ambiguus de ejus divinitate, multò tamen certior de innocentia; ſtatuit eum liberare; & egit de novo cum populo, cujus jam ante perſpecta erat voluntas de ſupplicio crucis decernendo. Conſidera hîc errorem Judicis : poteſtatem habebat liberandi : cognoſcebat innocentiam accuſati, malignitatem, & odium accuſantium : & cum his tractat de liberatione, & de horum liberare vult voluntate. Cur ſe ſubjicit arbitrio Judæorum, quibus non eſt ſubjectus? cur non liberat ſine ambagibus? difficile eſt perturbatum revocare ad rationem : & qui ſimul ſatisfacere debito ſuo vult, & indulgere partium voluntati, facile diſcedit ab æquo, uti

fecit

ſecit Pilatus. Peputa tuas actiones: an cum tua obligatione conformare tuas velis paſſiones, ut hominibus ſatisfacias. Quid fecit populus? Cum videret Pilatum inclinatum ad liberationem; minatus eſt jacturam gratiæ Cæſaris; quod hoſtis ſit, & rebellis Cæſari, quiſquis eſſe Rex moliatur. Ecce punctum, quod Judæis cauſam obtinuit: timor nimirum Pilati, nè gratiâ Principis, ac Domini ſui excideret. O Lydium lapidē ejuſcemodi timorem: quo cum haud facile ratio, & juſtitia junguntur. Tune ſic agis? Beatũ te, ſi non alius in tuo corde ſit timor, quàm perdendi amicitiã *Dei*. Ora Jeſum, nè ibi inveniatur, ſive cupiditas rerũ fluxarũ, ſive favor humanus, ſive reſpectus aliquis, qui prævaleat amicitiæ Dei.

Secundum. Pilatus produxit iterum populo Jeſum, & in ſuo conſidens tribunali dixit: *Ecce Rex veſter*: & clamare cœperunt omnes: *Crucifige eum*. Conſidera grande populi hujus ingrati odium, contra perſonam adeò ſanctam, & innocentem, tam injuſtè, & furiosè agentis, poſt tanta accepta beneficia. Adhæc, quàm ſubita hæc mutatio? paucos ante dies feſtos eum clamoribus in urbem introduxerunt; *Benedictus, qui venit in nomine Domini:* modò clamant, *tolle, crucifige.* Quàm exigua ratio habenda eſt benevolentiæ, favoris, & affectus creaturarum, tam mutabilium! quid de novo commeritus eſt Chriſtus, cur populus, immemor ingresſûs adeò ſolennis, cruci vellet affixũ? Quoties tu ſic agis. Nunc totus es *Dei*, ſoli ſervire cupis; paulò poſt mutatus es totus, quaſi nunquam eum cognoviſſes. Adverte, Deum non mutari: & ſi eum aliquando cognoſcis, retinere ſemper voluntatem eandem debes. Cogita prætereà, ſi tanta fuit Judæorum vociferatio, majorem clamorem fuiſſe amoris, quo Jeſus pro nobis mori poſtulabat; ita, ut contra temetipſũ clames, bone Jeſu, ad æternum Patrem, dum te magis premit redēptio mea, & ſalus, quæ vita tua. Fac tanto me

amori ſubjiciam,& procul à me removeam, quidquid à te ſeparare me poteſt.

Punctum tertium. Iterum Pilatus. Vultis igitur, ut Regem veſtrum crucifigam? Reſpondent illi: *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Peſſima mentis explicatio? quâ magnam injuriam Chriſto intulerunt, publicè Regem negando; & magnam ſibi infelicitatem conciverunt, Cæſari Regnum addicendo. Quanta fuit iſta cæcitas, recuſare Jeſum Regem manſuetum, & velle Cæſarem Regem ſuperbum, & ipſis gravem. Verùm cur hos damno Judæos? Miſerum me! quoties excuſſi ſuave Domini jugum, legem & obedientiam detrectando; & ſponte me ſubjunxi ſervituti mearum paſſionum, & mundi! per quam impotenter ſuperbia, utilitates meæ, ambitio, ſenſus imperare mihi contendunt; & ego perquam libenter illis obedio. Ecce, mi Jeſu, ad pedes tuos abdico me omni altero affectu: invito te in cor iſtud, ut ibi regnes, deſiderans ſemper dicere, ut modò dico: *Non habeo Regem, niſi Dominum Jeſum.* Ad extremum, expende ſenſum Chriſti, & Virginis, quæ, uti piè creditur, hac voces, & condemnationem filii præſens audivit. Quàm acerbus fuit Matris dolor, videntis pertinaciam, invidiam, & cæcitatem hujus populi, qui Chriſti Regnum detrectans in caput ſuum indignationem Dei, & interitum provocavit. Condole Virgini, & roga, ut conſtantem tibi voluntatem impetret, ſemper adhærendi Filio, & nullius amore creaturæ relinquendi.

MEDITATIO XLI.

Chriſtus condemnatur ad mortem.

P*Unctum primum.* Cernens Pilatus liberationem Chriſti non ſuccedere, & tumultum excitari; lavit manus in omnium conſpectu, proteſtatus, mundum ſe eſſe à ſanguine hujus innocentis, & immunem culpâ; vindictam de illis expetendam. Expende hîc ſtultitiam

Pilati

Pilati. Lavat manus, quaſi id ſufficiat ad lavandam conſcientiam. Fatetur innocentem, & juſtum eſſe, quem judicat, & condemnat. Vide, quid faciat tumultus, huic cedit, quaſi judicium honeſtari tumultu poſſit. Ecce infirmas excuſationes, quibus acquieſcit, & omnem culpam in Judæos rejicit. Quoties hoc ipſum nos facimus! Auctores culpæ ſumus, & excuſamus, ſive infirmitatem naturæ, ſive urgentem occaſionẽ, ſive dæmonis perſuaſionem, & ſimiles prætextus; & noſmet abſolvimus, vel parùm culpabiles agnoſcimus. O mi Jeſu, noli permittere, ut meo me dàmno decipiam, & culpis meis blandiar: *non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt.* Quàm diverſum eſt à noſtro tuum judicium! tu juſtè culparum gravitatem ponderas, quia eas vides, ut ſunt: miſer ego ob meam cæcitatem, & inordinatas affectiones velis apertas aſpicio; & propterea modicè me condemno, & multùm excuſo. Fac, ut non errem.

Punctum ſecundum. Populus, audito Pilatum à ſe culpã removere, audacter, & conſenſu reſpondit: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Quaſi dicant: tu pœnam times ob hominẽm iſtum crucifixum à te exigendam: nos promptè in noſtra capita pœnam ſanguinis, qui ſpargetur, omnem recipimus; nos cum poſteris noſtris ei omnes ſubmittimus. Conſidera cæcitatẽ, & infelicitatẽ hujus populi: non capit gravitatẽ ſceleris, occidere filiũ Dei, & obnoxiũ eſſe pœnę facinori tam atroci debitæ. Væ illi, contra quẽ ſanguis Jeſu effuſus vindictã expoſcit. Quàm graviter plectitur ille popul9 ſuperſtes, in hac vita, vaga, ſerva, exoſa, & abominanda; & in altera ignibus ſempiternis mulctanda. Collige ex his, leve, & exigui momenti apparere malum, propriæ voluntatis oblectamento conditum: ſed extincto guſtu graviſſimum effici, quod leve apparebat. In ſumma, nos ipſi maximi nobis hoſtes ſumus, & iniquè damna judicamus, quæ nos ob noſtras voluptates monent.

Deſiderio, mi Jeſu, ut cadat ſupra me ſanguis tuus, ſed ad lavandum me, ad ſanandas meas infirmitates, & ſervandam hanc animam: verùm nunquam permitte, ut per meam incuriam pondus illud ſentiam, & pœnæ ſubjiciar: expelle meo corde iſtam cæcitatem, quæ in extremam ruinam impulit infelices iſtos Judæos.

Punctum tertium. Pilatus tandem ſententiam de Chriſto crucifigendo tulit, ne diſpliceret Cæſari, & ut placeret Judæis, contra omnem juſtitiam, & conſcientiæ propriæ legem. Conſidera, Pilatum principio non ſtatuiſſe condemnare Chriſtum, & cenſuiſſe ad eum liberandum congruum eſſe, aliquo obſequio Judæis, licet contra fas & æquum, ſatisfacere. Hinc diſce, nunquam malo dandum initium, cum ſpe, poſtea emendandi. Nam aditum aperire peccato, ad continuandum, & malè finiendum trahit. Quod evenit Pilato. Præterea conſidera, condemnare ad mortem, actum eſſe jurisdictionis ſupremæ. Ab altera parte perſona Chriſti, veri Dei, & ejus vita erat infiniti valoris: eſt adeò permiſſum Pilato exercere contra Deum illud, quod judex aliquis, & Princeps agit contra latronem. Vide ad quantam ſubjectionem reductus ſit Chriſtus! O rem inauditam! Res foret miriſſima, ſi Deus homini poteſtatem in cœlum faceret; & quomodo non obſtupeſcas, dediſſe jurisdictionem homini idololatræ, & malo in vitam ſui filii, nulli alteri ſubjecti; & hoc pro noſtra ſalute? O immenſam Dei charitatem! Tandem expende varios animorum ſenſus, dum Pilatus ſententiam pronunciaret. Quantâ geſtiebant lætitia inimici Jeſu? quas gratias egerunt Pilato? Quanto amici Jeſu dolore corripiebantur, ſanctiſſima inprimis Virgo? Tu quoque dolorem in te excita, qui cauſam tuis peccatis huic ſententiæ dediſti, & cave inpoſterum novis culpis Chriſtum crucifigere.

Feria

Feria ſecunda.

MEDITATIO XLII.

Crux offertur Chriſto.

PUnctum primum. Judæi non perdunt tempus. Dum agitur cum Pilato de morte, & cruce Chriſti, jam illi crucem parant, non dubii obtinere à Pilato exſecutionem ſui deſiderii, poſtquam tantum jam impetraverant. Et icċirco conſidera gravem afflictionem, quam attulit Chriſto cognitio tantæ Judæorum malevolentiæ, & ſollicitudinis in præparanda cruce, & curæ quâ omni agebant, & deſignabant carnifices crudeliſſimi: in ſumma omnia illa conſilia, quæ contra innocentiſſimũ agnũ agebantur, quò, impetratâ ſententiâ, ſine mora reſpoſſet cõfici. Expẽde: ſed quãtò promptior erat Jeſus, tantò deſiderabat ardentius, & longius illam horam, quanto affectu offerebat Patri ſuorum hoſtium conſilia, quantâ patientiâ ferebat malevòlentiã, nullo ſigno offenſionis edito; quantum diſplicebat, mortem illam, ſibi deſtinatam, & à ſe pro illorum liberatione acceptandam, eorundem culpâ, ceſſuram ipſis in damnationem! Doces me, Domine, in hoc puncto, ſuſtinere ſiniſtras aliorum cogitationes, & machinationes; doces deplorare meas, quas impensè obſequendo meo genio ſtruxi, cum tua offenſione.

Punctum ſecundum. Conſidera, quæ pronunciatâ à Pilato ſententiâ, Chriſtus egit, quæ egerunt Judæi. De primo: non protulit Chriſtus verbum unicum: non doluit de ſententia Judicis injuſta, de ingrati, & maligni populi facinore. Cur ad hunc modum egit Chriſtus? Videbat, in hanc mortis ſententiam non ſolùm concurriſſe timorem Præſidis, & odium inimicorum; ſed acceſſiſſe voluntatem Patris, & decretum SS. Trinitatis, ut poſtea S. Petrus dixit in Act. *Convenerunt verè in civitate iſta, adverſus ſanctum puerum Jeſum, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Iſrael,*

facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri. O mixturam inſolitam! Reſpexit Chriſtus ad conſilium Patris, & ei promptè ſe ſubjecit: non reſpexit ad odiũ ſuæ gentis. O ſi tu ſcires imitari Jeſum, & in omni eventu tollere oculos ad *D*eum, qui ſic diſponit, quàm bene progredereris in adverſis, & contrariis! Ad alterum quod attinet: Judæi effecerunt, ne vel punctum temporis differretur exſecutio: & ideò mox exutus eſt Jeſus illa ludicrâ purpurâ, & ſuis veſtibus indutus, relictâ coronâ de ſpinis. Ecce cunctos intentos ad conſciſcendum Domino dolorem, & ignominiam, ut incedat confixus illâ coronâ, ſed ſuis veſtibus indutus, ut ab omnibus noſcatur. In ſumma, nulla apud illos miſeratio. O bone Jeſu, nec tuimet te miſeret: ſemper pœnarum, ſemper ignominiarum es avidior. Tibi gratias ago, tibi condoleo, & doleo, tanto ſtare tibi pretio meas voluptates, & peccata.

Punctum tertium. Suis jam induto veſtibus *D*omino, mox ab illis miniſtris offertur crux, ut eam portet. Conſidera crudelitatem Judæorum. Fuit hoc graviſſimum tormentum Chriſto, lacerato ac debilitato; & ignominia inuſitata. Quis enim reorum portat, & intuetur ſupplicii ſui inſtrumentum? Erga Jeſum nulla miſericordia. Ita novo tormento gravat antecedentia. Hoc feci ego toties, quoties præteritis offenſis adjunxi novas. Quid porrò Chriſtus? erigit oculos, & multò magis animum: accipit crucem, quaſi à Patre oblatam à principio ſui in terram ingreſſus: amplectitur, ut ſociam: inſtituit, in vexillum ſuorum militum electorum: humeris quaſſatis imponit, portandam in hoc ultimo itinere, dicendo, *propterea veni in horam hanc* Jo. 12. Conſidera excelſum animum, quo eam pectori admovet; & ut Iſaac alter, lignum humeris excipit, ſupra quo ſacrificetur. Non terret, neque ejus magnitudo, neque attritarum virium debilitas: nihil, cum de tua ſalute agitur, illum

mo-

moratur. Tunc idem agis, ubi illius id obſequium, & honor requirit? Finge, ad te converſum tibi dicere: ego iter in cœlum ingredior: ecce modum eò perveniendi, cum cruce humeris injecta, ſequi lubet? faciendum tibi eſt, quod me cernis facere. Quid reſpondes? tergiverſaris? ſine cruce non poteris vivere: meliùs eſt, ut excipias crucem Chriſti, quàm tuarum appetentiarũ, & mundi: illa ſervat, & beatũ facit; iſta perdit, & damnat.

MEDITATIO XLIII.

Egreſſio Chriſti in montem Calvariæ.

P*Unctum primum.* Conſidera afflictionem, & ignominiam Chriſti, domo Præſidis egreſſi, crucem humero portantis, infame & execrabile patibulum, quo ut facinoroſus, & in ea mori dignus notabatur. Conſidera plauſum, quo primo illo conſpectu exceptus eſt, cernitur aſſociatur binis latronibus, in argumẽtum magnorũ ſcelerum, & auditur à præcone Rex falſus proclamari. Quid tu de hac Domini filii Dei ærumna judicas! *ſi ſpectet pietas grande myſteriũ, ſi ſpectet impietas grande ludibriũ, ait Aug.* Quid Angeli dicitis? iſte Dominus in ſinu Patris ibi eſt inter duas Perſonas divinas, hîc inter duos latrones, quaſi eorum caput: ibi myriades multæ Angelorum illum adorant, hic multa millia hominum contemnunt. Ecce Jeſum incedentem verſus calvarium dedecore & ignominiâ opertũ, ut æternos tibi mereatur honres; execrabilẽ viſum hoſtibus, ad removendam æternam execrationem, tuis debitam peccatis. Subit publicã illam infamiam, ut filii Dei tibi comparet appellationem. Quantùm, ô mi Jeſu, tuo debeo amori! quàm tamen ingratus vivo! omnis umbra difficultatis in obſequio tuo objecta, me fatigat: omnis timor exiſtimationis perdendæ me retrahit: verbum unum, nutus unus, quo res mea videatur detrimentum capere, enervat. Erubeſco, ad tuos abjectus pedes; & vires in obſequium firmum atque conſtans demiſsè poſtulo.

Secundum. Conſidera graves Domini perpeſſiones in hac via. Portabat humeris crucem, trabe extremâ terram verrente, & eâ lapidibus illiſâ corpus concutiente, recrudeſcentibus ad ſingulos paſſus plagis; & creſcente magis magisque debilitate nutabat, & oppreſſus pondere cadebat. Quid tunc agebas, ô bone Jeſu? non abjiciebas crucem: progrediebaris, quamvis in vicem auxilii audires contumelias, & calcibus urgereris: tacebas, offerebasque illas perpeſſiones ad iter mihi ſternendum facile in cælum: cumque ſentires acerbiùs miſerias illi populo imminentes, quàm tuas, admonebas, ut ſeipſos deflerent. Diſce hinc conſtantiam in virtute cœpta, & edomatione tuarum affectionum; quamvis repugnet, & affligatur ſenſus. Vide porrò, quantò ſtet malorum tuorum remedium Domino: propterea ob oculos tibi verſetur continuò hæc Redemptoris tui via. Cogita, ſis ne lignum aridum, bonis operibus vacuum, igne dignum, quale erat ille populus: & ſi tanto ſtant peccata tua Chriſto, qui erat innocens; quanto perſolves tu, qui es nocens? *quia ſi in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Quare precare Jeſum, ut tibi largiatur gratiam deflendi nunc tuas culpas, & parendi datæ filiis Jeroſolymæis admonitioni: *ſuper vos ipſas flete.*

Tertium. Conſidera Judæos, ut non miſerationis affectu, ſed crucifigendi Jeſum deſiderio, coëgerint Simonem quendam ad crucem portandam. In oculis hominum, adigere ad id faciendum hominem iſtum, erat grandem inferre injuriam; ſed, ſpectatâ veritate, fuit gratia grandis: quoniam illuſtratus à Chriſto, & particeps ignominiæ factus, poſtea etiam gloriæ particeps eſt factus. Ita, ſi tu ſocius Domini fueris in ignominia, etiam ſocius eris in Regno. Excitare igitur ad portandam cum Chriſto crucem: non judicia & opprobria hominum te retardent: non cortex, & ex-

terna

terna hujus confuſionis ſpecies terreat: rimare medullam hujus felicitatis intus latentem. O fortunate Simon! durum tibi videbatur principio portare iſtud patibulum: verùm quàm dulceſcebat in progreſſu, quando cognoviſti, cujus eſſes auxiliator! Illuſtra me quoque, Domine; ſubduco me, quia ignoro, quàm ſit glorioſum portare tui amore crucem. Expende quoque occurſum Jeſu, & matris. Veniebant in obtutum mutuum iſtæ perſonæ: duo illa corda tantopere inter ſe cohærentia, & viciſſim inter ſe afflicta, interrogabant voce amoris, & reſpondebant verbis doloris: deſiderabat mater pati pro filio: & offerebat vitam filii pro ſalute Mundi. O quantum debes Virgini! age gratias illi ſummo cum affectu: addic illi tuam ſervitutem; tuam committe ſalutem; ab illa diſce tanquillitatem, & permittere te Deo in adverſis.

Feria III.

MEDITATIO XLIV.

De præcedentibus crucifixionem.

P*Unctum primum.* Conſidera ſtatum Domini internum, & externum, calvario jam conſcenſo. Quoad externum: debilitatus erat viâ longâ, effuſione ſanguinis continuâ, diverſæ crudelitatis exemplis. Quomodo non obſtupeſcis omnem iſtorum erga Chriſtum exaruiſſe miſericordiam, contrà quam uſuvenit erga reos, quanquam ſceleratiſſimos. Obſerva hic ſingularem amoris impetum deſiderantis Jeſu multa pati. Non ſufficiebant ordinariæ pœnæ ad ſatiandã patiendi famem immenſæ illius charitati: oportebat ultrò procedere, ut impleretur illud: *ſaturabitur opprobriis.* Aſpice illum in edito ſupplicii loco, occiſorum hominum calvariis obſito, horrore, & ignominiâ pleno,

medio diei, feſto celeberrimo, poſitum oculis maximæ multitudinis ad majus dedecus expoſitū! Pondera hæc adjuncta, non fortuita, ſed à providentia conſtituta. Si ſpectaveris interna; videbis illum alacrem & ardentē ad perficiendum ſacrificium, ad omnium ſalutē deſtinatū. Quid tu ad hæc? agnoſcis quantum fecerit, & affectu quanto? expleto omni obſequio debito, non te ſervum inutilem dixeris? quid erit, non attigiſſe vel procul hanc metam! Agnoſce, quanta ſit obligatio tua, & agendi gratias Domino, & frigus tuum deflendi, & ad imitationem animum advertendi.

Punctum II. Conſidera, quale allevamentū cruciatuū priorum acceperit Jeſus. Via à domo Pilati usq; in ſummum Calvarii erat cruciabiliſſima: in qua oneratus cruce, & ſua magnitudine, & peccatis mundi ponderoſâ onuſtus, cum ſummo dedecore, multitudine circumfusâ, præcedentibus latronibus, circumdatis militibus, vexatione varia inſectantibus; ſequentibus Phariſæis, victoriâ geſtientibus; in tam diverſo populi ſpectantis ſenſu ad ſupplicium erat raptus. Rationi tamen conveniebat, ut ſolatiū aliquod acciperet, in ultima illa rerum linea reis largiter adferri conſuetum. De Jeſu non cogitant, aut cogitant ad magis affligendum: *dabant ei bibere vinum felle mixtum*. Ecce inuſitatam vini & fellis mixturam! ſed non vis, mi *Domine*, aliquem ſenſuum tuorum vacare pœnâ. Sic noſtræ gulæ peccata expias. Quare obſerva, guſtaſſe ad cruciandum palatum, non ad levandam ſitim. *Doces* mortificationem, Domine, in omni re: ex adverſo quæro ego omnem commoditatem, ô quâm diſſimilis eſt mea vita tuæ! Si jam olim de hoc doluiſti per Prophetam, *dederunt in eſcam meam fel!* poteris pariter dolere de nobis, qui continuò tibi fel offerimus in operibus noſtris malè factis. Studeamus igitur tollere omnē conquerendi de nobis occaſionem. *Punctum III. Dum* alii præparant crucem, & foſ-

& foſſam effodiunt, alii detrahunt Chriſto veſtes. Conſidera hîc dolorem, & pudorem Chriſti. An credibile eſt, cautè ac dextrè veſtes à lacerato plagis corpore abſtràxiſſe? Fortaſſe etiam coronam detraxerunt de capite, & novo cum cruciamento repoſuerunt, & tu *D*omine taces: non mones, ut moderatè, & ſenſim trahant: pateris omnia, quamvis atrocia. Quam tua excuſationem habet impatientia? quæ qualibet levi ex cauſa prorumpit? Commiſerare Jeſum, cui nulla adhibetur miſericordia: & diſce tibiipſi imperare in adverſis. Expende adhæc confuſionem *D*omini, nudi inter petulantes, & impudicos conſiſtentis. Sic mih comparas, *D*omine, veſtem gloriæ, & doces cor meũ exuere omni rerũ fluxarũ affectu ad ſanctam mortem obtinendam. Sic agere deſidero: & precor, ut propter nuditatem tuam largiaris mihi veſtem gratiæ, quâ, liber omni peccato, & bonis veſtitus operibus in extremis vitæ meæ inveniar.

MEDITATIO XLV.

De crucifixione Chriſti.

P*Unctum primum.* Cruce apparata, jubetur Chriſtus ſuper eam ſe extendere, & manus, pedesq; præbere, ut duris clavis in illam affigatur. Conſidera promtitudinem Domini, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*: non tamen agebatur de lecto aliquo molli, ſed duro; non ad quieſcendũ, ſed moriendũ, non intra ſuos, ſed latrones: non cum conſolatione, ſed cruciatu; ſine miſericordia, acerbo cum riſu. Et hanc promptitudinem oſtendit ad nutũ militum, & hoſtium. Conſidera porrò, quæ Jeſus in cruce extenſus fecit. Quanto cum affectu erectis oculis, totum ſe ſacrificas, ſuam vitã offerendo, ad honorandum Patrem, & nos ſervandos. Et non erubeſcis, cogitans te promptũ eſſe ad obediendũ ſenſum, inclinationibus tuis, mundo, hominibus, in rebus tuæ ſaluti adverſantibus: non autem promptum ad conformandũ te voluntati divinæ, in illis quæ ad honorẽ *D*ei, obſervationẽ legis, bonũ tuũ pertinent, ſtatue

aliquan-

aliquando obedire, etiam in contrariis, & ſenſui moleſtis rebus.

Punctum ſecundum. Conſidera, ut transverberent duro clavo dexteram Chriſti, & funibus pertrahant alteram ad locum denotatum. Sic etiam pertundunt, ſummo cum illius dolore, acutiſſimo ut in partibus nervoſis ſenſu. Et hinc cognoſce luxationem oſſium, rupturam nervorum, ſanguinis eruptionem ex venis. Et ſecundùm iſta erigunt crucem, & in foveam demittunt, ſuo pondere concuſſam, magna ſanctiſſimi corporis conquaſſatione. Quæ tibi, ô mi Salvator, mens fuit, quando in illo patibulo ſublimis ſpectaculum factus es cœlo, & terræ? Cogitaſti de me, quaſi non eſſet alius præter me. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Cogitavit donare mihi ſuum ſanguinem, ſuam vitam, ſe totum, ad obtinendum cor meum totum; me ſcripſit in ſuis manibus clavis illis, ad retinendam ſempiternam mei memoriam. Et non tibi videtur Chriſtus crucifixus mereri, ut aliquid pro ejus amore facias? Nôſti, non tam carnifices, quàm tua peccata, tuas appetitiones, tuas paſſiones, & affectus immoderatos illum affixiſſe cruci. Non igitur congruit rationi, ut qui cruci affixit, luat pœnas de iſto cruci affixo? En exigit à te, ut crucifigas tuas paſſiones, ne inpoſterum commovere ſe liberè poſſint, ne acceptentur cum offenſa Dei; aut inter ſervos Jeſu non numeraberis. *Qui ſunt Chriſti,* ait Apoſtolus, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.*

Punctum tertium. Attolle oculos in Jeſum crucifixum; & conſidera diverſa officia, qua tuâ causâ exercet in cruce. Primò eſt victima, unde ex quatuor plagis, quaſi totidem fontibus fundit ſanguinem ad lavandum tua peccata, & totius mundi. Secundò eſt doctor, qui te virtutes omnes docet; patientiam, in ſuſtinendo; charitatem, in amando; humilitatem, in ferendo con-

contemptu; perſeverantiam, in perdurando in cruce usque ad mortem. Tertiò eſt mediator, conciliando pacem inter Deum, & homines, delendo decretum æternæ damnationis, & aperiendo aditum ad gloriam. Adora igitur illum cum omni veneratione, & age gratias cum omni affectu: excita te ad imitandum: appropinqua plagis illis ſanctiſſimis, deſiderando nidum ibi tuum figere: pete guttam unam ſanguinis illius, quem adeò liberaliter profundit, ad culpas tuas abluendas: deteſtare omnes tuas noxas, quæ illum ad mortem tam cruciabilem adegerunt: ſtatue, non illum culpis novis crucifigere: propone, cruci affigere motus omnes ſenſuum, & naturæ corruptæ: unum enim de duobus eſt neceſſarium, aut crucifigere in nobis hominem veterem, aut crucifigere de novo in nobis Filium Dei. Roga illum, ut, quoniam reliquit terram, trahat cor tuum ad ſe, ut poſito omni alio affectu, poſſis vivere in ipſo, & ad ipſum.

Die Mercurii ſancto.

MEDITATIO XLVI.

De Virgine cruci aſſiſtente.

P*Unctum primum.* Conſidera ſummam Virginis in Filii perpeſſionibus fidelitatem. Quis eam ablegabat, ut præſens adeſſet ſupplicio Chriſti? ut virgo ſolitudinis amans, & publici fugiens, tanto in tumultu denſæ turbæ, militibus, & lictoribus ſe inferret, cruci appropinquaret, ibi immobilis conſiſteret, pro matre ejus cognoſci vellet, qui tanquam caput duos inter latrones pendebat cruci affixus, die tam feſto, tanto cum dedecore, tam infami tormento. Nonne poterat in ſuo cubiculo mortem Filii affectu proſequi, & offerre æterno Patri? Ecce fidelitatem Virginis! tempore duro non recedit à Filio: non curat adeſſe præſens, dum chiliades hominum illum ſequebantur, non adeſt glo-

rioſo

rioſo in monte Thabor, non apparet in ingreſſu triumphali Jeroſolymæ: adeſt, & agnoſcitur, dum, ut latro publicus, in Calvario dat ſupplicium. Honori ſibi ducit, participem eſſe opprobriorum Chriſti, & ſociam ignominiarum. In his tempore toto perſeverat: *Stabat juxta crucem.* O Maria, verè fidelis Filio: admiror tuam conſtantiam, & erubeſco meam inconſtantiam. Quid non melior ad effugiendam omnem umbram dedecoris? & quando poſſum unquam gloriari de minimo opprobrio, amore Dei, æqua mente tolerato? propter inanes erubeſcendi virtutis causâ metus, muto animũ, & deſero officium. Expelle, Domina, meo corde, vanum hunc timorem: da audentiam, quâ, cum neceſſarium eſt, pro honore Dei, me oſtentem, & ſectatorem ejus, ſine rubore, profitear.

Punctum ſecundum. Conſidera ſenſum Virginis ad pedem crucis, quando eum aſpiciebat erectum in illo patibulo, cœli terræque ſpectaculum, corde utique transfixo; & propinquam magis magiſque, modò recta, modò genibus nixa, modò elatis oculis, & manibus, in anima Filii cruciatus excipiebat. Quantas cauſas habebat, quibus dolor augeretur? deſiderabat mori pro illo; & non poterat: adjuvare cupiebat, & non permittebatur: optabat celerem tormentorum finem, & horis æquata videbat: pœnam acuebat cognita Perſonæ Chriſti dignitas, innocentia, injuria illata, ſententiæ latæ injuſtitia, & ejus exſecutio. Omnes de nova cruciatus illati in ipſam redundabant; irriſiones circumſtantium, applauſus Phariſæorum, inſultationes, & contemptus, quibus illudebant morituro Filio, erant acutiſſimæ ſagittæ cordi Matris infixæ. In ſumma, ſi illum, ut filium, amabat plus quam ſe, &, ut Deum, adorabat; quantum ſenſerit cruciatum, tunc etiam gravius, cum Filii verba audiebat, quibus deſertum ſe confitebatur, etiam à Patre. O verè dolorum Reginam! beatum

me,ſi illos æſtimare noverim,& memori mente retinere,& gratus eſſe, quippe, qui magnam peccatis meis præbuerim cauſam. Fac, ne ſint mihi infructuoſæ lachrymæ,quas ad pedem crucis effudiſti. Per dolorem illum inexplicabilem,quem ſenſiſti,impertire mihi virum dolorem,quo cor geram confixum toto meæ vitæ tempore.

Punctum tertium. Conſidera,qualis Virgo fuerit ab iis illo tempore;qualem oſtenderis patientiam,non verbis incompoſitè lamentando , non motu, aut geſtu indecenti peccando. Quantam tamen cauſam dabat tanti populi rabies , tot acceptis beneficiis , tam ingrati? Aſpice in corde Virginis quietem ſummam,ſummam ſerenitatem : dolorem ſupremum absq; perturbatione, absq; mutatione : miſerationem,erga tortores Filii,& ſupplices ad Patrem,& Filium pro illis preces. Gaudebat de morte Filii,quâ ſpectabat æterni Patris gloriam, mundi redemptionem , peccatorum abolitionem : ac tantopere meam deſiderabat ſalutem,ut,ſi neceſſarium eſſet,ipſa crucis ſubiret ſupplicium , quò mihi cœlum aperiretur,Deus conciliaretur. O cor Mariæ,amans omnium! amabat in vicem indignationis,& offenſum neſciebat vindicare meliùs,quam bene volendo. Quantum debeo tibi,Virgo ſanctiſſima,& propter affectum, quo lubens vitam Filii pro mea ſalute offerebas; & propter exemplum,quod mihi præbebas amando illos,qui te offendebant. Quàm te parum imitor? quàm facile turbor,& collidor cum eo,qui minimam dedit offenſionis cauſam : vivit,& perennat in animo injuria. Non ſic egiſti, ô Maria,afflicta propter me,& ſalutis meæ cupida. Nunquam mei ſis immemor : ſcis quanto ad pedem crucis tibi ſteterim : nunc glorioſa , mihi illius oblationis impetra explementum,quâ filium obtuliſti, & omnem tuum affectum pro mea ſalute.

MEDITATIO XLVII.

De primo Verbo Chriſti, de diviſione veſtium, de opprobriis.

P*Unctum primum.* Pendens in cruce Chriſtus incipit loqui cum Patre pro ſuis tortoribus: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. Ecce cogitata, & affectus in cruce pendentis. Non loquitur primo loco de matre, non de diſcipulis, non de electis: ſollicitum ſe oſtendit de ſuis carnificibus, de illuſoribus, de infenſiſſimis oſoribus. O charitas Chriſti nunquam æquanda! Non ſolum ignoſcit illis, ſed etiam à Patre tam grandis culpæ veniam poſtulat, & excuſat ignorantiam, quantum poteſt. Pondera ſingillatim verba. Appellat Patrem, ad miſericordiam hoc nomine facilius impetrandam. Non nominat tortores: quia non ſolùm præſentes, ſed abſentes etiam complectitur, hoc eſt, peccatores omnes, quos inter eras etiam tu; quia omnes peccatores Chriſtum crucifigunt. Unde bene tibi ſperandum, quod exſors non ſis hujus poſtulationis. Addit, neſcire illos, quid agant: nam verè peccati rationem non habet, qui illud committit. O quàm ſunt noſtris diſſimiles Chriſti cogitationes & affectus! quavis offenſione, quanquam modicâ, provocati, indignamur nonnunquam tantopere, ut, ſi deſit vindictæ copia, interno tamen ardeamus odio, & in verba amara, indignabunda, injurioſa prorumpimus. Imitare Jeſum, ſi peccatorum tuorum condonationem deſideras: nam qui non condonat, condemnat ſingulare hoc opus, quod fecit in cruce Chriſtus.

Secundum. Acto in crucem Domino, milites veſtimenta ejus deviſerunt, & de tunica inconſutili luſerunt. Conſidera afflictionem, & dedecus Chriſti, cum cerneret oculis, in partes dividi ſuas veſtes, & carnifi-

nificibus cedere, pro more, quo ſupplicio affectorum veſtes in prædã illis permittũtur. Ita placuit: ut morereris in extrema paupertate, nudus, abjectus; quò me doceres, abjicere ſuperflua. Verùm non miror, te veſtes dare, cum etiam vitam dones, omnemq; tuum ſanguinem, ut mihi veſtem gloriæ compares. Ita, per tuam nuditatem, & cruciatus, dignus fiam eam obtinere.

Punctum tertium. Supplicio crucis videbantur acquieſcere debere Judæi, & non ultra affligere, ſed condolere, in tanto tormentorum ſpectaculo: adjungunt nihilo ſecius exſecrationes, opprobria, in compoſitos capitis ad illudendũ motus, Principes, Sacerdotes, ſcribæ, decuriones cum univerſo populo inſultabant illi, ut impoſtori, & jactatori: exprobrabant, non poſſe, quam dediſſet aliis, afferre ſibi ſalutem, affectati item Regni vanitatem, fiduciam erga *Deum*, uſurpatam filii Dei appellationem: promittebant, ſed ex vano, Meſſiæ dignitatem, ſi deſcenderet de cruce. Ingens erat hoc tormentum, & ipſã cruce atrocius; nihilo minus aſpice faciem illam, tantis injuriis non turbatam, ſed ſerenam, quaſi fuiſſent laudes; linguam illam, ad hæc omnia mutam. Ingredere cor illud afflictum magis ob illorum infelicitatem, quam ærumnam ſuam. O inauditum patientiæ exemplum! Exige te ad illud, & motiones animi ad occurrentem vel minimum contemptum examina. Vide, ut abſolvas te, & animo, quamvis non loquaris, imprimas, nulla oblivione oblitterandum. Tacet igitur *Deus*, & vermiculus reclamet? Non vult Jeſus deſcendere de cruce, quacunque ex cauſa: & tu quàm facilè deſcendis? Volebant Phariſæi, ut deſperarit Chriſtus, quia non liberabatur à *Deo*; & inde intelligeret, carum ſe non eſſe. Non tamen movetur, ſciens à Patre ſe diligi, etiam cruci affixum: ut intelligas, amari te à *Deo*, tametſi interdum produci adverſa tua permittat. Ad has conſiderationes, proſtratus ante

ad extrema emendationem : nam ſi uni tunc ſalvari contigit, damnatus eſt alter. Precae Dominum, ut in ultimo illo puncto tibi adſit, & non deſerat.

MEDITATIO XLIX.

De tertio, & quarto, quinto Verbo Chriſti.

P*Unctum primum.* Chriſtus videns afflictionem Matris, & deſertionem ejus miſerans, converſus ad eam dixit: *Mulier, ecce filius tuus*; & Joanni, *ecce mater tua.* Conſidera ſollicitudinem Jeſu de Virgine plùs omnibus amata, ut aliquam ei adjungeret, qui filii affectu ſerviret. Nihilo minus quàm doloroſa fuerit illi hæc Diſcipuli in Magiſtri locum ſucceſſio & hominis puri cum homine Deo permutatio! Promptè tamen paruit: in filii locum illum recepit; præcipuè, quòd in perſona Joannis videret nos omnes pietati ſuæ eſſe conſignatos, in filios adoptivos. Compatere Virgini de jactura, quam fecit: gratulare verò tibi de data à Jeſu tam bona matre, & cura erga illam concipere filii affectum. Conſidera deinde, gratiam Joanni datâ pro matre virgine, impertitam, fuiſſe effectum ſingularis puritatis illus, & præmium fidelis apud crucem ſocietatis: & ille tanti eam æſtimavit, ut ab eo puncto ſe deſignatum ad ejus obſequium, honorem, & curam agnoverit. Lætare cum Joanne de iſta prærogativa: deſidera, ut tibi impetret affectum tenerum erga Virginem. Noveris, beneficio ſingularis puritatis, & crebræ memoriæ Paſſionis Chriſti, & imitationis Mariæ, dignum te fore, ut te filii loco habeat. Nunc igitur ad illam accede: recognoſce profundiſſima cũ humilitate pro tua matre: dic illis nunc, & ſæpe: *Ecce filius tuus*: roga illam, ut meminiſſe velit, quo in loco, quo tempore, quo affectu, & deſiderio te protegendi, audierit iſta verba, & commendationem.

Pun-

Punctum ſecundum. Jeſus in cruce converſus ad æternum Patrem, ſe derelictum ab eo confitetur. Quo clarè teſtatur mundo univerſo internam afflictionem, quâ angebatur. At quomodo dicere derelictum te potes? ſi innocentiſſimus, & expers es culpæ, & ideò chariſſimus: ſi tua humanitas unita eſt Verbo divino, quomodo igitur derelictus à Patre? Ecce grande amoris erga nos pignus, dum grandem eligit afflictionem internam. Sciebat, Deum avertere faciem à peccatoribus, magno cum illorum odio: cùm igitur portaret peccata mundi, ut pro illis ſatisfaceret, videbat faciem Patris contra ſe indignabundam, ut qui perſonam peccatorum omnium ſuſtinebat, & tractari ſe ut hoſtem. Quo graviſſimè confuſus animo ſummam ſentiebat afflictionem in parte inferiore, ſubtracto omni ſolatio debito, ad caſtigationẽ peccatorum noſtrorum, quæ ipſe ſuſceperat expianda. Expende amorem inexplicabilem, quo ferre in animo talem derelictionem voluit ad obtinendum tibi divinũ favorem, ne relinquaris à Deo. Roga Jeſum, ut implacabile tibi concedat peccati odiũ, ob cujus expiationẽ tanta perpeſſus eſt: & ad exemplũ illius, qui ſe ſubjecit afflictioni non cõmeritæ, confirma animũ, ad ferẽda omnia adverſa, tuis peccatis debita.

Punctum tertium. Conſidera, Chriſtum à veſpere pridiano nulla refectione recreatum, propter ingentes cruciatus, & fuſũ largiter ſanguinem, ſiti maxima arſiſſe: quam nobis pœnam ſignificavit dicendo, *Sitio.* Et qualem accepit refectionem? admota eſt ori ſpongia aceto plena. En refectionem, quæ magis ad illudendum, cruciandum, gratum Judæis præſentibus faciendum, Deo moribundo offerebatur. Tu quid agas? vide, an moderatè neceſſariorum feras inopiam, an lautiora requiras? verùm quid eſt, mi Jeſu, cur, tanta omnibus in membris patiendo, non doleas de ſpinis, quæ caput cõpungunt; de clavis, qui manus pedesq; perfodiunt; de

ſolo ſitis ardore memineris? Ah, agnoſco in te unam ſitim alteram majorem, quam corporis: ſitim patiendi iterum, ſitim meæ ſalutis. Et ego quomodo reſpondi huic tuæ ſiti? quoties, Hebræis deterior, obtuli cor iſtud vanum, ad modum ſpongiæ, vitiis refertum, & amaritudine? Debebam ſitire te, & oblectare te; & pro eo, quod erat dicendum, *ſitivit anima mea ad Deum*, ſitivi conſolationes vanas, & fluxarum rerum. Accende, pro tua pietate, aliquando in me veram ſitim honoris tui, obſervantiæ legis tuæ, ſalutis propriæ, & alienæ.

Die Veneris ſancto.

MEDITATIO L.

De ultimis Chriſti verbis, & ſanctiſſima morte.

P*Unctum primum.* Jeſus morti vicinus, reſpexit animo omnia Prophetarum effata de ſua Perſona, ſcripturas, figuras, quib. vita ipſius à primo conceptu ad extremum vitæ tempus ſignificabatur! conſideravit decreta, æterni Patris circa redemptionem hominum; & videns exactiſſimè omnia à ſe perfecta, dixit: *Conſummatū eſt*. Nihil, quod agam, ſupereſt: voluntati Patris integerè ſatisfactum! nihil prætermiſi eorum, quæ ad comparandam humano generi ſalutem erant mandata. O Verbum dulciſſimum! Lætare cum Jeſu de voluntate Patris ſumma cum perfectione impleta. Quanta felicitas eſt illius animæ, quæ ſub extremum vitæ, reſpiciens divinā legē, dicere poterit: curſū conſummari, fidem ſervari 2. Tim. Conſidera te ipſum. O quantam cauſam habes deplorandi tuam infidelitatem! roga *D*ominum gratiam, ut, ab hoc tandem puncto, impleas perfectè voluntatem *D*ei, & facias, quod ad ſalutem tuam eſt neceſſarium. Cogita porrò, quanto conſtiterit *D*omino ad explendam integrè voluntatem Patris? Audis dicen-

dicentem, *conſummatū eſt*; corpus meum conſumptum eſt tutum, ſanguinis effuſus totius, cor ad modum ceræ liquefactum totum. Erubeſce, non ſic egiſſe. Qua in re conſumptus eſt *Deo* ſerviens? deplora tuam miſeriam, & ſtatue inpoſterum ex animo operari, etiam ſanguinis impendio. Et tu, mi Jeſu, dum omnia perfeciſſe, & abſolviſſe te dicis, non permitte me vivere tam imperfectè: cùm voluntas ultima tui ſit Patris, ut hoc meum cor perficias.

Punctum ſecundum. Jeſus, priuſquam moveretur, dixit: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Non erat ei neceſſarium, commendare ſpiritum ſuum Patri, cùm & anima jam eſſet beata, & corpus unitum Perſonæ Verbi: at voluit, ad inſtitutionem noſtram, ut hæc eſſent ultima verba, uti diſcamus, quid in extremis agendum. Expende verba ſingula. Oſtendit primùm fiduciam affectum filii, qualis in morte habendus, cùm à *Deo*, tanquam Patre, recipienda eſt hæreditas æterna. Commendat ſpiritum, non corpus, non opes, non alia bona; ut doceat nos de hoc eſſe ſollicitus: nam ſi bene res agitur ſpiritûs, reliqua non malè habebunt. Adjungit: *in manus tuas*: in illis enim ſumma eſt ſecuritas: neque locus eſt alius, in quem meliùs noſtra reponamus, quàm in manus Dei: Ad extremum cogita, rectè commendaſſe ſpiritum ſuum in manus Patris, quoniam ab initio vitæ usque ad finem deditus erat, & commiſſus voluntati Patris. Propterea ſi deſideras cum fiducia in ultimis vitæ animam tuam conſignare in manus Patris, cura ſic vivere, ut mors reſpondeat vitæ bonæ, & quæ cogitata vivens bene frequentaſti, occurrant animo clarè in morte.

Punctum tertium. Chriſtus inclinavit caput, in ſignum ſuæ obedientiæ, humilitatis, & reverentiæ, &

ſanctiſſimam animam profudit. Expende accuratè hæc verba: Jeſus Chriſtus, Dei Filius pro te moritur in cruce. O cor meum, quomodo in conſideratione verborum iſtorum non rumperis? cœlum, terra, abyſſus, omnes creaturæ præter ordinem naturæ commoventur, ſolum cor tuum obrigeſcit? iſte, Deus & homo moritur: anima tam nobilis digreditur à corpore. Deus dat vitam infinitam, aliter non erat ſalus pro me, nec vita æterna. Quare ante oculos tuos, ô Domine, res tanta eſt vita miſerabilis alicujus peccatoris, ut conveniat Deum mori, ne moriar ego morte æterna? nonne decebat magis, ut perirem ego, & in meum nihilum revolverer, & omnis mei memoria aboleretur, quaſi nunquam fuiſſem, quàm ut Filius *D*ei moreretur? Fortaſſe potior eſt vita mea, quàm vita Jeſu? horret animus id cogitare; quæ enim comparatio eſt inter vitam alicujus nihili, & vitam Jeſu, valoris infiniti? O Domine, dicemusne ſapienter exponi morti bonum infinitum, pro nihilo? & es tamen ſapientia infinita. Si Jeſus fuiſſet meum mancipium, quid ultra facere potuiſſet, quàm dare vitam pro mea ſalute? quid tibi faciendum, ne moriaris ingratus? non dederis, quantum habes, & vitam omnem ejus in obſequium expenderis? Ecce pretium animæ tuæ, redemptæ vitâ Jeſu! quanti eſſe debet, cum certo modo æquivaleat Filio *D*ei. Et tam modicam geris curam: ſubjicis te creaturis, & negas Deo, qui tanto te pretio redemit.

MEDITATIO LI.

De perfoſſo Chriſti latere.

PUnctum primum. Conſidera, quis mortuo Chriſto fuerit ſenſus Matris, & ſociorum, creaturarum ſenſus expertium. Quanta doloris affectu aſpexit illa Filium,

lium, quanto ſenſu proſecuta eſt animam illam dæmonis ac mortis victricem, & oſtia cœli pandentem: quanta veneratione adoravit ſacrum illud corpus, quod etſi fuerit inanime, non tamen erat ſeparatum à divinitate. Evita in te pares affectus. Secundò, in morte Chriſti, videbantur elementa velle interire. Velum templi ſciſſum eſt: tellus intremuit: ſaxa rupta ſunt: ſepulchra aperta. Non erat pro iſtis mortuus Chriſtus: ſenſum tamen oſtenderunt: tu ſenſu cares, pro quo mortuus eſt Chriſtus. In templo animæ tuæ manet integrum velum inordinatorum affectuum, qui obvelant tibi cognitionem Dei. Non tremit terra cordis tui ſancto timore Dei, nec rumpitur offenſarum dolore, nec aperitur ad expellendos pravos habitus, & excipiendum Chriſtum mortuum pro te, & continuam Paſſionis memoriam. Tertiò, cognoſci incœpit fructus Paſſionis Chriſti. Redibant alii percutientes pectora: alii eum Dei Filium confitebantur. Quære apud te parem fructum: quomodo deteſteris tuas culpas: quomodo emendes tuas paſſiones, quomodo cognoſcas Deum, Deique bonitatem. Roga Deum, ut iſtos animo tuo inſerat affectus.

Punctum ſecundum. Non ſaturati Judæi opprobriis & contumeliis Chriſti, voluerunt augendis tormentis etiam crura frangere, uti fecerant latronibus: ſed cùm vidiſſent mortuum, militum quidam aſtantium, fortaſſe gratificaturus Judæis, lanceâ latus dextrum perfodit. Conſidera in hoc facto, maximum dolorem Virginis, quod, nondum ſatiata rabie, mortuum etiam corpus malè tractetur à carnificibus. Condole Virgini, cui alia ex alia ſupervenit afflictio: cumque cor illius transfixum eſſet doloris gladio, admirare patientiam. Adhæc obſerva amorem Domini, qui vivens acceptavit inferendam cordi plagam poſt mortem pro noſtris peccatis: quorum origo cum cor ſit, etiam cor Jeſu

transfigunt. Ecce, quāta fecerit, & paſſus ſit pro te!ſimul cor tibi aperuit, ut videas, quanto jam antè pro amore tuæ ſalutis illud impenderit, quanto ſemper affectu te dilexerit: & ut per iſtud vulnus fiduciam habeas acceſſus facilis ad ardentiſſimum cor illud, ſejunctus à tumultu rerum conditarum. Felicem te, ſi fuerit iſta plaga nidis tuus, in quo habites cogitatione, & affectu: in quo ſecurè licebit cantare; *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me.*

Punctum ſecundum. Dicit ſacer textus: *Continuò exivit ſanguis, & aqua*: ſanguis, & aqua vera, quamvis per miraculum. Vide, ut expenderit omnia pro te Jeſus: relictæ erant ibi paucæ ſanguinis guttæ: eas quoq; exire, & ſpargi voluit, ut poſſet dicere, quod ſanguinis habuerit, totum dediſſe tibi. Non avarus tibi fuit Jeſus, ſicuti tu es ipſi: non ſuum, veluti tu, quærit lucrum; voluit, ut redemptio eſſet copioſa, & ſuperabundans. In pretio tibi ſit amor iſte; gratias age de tanta liberalitate: ſtude in ejus obſequio non parens eſſe; cogita, te Filio Dei debere, quidquid ſanguinis habuit in venis. Et ſi pro ſua benignitate non exigit à te ſanguinem, ſicuti poſſet; non omittas illi dare ſaltem lachrymas amoris, & doloris. Deſidera, ut ſanguinis ille ſit pretium tuæ ſalutis; & aqua illa, ablatio tui cordis, & macularum, quibus eum toties contaminaſti.

Sabbatho ſancto.

MEDITATIO LII.

Chriſtus de cruce deponitur.

P*Unctum primum.* Conſidera afflictionem ſanctiſſimæ Virginis, ad crucem ſtantis, & qua artione ſuo amori ſatisfaceret ignorantis. Pietas non ſinebat deſerere corpus illud ſanctiſſimum, & Domum ſuam repetere: perſeverare in illa ſtatione aſpiciendo corpus illud inſepultum, erat doloroſum; avellere à cruce, aut nō audebat, aut non poterat; & ſi potuiſſet, quomodo

terræ mãdaſſet? Vide igitur, quanta hoc ferat animi tranquillitate certa, non defuturã huic negotio providentiã divinã. O, quis hac frui quiete mẽtis, & fiduciâ in afflictionib. & ærũnis poſſit? Præterea cõmendavit Jeſus animam in manus Patris: de corpore tacuit; curam tamen Pater geſſit. Excitavit Joſephum aliquem, qui intrepidus accederet Pilatum, & corpus Jeſu peteret ſepeliendum, & impetraret. Depreſſus erat Jeſus pro & Patris honore; Pater illum honorat, efficiendo, ut homines nobiles ſepeliendi corporis cum ſuſcipiant. Vide porrò vim mortis Chriſti. Joſephus, Chriſto mira patrante, & docente, erat metu diſcipulus occultus; poſt mortem crucis ignominioſam nihil metuit oſtendit ſe hominis ſectatorem crucifixi in medio latronum. Idem in te crux operatur? O, quoties erubeſcis videri ſectator Chriſti! deſidera, ut illuſtret te Jeſus, ut cognoſcas, quanta ſit felicitas ſequi Jeſum, *& hunc crucifixum.*

Punctum ſecundum. Joſepho Arimathæo conjunxit ſe Nicodemus, diſcipulus etiam occultus: quorum ille ſidonem, iſte centum circiter libras myrrhæ, & aloes comparavit ad involvendum, condiendumque ſanctiſſimũ corpus. Conſidera conſolationem Virginis, videntis, binos viros præcipuæ inter Judæos auctoritatis, de honorifica Chriſti ſepultura laborantes. Sic honorabis Virginem toties, quoties Filium. At unde natũ id cõſilii Joſepho, & ſocio de cruce tollendi, præſentib. inimicis Domini, ſãctiſſimũ corpus: quo facto cõcitabãt in ſe furorem illorum, & vitã periculo objiciebant? Evangeliſta dicit: *ipſe erat expectans Regnũ Dei*: erectus gloriæ ſpe, nihil aliud penſi habebat. O quantùm poteſt, & operatur in corde ſpes æterni boni? cũ hæc accenditur, facilè contemnitur aliud omne bonum, aut malum occurrens. Cura tu excitare in te hoc deſideriũ & exſpectationem; & omnia tibi faciliora reddentur.

Pun-

Punctum Tertium. In hoc puncto conſidera reverentiam Joſephi, & Nicodemi, quâ clavis exſolvunt ſacrum corpus, & illud amplectuntur: affectus, quo Virgo accipit coronam, ſanguine rigatam, & clavos: inprimis, quo brachiis, & ſinu excipit filium mortuum. Vide, ut lachrymis abluat plagas illas, ut oſculetur ſuaviſſimè, ut membra componat. Adhæc, quæ faciant aliæ mulieres ſanctæ, cum Joanne: ut ſacrum corpus circumdant, ſicut apes: Magdalena pedes complectatur, Joannes pectus. Tu quoque appropinqua mente: conſidera, quanta fecerit amore tui Deus: quanto ſteterint Chriſto tua peccata, & ut non ducat altera via ad cœlum, quàm via crucis. Adjunge te nunc Virgini, nunc Magdalenæ: easq; roga, ut impetrent, veram tuorum peccatorum cognitionem, & tecum, quem ſenſêre dolorem, communicent, cum affectibus, impendẽdi ſe totos honori cruci crucifixi, & pro noſtra ſalute mortui.

MEDITATIO LIII.

Sepultura Chriſti, & ſolitudo Virginis.

P*Unctum primum.* Joſephus, & Nicodemus acceperunt corpus Jeſu, & unxerunt, & involverunt ſindoni. Impoſitum deinde catalecto ad ſepulchrum portarunt, in horto, non procul ſupplicii loco ſitum, ſequentibus, Virgine, aliis muliaribus, & Joanne. In hoc facto expende reverentiam, quâ bini illi diſcipuli tractarunt ſanctiſſimũ illud corpus, quo pietatis & miſerationis affectu, dum ungebant, ligabant, involvebant. Diſce, quo tu ſenſu, non tam ungere debeas Chriſti corpus, cum id accipis, quam cor tuum. Præterea intuere comitatum illum, & lachrymas ſanctarum mulierum, Virgini adjunctarum: ad hæc Angelos, cœlo ab æterno Patre magno numero ad honorandum funus illud demiſſos: qui, tametſi terram ingreſſo Dei filio feſtâ

læti-

lætitiâ exſultarunt, egreſſo tamen vitam mortalem præ ſe ferre mœſtitiam debuerunt. Collige hinc, quantâ reverentia, modeſtiâ, humilitate comitari te oporteat ſanctiſſimum Sacramentum, quando portatur; & incitamento eſſe, ut honorent, & pompam augeant, quoniam hic adeſſe præſentem non licuit.

Punctũ ſecundũ. Conſidera, quomodo ſanctiſſimum corpus illud conditum fuerit in ſepulchro novo, funeribus aliis intacto, in petra exciſo. Quod, peractâ iterum ſancti corporis adoratione, clauſum eſt, & munitum grandi ſaxo, ne cuiquam pateret ad auferendum acceſſus. Ex his porrò diſces, quomodo fieri poſſit cor tuum dignum Chriſto ſepulchrum, cum illum recipis in ſacro Euchariſtiæ myſterio. Non poteſt cor tuum dici ſepulchrum novum, in quo nemo fuerit poſitus, quoties receptum dediſti peccato. Ad minus ablutum ſit peccatis, gravibus juxtà, ac levibus, renovatum ſanctis, deſideriis & dolore, ſicut dicebat David: *Cor mundũ crea in me Deus*: ſit etiam novũ, quaſi tunc primitus reciperetur, vivo cũ deſiderio, nõ pro ſola conſuetudine, nimirum quod ſoleas, quod dies feſtus ſit, ſed cum illo deſiderio, & fame, quâ primam obires communionem. Nec debes, ut primum condidiſti, claudere, & diſcedere, ſed officiosè adeſſe adorando, & aliis obſequiis honorando, tibi includendo; non quod unquam deſerturus ſit animam tuam, niſi ejiciatur à te; ſed ut tu ſis conſtans, firmis illum claudendo propoſitis, & diligenti ſanctarum cogitationum cuſtodia cingendo. Vide, an adhuc id feceris: & in omni caſu roga veniam, & deſidera ſepultus eſſe cum Chriſto, & gerere ſemper in corde tuo inpreſſam memoriam mortui, pro te Jeſu.

Punctum tertium. Conſidera Virginis domuitionem, & ea, quæ egit usque ad filii reſurrectionem: ut ſe gratam Diſcipulis illis duobus, qui juſta funeri ſolverant,

verant, oſtenderit, & remunerationem certam promiſerit. O fortunati Joſephus, & Nicodemus! ſi incurrerunt Hebræorum indignationem, meriti ſunt Jeſu, & Mariæ gratiam. Conſidera Virginis ſenſus, toto illo tempore: quid enim aliud animo volverit, quam mortem, & Paſſionem Filii, cum continua & certa exſpectatione Reſurrectionis. Accede ad Virginem dolore plenam, miſerere ex animo, conſolare illam, concipiendo firma vitæ novæ propoſita: roga peccatis tuis veniam, quæ Filio cauſa mortis fuerunt: ſume, Petri exemplo, fiduciam; qui dolens, ac lachrymans ob negationem, cum aliis diſcipulis fugitivis, accedere debuit: roga, ut patrona tibi ſit apud Filium, ut abolitis pœnitentiâ peccatis huc usque commisſis, posſis animo reſurgere: & ſtatue honorare ſingulari cum affectu Sabbathinis diebus ſolitudinem Mariæ, fugiendo, quà poteris, frequentiam, & conſuetudinem hominum, & receſſum aliquem longiorem petendo.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

MEDITATIO I.

De vana Judæorum diligentia impediendi Reſurrectionem Chriſti.

Punctum primum. Principes Sacerdotum furore amentes, quando Chriſtum à Joſepho, & Nicodemo ſepultum viderunt, metuentes ne reſurgeret, accesserunt Pilatum, & cuſtodiri à militibus ſepulchrum poſtularunt. Vide quorſum illos adigat animi perturbatio: memoriam etiam Chriſti oblitterare contendunt. Quanto rectiùs ageretis agnoſcendo errorem veſtrum, & obſequiis tantundem commiſſa ſcelera compenſaretis. O quàm excæcant vitia, quando cordi dominantur! Conſidera porrò relationem illorum: *Seductor ille dixit adhuc vivens: poſt tres dies reſurgam*: convenit igitur militibus cingi ſepulchrum, ne diſcipuli furentur corpus, & plebi perſuadeant reſurrexiſſe. Tractant Jeſum ut impoſtorem; nec tantis prodigiis in morte factis ſapiunt. Conſidera etiam falſam cauſam, à metu, ne diſcipuli furentur, petitam, qui diffugerant, & latebant. Tandem judicant, à militibus impediri poſſe anaſtaſin Chriſti; aut, ſi reſurgeret de novo comprehendi, & occidi. O infelices! præteriit hora veſtra, & poteſtas tenebrarum: feciſtis contra illum, quæ permiſit: *non eſt conſilium contra Dominum* Prov. 21. Tu noli imitari cæcos iſtos Sacerdotes; non arma contra Deum corripe, nihil effectura: *quia in voluntate ejus univerſa ſūt poſita.* Interea te ſubmitte illi, reverere illum, & adora.

Pun-

Punctum ſecundum. Reſpondit Pilatus: non deeſſe milites; irent,& ſuo arbitrio cuſtodirent ſepulchrum. Collocarunt igitur circa ſepulchrum cuſtodiam, & objectum lapidem ſigillo,ſive urbis, ſive magni Concilii munierunt. Conſidera ordinem divinæ providentiæ: permittit uti cautionibus illis, quibus putant impediri poſſe anaſtaſin Chriſti: & Deus utitur illis cautionibus ad fidem certiorem reſurrectionis faciendam. Quot erant milites,tot erant teſtes: unde etiam nolentes gloriam Chriſti *D*ei provehebant. O, ut irritas facere novit *D*eus molitiones noſtras, contra ſuam voluntatem cœptas: & rem iiſdem viis evenire facit, quibus malitia noſtra conabatur impedire. *Quare non eſt ſapientia contra Dominum*, Prov. 21. Non fidamus noſtris conſiliis: Deus, quæ ſibi placent,facit: iccirco ſtudeamus noſtra cogitata ſemper ad regulas divinæ voluntatis exigere, & non viis diſtortis incedere. Tandem diſce cordi tuo virtutes circumdare, quæ tanquam milites ſpirituales ad conſervandum in te Chriſtum advigilent,ſomnum tepiditatis excutiant, & intactum ſervent ſigillum voluntatis placendi *D*eo.

Punctum tertium. Aſſidebat ſepulchro militaris cuſtodia: nihilo minus albeſcente cœlo Jeſus exiit vivus, glorioſus, immortalis. Quò valet ſigillum veſtrum,ô Principes Sacerdotum? quid miles effecit vigilando,& ſepulchrum cingendo? *Surrexit Dominus de ſepulchro*, ſigillo integro,ſepulchro clauſo; & ſicut egreſſus eſt Virginis Matris utero clauſo, ita clauſo egreſſus eſt ſepulchro. Credes igitur firma fide grande hoc myſterium: *Scio, quod Redemptor meus vivit*, Job.19. Adorabis veneratione ſumma *D*ominum vivis redditum: debitam ei præſtabis obedientiam: *quoniam mihi flectetur omne genu*, Rom 14. Agnoſces novum in te jus Morte, & reſurrectione ſua partum.

De-

Denunciabis illi, omni cum affectu, firmiſſimum propoſitum ei ſerviendi totâ vitâ tuâ. Teſtificaberis ei lætiſſimo corde, tuum de ipſius gloria gaudium, deque finita hic me ſævæ Paſſionis. Invitabis creaturas omnes rationis compotes ad cognoſcendum tecum, & adorandum ſuum creatorem, & redemptorem in vitam revocatum. Deſiderabis tuum adjuvari ab illis gaudium, quòd ille Dominus, quem paulò antè luxiſti mortuum, nunc vivat, diversâ longè vitâ, nunquam porrò moriturus. Precaberis, ut nunc reſuſcitat animam tuam ſuâ gratiâ, & corpus ſuo tempore ad vitam glorioſam.

Feria II. Paſcha.

MEDITATIO II.

Anima Chriſti deſcendit ad Limbum.

PUnctum primum. Animâ Chriſti, ſanctiſſimo corpore egreſſa, deſcendit ad Limbum: ubi attinebantur juſtorum animæ, liberationem exſpectantes. Conſidera ardentia illorum deſideria, magis inflammata S. Joſephi, & Jo. Baptiſtæ adventu, à quibus intellexerant vicinam ſuam liberationem. Verſabantur in illo carcere obſcuro, carentes claro Dei aſpectu, expertes culpæ propriæ, quâ redderentur indignæ: nec aliud curabant, quàm ut Chriſtus generis humani totius exſolveret culpas. Quid egit ſanctiſſima Chriſti anima! non miſit Angelos ad nunciandam liberationem: non egit ex longinquo: deſcendit illa ipſa: monſtravit, quãto ſibi eſſent in pretio. Voluit juſtis illis applicare fructũ ſuæ Paſsionis, & in poſſeſſionem mittere beatitudinis. Lætatus eſt, ut Paſtor bonus, ſuum viſens gregem; uti Triumphator ſuam recenſens prædam, & captivos vinculis eximens. Expende grandem iſtam charitatem, quæ ipſum demitttit eò, ut in locum adeò pro-

fundũ deſcendat ad majorem ſuorum conſolationem? Condolebat tam multis animis, quæ tam longo tẽpore erant ibi clauſæ; unde ad augendam conſolationem voluit inviſere. O quàm tenerum gerit erga ſuas animas amorem! Poteris & tu ſperare conſolationem à Jeſu, ſi vixeris magno cum deſiderio eum videndi. Diſce hic, ad exemplum hujus animæ ſanctiſſimæ, nihil prætermittere, quo poſſis adferre ſanctam proximo conſolationem.

Punctum ſecundum. Conſidera, quæ mens fuerit ſanctis illis animis ad conſpectum animæ ſanctæ Chriſti. Quanto exſultaverint gaudio videntes ſe liberatas, & ſubſtitutam fidei viſionem, ſpei poſſeſſionem, tenebris lucem. Ut ſubitò cognoverunt beatitudinem, quam inierunt, à Chriſti meritis exortam! Quas gratias egerint? ut porteſtati ſunt, nolle ſe illa felicitate gaudere, niſi ad ſempiternam illius laudem! quantâ reverentiâ illum adorarunt, initium dantibus primis noſtris parentibus! Adhæc expende, ut anima illa ſanctiſſima ſuaviter omnes acceperit, gaudendo, de electorum eſſe numero, ad quos pertineret hæreditas illa æterna. Quàm tunc experti ſunt, compenſatas eſſe omnes præteritas ærumnas, omnem longiſſimam exſpectationem, adventu tanti boni! Subitò abſorptæ ſunt omnes pœnæ illo gloriæ profundo, quo ſubmerſæ feliciter hærebant. Et tu animum deſpondeas ob illa, quæ tolerari oportet in vita præſente? Suſtine generosè, quamvis difficultatem experiaris, & afflictionem: evaneſcet repentè omnis mali memoria ad adventum magni illius boni: *quoniam momentaneum, & leve tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. Cor. 4.

Punctum tertium. Conſidera, quomodo anima illa ſanctiſſima, dum verſabatur cum animis ſanctorum Patrum, extenderit ſuam vim ad infernum damnato-

rum,

rum, non ad liberandum illis pœnis, non ad mitigandam acerbitatem, non ad conſolationem aliquam adferendam; ſed manifeſtare ſe illis, quis eſſet, & adorari ab illis, ac omnibus dæmonibus voluit, ut victor triumphans. Quantum cruciatum ſenſerint animæ damnatorum, videntes ſuâ factum malitiâ, ut non fruerentur fructu Paſſionis Chriſti: quantâ arſerint invidiâ illius boni, quod obtigit animis juſtis! Qua de novo triſtitiâ ſunt affecti omnes illi ſpiritus inferni cum Lucifero, ſuo Principe, cernendo ſe victos, & profligatos illa morte, quam ipſi concinnaverant, ſpoliatos tot ſanctis animis, quos quaſi in vinculis tenebant; & coactis adorare ſanctiſſimam illam animam, verbo divino unitam, quam adorare detrectaverant, quando creatis à Deo propoſita fuit Incarnatio Filii Dei! Vide, ut qui non vereatur reſiſtere Deo, qui recuſat eum glorificare ſerviendo, & amando; cogatur illum honorare per juſtam caſtigationem. Quare te promptè permitte Deo: &, quia debito juſtitiæ illi ſubjectus es, cura illius eſſe amoris titulo, & voluntate ac libero affectu.

Feria III. Paſchatis.

MEDITATIO III.

Reſurgit Chriſtus.

P*Unctum primum.* Conſidera deſiderium Virginis maturandæ Filii Reſurrectionis. Unde piiſſimâ invitatione ingeminaverit illud: *Exſurge gloria mea*: & ſimul aperuerit grandem, quo premebatur, dolorem; proinde mox vivũ ſe offerret aſpectui, & lachrymas abſtergeret. O quàm placuerint Chriſto invitationes iſtæ tam amabiles! & quàm ſimul deſiderabat conſolari matrem, ſalvâ in omnib. æterni Patris voluntate! Imitare Virginem ſæpe deſiderando, & invitando Jeſum, actibus ferventibus, ſic enim delectas Dominum: & ſimul

à Jeſu diſce, conſolari in omnibus, quâ potes, proximum. Conſidera porrò, quomodo, appropinquante quadraginta horarum à morte fine, tempore ſufficiente ad implendas Prophetias; & mortis veræ teſtificationem, anima ſanctiſſima Limbo ſit egreſſa, & ſecum ductis omnibus illis animis juſtis, tanquam ſpoliis acceſſerit ad ſepulchrum. Expende gaudium, illarum animarum, quæ egrediebantur, ad probrum damnatorum, quæ remanebant; & ſpem illarum, quæ erant in purgatorio, quæ vehementer in illis creſcebat. Placeat tibi, ô Jeſu, ut ego ſim de illis animis, quæ meruerunt eſſe tua præda, ut olim dicebat Bern. *Utinam ego inveniar in his ſpoliis, quibus ſpoliata ſunt contraria poteſtates, traductus & ipſe in poſſeſſionem Domini*, ut ſemper me poſſideat Jeſus.

Punctum ſecundum. Paullò ante ſolis ortum pervenit ſanctiſſima illa anima ad ſepulchrum, comitantibus ſuis captivis, jam liberis: quibus oſtendit corpus, totum lacerum, & plagis obſitum, ut intelligerent, quàm cruentum fuerit prælium, & quantis pœnis oportuerit ſatisfieri offenſo Patri, & cœlum illis reſerari. Cogita, quæ mens fuerit illis animis, quo modo exactè cognoverint David, Iſaias, & alii ſua impleta vaticinia de Paſſione. Quas non gratias egerint, videntes tanto ſtetiſſe ſuam ſalutem. Junge tuum illorum affectui, cum pari debito Chriſti perpeſſionibus ſis obſtrictus. Præterea conſidera, quomodo per Angelos ſparſum diverſis locis ſanguinem collegerit, partes item carnis flagellorum ictibus avulſus, capillos capitis, & pilos barbæ, ſuiſque locis reponi fecerit. *D*ecebat autem inprimis id fieri, & partes ſanctiſſimi corporis cum ſuo toto rurſus uniri, ne perirent. Hinc diſce, nihil eorum, quæ dantur pro amore *D*ei, perire. Erat ſanguis venis effuſus, erat caro flagellis convulſa: redduntur, & reponuntur omnia. Itaque animum erige contra

metum

metum aliquid propter amorem Dei perdendi: noveris, te donare *Deo*, quæ ſuo tempore reſtituet.

Punctum tertium. Illa anima Domini intravit glorioſa in illud exangue, lacerumque corpus & puncto temporis animavit, ſanavitque, ablato livore carnis, plagis capitis, humerorum decorticatione: & fecit, quod ſol, qui infuſus nubi totam reddit ſplendidam, quaſi alterum ſolem. Priusquam progrediamur ultra primum provolvere ad pedes *D*omini glorioſi: lætare ſummè, illam obtinuiſſe eum corporis gloriam, quæ ei debebatur à primo conceptus puncto, repudiata tamen ab ipſo, deſiderio pro te patiendi, & moriendi. Excita in te magnam hilaritatem, quod jam amplius non ſit ſubjectus ulli miſeriæ: *jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Hic etiam conſidera finem, quem habent ærumnæ pro *D*eo toleratæ. Triginta tres anni pauperis vitæ, & laborioſæ, octodecim horæ mœroris, tormentorum, injuriarum producunt fructum æternæ gloriæ. Confer hunc fructum cum felicitate hujus mundi. Vide, an ſit comparatio. Prætereunt celeriter, & cruciando perdunt ſuos amatores. Non cognoſcere hanc veritatem grandis eſt miſeria, quia cor ſemper falſo paſcitur. Cognoſcere, & velle ſic perſeverata, eſt ſumma infelicitas. Propterea expende ſeriò tuos caſus, & ora Jeſum, ut te doceat cognoſcere, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.

Feria quarta.

MEDITATIO IV.

Quomodo Reſurrectio Chriſti fuerit conventientisſima.

PUnctum primum. Corpus Chriſti, dum jacebat in ſepulchro ſine anima, non pariter erat ſine divini-

 tate,

tate, quippe unitum Perſonæ Verbi. Conſidera, non fuiſſe conveniens, ut corpus illud abiret in cineres, & corrumperetur, ut alia corpora. Si habitabat in eo plenitudo divinitatis; ſi majeſtas æterni Verbi, quæ illud aſſumpſerat, neque relinquere volebat, in eo morabatur; non æquum erat, ut longo tempore maneret inanime, & ſeparatum ab anima. Gaudebis, noluiſſe æternum Verbum obnoxium eſſe corpus illud corruptioni, quod aſſumpſerat nunquam relinquendum. Deſiderabis etiam tu particeps eſſe hujus gratiæ, ut ſibi Dominus uniat animam tuam per gratiam, ut nunquam eam deſtituat, ſed ab omni corruptione peccati conſervet, cum quo non vult habitare.

Punctum ſecundum. Sanctiſſimo illi corpori, divinæ Perſonæ unito debebatur jam inde à puncto cōceptionis gloria. Sed, ut Patri placeret, illi renunciavit, patiendi, & moriendi pro noſtra ſalute ſtudio. Perfecto igitur opere Redemptionis humanæ, corpus illud adire debebat poſſeſſionē vitæ glorioſæ, quæ illi conveniebat à puncto conceptûs. *D*epreſſus erat, & abjectus: erigi, & exaltari à Domino debebat: morte ſua mortem deſtruxerat: non erat par, ut mors ei, à quo victa fuerat, dominaretur. Excita mentem ad lætitiam, quod ſanctiſſimum illud corpus ſuſceperit poſſeſionem gloriæ ſuæ: gratulare tibi cum ipſo. Et hinc etiam collige, relinquere amore *D*ei honores, commoda, & ſimilia, non eſſe illa perdere, ſed in tuto parta collocare. *D*iſce, humilitatem viam eſſe ſecuram ad exaltationem. Meritus eſt Jeſus exaltationem, & nomen ſupra omne aliud nomen: meritus eſt adorari, & cognoſci, dum ſe demiſit; quamvis hoc ei debebatur propter unionem Verbi. Et tu, cui, tanquam peccatori, nihil aliud debetur, quàm contemptio, quomodo extolli à Deo deſideras, ſi te non abjicis, & humilias! aude hoc exemplo Chriſto.

Pun-

Punctum tertium. Conſidera fuiſſe conveniens, ut reſurgeret Chriſtus, ob noſtram utilitatem. Credere in hominem crucifixum, Gentilibus videbatur ſtultitia: Reſurrectione, & gloria Reſurrectionis, ſepulta eſt omnis mortis ignominia: nam reſurgendo oſtendit immenſam caritatem ſuam, & moriendo, non pro ſuis, ſed noſtris peccatis: *quomodo enim reſurrexiſſet, ſi peccator fuiſſet*, ait Chris. Serm. 9. in Ep. ad Rom. Gaude, reſurrectione glorioſa ſublatũ eſſe omne opprobriũ Gẽtilium, quo poterant nobis inſultare, hominem crucifixum quaſi ſceleratum, à nobis adorari. Pondera præterea, quomodo Reſurrectio animaverit omnem ſpem noſtram. Reſuſcitatus eſt Chriſtus, caput noſtrum, reſurgemus pariter & nos. Veſtis illa, quâ ſuum exornavit corpus, exemplum eſt, & forma illius cultûs, quo velabit corpora ſervorum ſuorum reſuſcitatorum. Excita in te ſpem iſtam: quâ facile ſpernes mundi vanitatem: feres modò libenter labores, ſpardes lachrymas, imitaberis illos, de quibus Propheta: *euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*, Pſ. 25. Roga Jeſum reſuſcitatum, ne unquam ſinat in te ſpem talem elangueſcere.

Feria V.

MEDITATIO V.

De qualitate corporis Chriſti Reſurgentis.

Punctum primum. Conſidera, corpus Jeſu, morti tam ignominioſæ ſubjectum, remunerationis loco meritũ eſſe reſurrectionẽ in vitam mortalẽ, & doloris expertem: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur.* O mi Jeſu, juſtã cauſã habuiſti inſultandi morti, quæ

auſa eſt tecum congredi. Mortua eſt ipſa tunc, cum occidere te contendit. Non ſolùm reſurgis immortalis, & morti porrò ſubjectus non es; verùm pati in poſterum non potes, & totus es impasſibilis, ita, ut cauſa nulla naturalis nocere tibi posſit, quaſi ſis corporis expers. Lætare cum Jeſu de dotibus, quibus in reſurrectione eſt ornatus; roga, ut impertiatur gratiam immortalitatis animæ tuæ, ne unquam tibi deſit auxilium tuæ gratiæ, ut nunc vivas vitam aliquam gratiæ, divinam, & immortalam. Adhæc, ſicuti patiendi neceſſitate eſt exemptus, ita roga, ut te ſpiritaliter reddat immunem patiendi. O felicem animam, cui Deus ſenſum voluptatum, & pasſionum immoderatarum ademit, quæ mutant, & contriſtant animam. Vide, an hunc habeas favorem; & ſi totum contrarium experiris, certus eſto, non eſſe te integrè cum Chriſto reſuſcitatum. Cogita deinde, Chriſtum in ſe immortalem per peccatum mori in corde peccantis. *Et, ò quàm multi crucifixores, ait* S. Bern. *qui immortalem mortificant*, Serm. 2. do Paſcha. Tu ne ſis in poſterum illorum de numero, qui de novo Chriſtum in ſe crucifigunt, & ſpiritaliter occidunt.

Punctum ſecundum. Conſidera, quomodo corpus Chriſti, præter impasſibilitatem, habuerit etiam ſubtilitatem, quâ veluti ſpiritus penetret omnia, fruſtra re quacunque obſiſtente. Nihil ingreſſum impediebat per januas clauſas, nihil egreſſum. Gaude ob hanc ejus glorioſam dotem. At eheu, ſi ità res habet, cur non penetras aliquando in cor iſtud, cùm nihil impediat, nihil excludat, nec pulſu ad portam, ut aperiatur, ſit opus? Rumpe aliquando, quidquid obſiſtit, poſſesſionem rei cape, quæ tua eſt. Verùm ſi non uti vis iſta potentia, & cupis, ut ſponte ac liberè tibi aperiatur, ingredere in cor iſtud, aperio perlibenter, nec ardentiùs quidquam deſidero. Conſidera præterea, quantum refe-

rat animam eſſe præditam iſta ſubtilitate, quâ penetret omnia obſtantia, ſuperet omnem difficultatem in obſequio Dei. Quando ineſt animæ iſta ſubtilitas, nihil eſt, quod illam retrahat ab acquiſitione virtutum omni afflictionum, & dolorum felle in mel converſæ. Vide, an iſtam habeas ſubtilitatem, & agendo vincas omne impedimentum explendæ voluntatis divinæ? an verò difficultates te exaniment. O quàm infirmus es, quàm omnis te impetus evertit? Noli permittere, mi Jeſu, ut mea debilitas prævaleat: deſidero mihi prorſus diffidere, ſimul tamen animum excitare: nihil enim tua gratia non poteſt.

Punctum tertium. Corpus Chriſti glorioſum duabus aliis dotibus fuit præditum, claritatis, & agilitatis. Conſidera, ipſo Sole fulgere ſplendidius; ſimul tanta velocitate ferri, ut momento temporis remotiſſimis conſiſtat in locis, tanquam ſpiritus; & ab uno polo moveri in alterum poſſit. Expende nobiles iſtas dotes: gaude corpus illud, quod pondere crucis debilitatum, & oppreſſum cadebat, & cruciamentis ita deformatum erat, ut agnoſci non poſſet, tam ſit formoſum, ſplendidum, & agile. Conſolare te ſpe intuendi illud in cœlo. Quod ſi ſemel aſpiciendo in monte Thabor Apoſtoli ſibi videbantur eſſe in cœlo: quid erit aſpicere in cœlo in ſua gloria? Spera pariter iſtorum participem te fore donorum, ſi in hac vita ei ſervias ex animo. Roga interim animæ tuæ agilitatis aliquid, & claritatis conferri. Intuere cæcitatem tuam, ut exiguam divinorum myſteriorum habeas rationem, & veritatum Evangelicarum; ut premat graviter divinum obſequium; ut pondus carnis tuæ ad ima detrudat animam. Eras agilis in via peccati, velox ad voluptatis, & commoda, ſed lentus moveri verſus Deum. Argus eras centum oculis utilitates fluxas

circumſpiciens ; cæcus ad conſiderandas cœleſtes. Roga Dominum , ut te illuſtret: deſidera, ut agilem & expeditum ad ſuum cultum faciat ; & ſi tu inire neſcias iter ad illum, veniat, & trahat te poſt ſe ; & ſicut reſuſcitatus utebatur agilitate ad conſolationem ſuorum , & impertiendam ſui agnitionem ; ità pro pietate ſua utatur in tuum bonum iisdem dotibus glorioſis.

Feria VI.

MEDITATIO VI.

De Vulneribus à Jeſu retentis in corpore glorioſo.

P*Unctum primum.* Chriſtus reſuſcitatus cum dotibus ſui corporis, Claritate, Impaſſibilitate, Agilitate, & Subtilitate, voluit retinere vulnera manuum, pedum, & lateris. Conſidera, cur anima beata, redditâ ſalute corpori integrâ, ſanatis omnibus reliquis vulneribus, ac plagis, non tamen illas manuum, pedum, & lateris ſanaverit. Quid cum tui corporis gloria, *D*omine, agunt ſigna tuæ mortis, non minus ignominioſa, quàm doloroſa? Timebas fortaſſe, ne Pater cœleſtis, aut cœleſtes cives obliviſcerentur tuos cruciatus ? Cogita Chriſtum, non ut inimicus, ſed ut amicus habuiſſe plagas, quæ extremum dolorem intulerunt. Videbat ſe per illas pro nobis paſſum : & ſicuti paſſus eſt ſummo cum amore, ita reſurgere voluit cum plagis immortalibus, ut exiſterent in illis ſempiternum ſigna mortis , & dolorum, quos paucis horis exhauſis in cruce. Qui gaudet pati pro altero , non abſcondit illi plagas , ſed oſtendit. Quia igitur , Jeſus pro nobis illa accepit, retinere voluit ad immortalem apud omnes cœlites memoriam ſuarum perpeſſionum. O mi Jeſu , ut

hac

hac conſideratione erubeſco? non potero aliquando ego monſtrare in cœlo ſigna talia, qui fugio omni modo dura pro te ſuſtinenda. Monſtrabunt innumeri Sancti, quæ ſunt paſſi: non ego. Gratias tibi ago, Jeſu, quod retinueris illas plagas, pretium meæ libertatis, quibus me inſcripſiſti tuo ſanguine: & ſicuti in te ſemper erunt tuæ ſigna victoriæ, & effectus tui amoris, ita mihi ſemper ſint fontes charitatis, ut amem te toto corde, & patiendi pro te deſiderio accendar.

Punctum ſecundum. Conſidera, quid egerit illa ſanctiſſima humanitas jam glorioſa, quando ſe vidit poſſidere illam gloriam, cui renunciaverat à puncto conceptionis: quanto affectu adoraverit æternum Patrem! quantis laudibus extulerit! quantas gratias egerit de perpeſſionibus præteritis in tantam gloriam converſis, & lachrymis in gaudia, repetendo fortaſſe Davidis ſenſum: *Convertiſti planctum meũ in gaudium mihi.* Pſ. 29. Hinc diſce, quomodo afflictiones hujus vitæ, pro Deo toleratæ, ſemen ſint ſolatiorum. O qualis gaudiorum meſſis colligitur, ab eo, qui cum lachrymis ſeminavit! Ita tibi eveniet, ſi nunc Jeſum imitaberis: *Seminatur in ignobilitate*, dicit Apoſt. *ſurget in gloria*, 1. Cor. 15. Cogita, qualem tu meſſem ſperare poſſis. Præpara nunc, quæ ſpei meſſis reſpondere poſſint.

Punctum tertium. Conſidera feſtam hilaritatem Angelorum, & animarum liberatarum, cum viderent Jeſum redivivum tam glorioſum, tam ſplendidum. Si cœlum jubilavit, cum cerneret illum natum in ſtabulo, pauperem, ærumnis obnoxium, egenum, inter bina animalia, moriturum; ſi deſcendit ad adorandum, ſi eum promulgavit, ſi ei ſervivit; quanto gaudio celebraverint ſepulchrum Angeli? quanto Paradiſus univerſus, videndo inſtauratorem ſuarũ ruinarũ? quanto juſti

illi

illi liberati videndo redemptorem ſuum in tanta gloria, ſuis meritis parta! cura, ut cor tum conjungas beatis illis ſpiritibus, & exerce frequenter eosdem actus verſus Redemptorem tantâ gloriâ potitum.

Sabbatho in Albis.

MEDITATIO VII.

Chriſtus apparet ſanctiſſimæ Virgini.

P*Unctum primum*. Conſidera, quod Chriſtus fecit ut primum reſurrexit. Cœpit quaſi Sol ſpargere ſuos radios! apparuit, & conſolatus eſt ſuos: & icirco egrediens ſepulchro dixit, ut refert Rupert. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris l. 7. de Div. off. c. 15. Et primùm acceſſit ad Virginem comitantibus Angelis, & animis liberatis. Cogita, quam decuerit primam viſitari matrem. Reſuſcitatus, priùs quàm exiret ſepulchro, adoravit Patrem æternum, egitque gratias de gloria ſui corporis. Decebat ut ſepulchro egreſſus progrederetur ad matrem ſuam honorandam. Primò enim erat illa, quam plus rebus omnibus amabat, quæque viciſſim eum ante omnia alia amabat. Deinde, illa ſummum præ aliis dolorem in Paſſione illius erat experta; par igitur erat, ut majus gaudium, & ante alios caperet. Præterea, Virgo ardentius omnibus aliis deſiderabat, & exſpectabat reſurrectionem Filii: conveniebat ideò, ut prima illum à Reſurrectione videret. Ut adeò plus faveat Jeſus illi, qui plura patitur pro Jeſu, plùs amat Jeſum, qui ferventiùs rogat & vehementius deſiderat. Et tu, quid agis? O quàm frigidus es! erubeſce; accurre ad Virginem; gaude cum illa, quod tunc fuerit mons myrrhæ per continuum cũ Chriſto dolorem, & collis incenſi per ardentisſimos erga Chriſtum affectus? & roga illam, ut accendat cor tuum, ut expellas animo tuo tantum languorem tam in deſiderando, quàm in condolendo.

Punctum ſecundum. Conſidera Domini glorioſi ingreſſum in habitaculũ Virginis; & quo modo ad majorem conſolationem, animam illius roboraverit cum oculis, ut capax fieret majoris voluptatis. pondera pleniſſimam Virginis lætitiam, à parte Chriſti, qui eam conſolari volebat, quoniam amabat, & conſolari poterat, quia Deus erat omnis conſolationis: à parte Virginis tam capacis, quàm plenæ virtutum omnium. O quomodo revixit ſpiritus ejus ad objectam talem ſpeciem. Si mors Jeſu mortalis ei fuit ictus, reſurrectio talis non reddiderit vitã? ſi, quis rem quampiam deſideravit, eâ obtentâ gaudet ad menſuram deſiderii; quale Virginis fuerit gaudium, quæ magis virebat in filio, quam in ſe, & ferventiſſimè deſiderabat, ut reviviſceret filius infiniti valoris. Obſerva mutuos filii matriſque amplexus, profundam illam Virginis adorationem, dulciſſimam filii invitationem ad cor & látus; ad flumina Pacis, quæ trahebat ex illo Paradiſo, & ſugebat in illo fonte; ad ignes voluntatis, in quibus liquefiebat tota ad cognitionem profundam majeſtatis filii, & divinitatis, quam obiter intuita eſſe à quibuſdam creditur. Huc adeſte omnes Mariæ filii: moremur in dulci gratulatione gaudii matris noſtræ dulciſſimæ; & ſicut illa gaudebat de gloria in filio conſpecta, plùs, quàm ſi eam ipſa poſſediſſet; ita nos plus gaudeamus conſolationem tam bonæ matris videndo, quâm ſi nobis illa obtigiſſet. Et rogemus, ut ex menſa tam lauta ſinat cadere micas aliquas pro nobis, filiis ſuis.

Punctum tertium. Conſidera, quomodo Jeſus, poſteaquam honoravit, & conſolatus eſt Matrem oſtenderit illi pretioſum ſpolium animarum liberatarum. Vide, quomodo cunctæ illæ ſanctæ animæ ingreſſæ ſint ad congratulandum Reginæ ſuæ. Et quàm ſe gratos oſtenderint primi noſtri parentes,

quòd

quòd illa tam largiter cooperata ſit,ut remedium erroribus præteritis adſerretur? quantam gratulationem acceperit ab illis Patriarchis, præcipuè magis conjunctis? Conſidera porrò gaudium Virginis tam bene de mundo meritæ,cum cerneret copioſam illam meſſem,& uberem fructum Redemptionis, conſiderando cœlum jam apertum, & innumerás animas beato Dei aſpectu fruentes. Cujus autem erat potior conſolatio? animarumne ſanctarum, vultum hujus Dominæ contemplantium; an Virginis, tributum honoris,& obſequii, à tot animabus,jam beatis accipientis? Deſidera tu pariter,ut aliquando poſſis cum aliis Sanctis debitum venerationis tributum Virgini perſolvere,& dignus fieri æterno illius in cœlo aſpectu.

Dominica in Albis.

MEDITATIO VIII.

Acceſſus ſanctarum mulierum ad ſepulchrum.

P*Unctum primum.* Magdalena,& reliquæ mulieres, quæ ad ſepulturam Chriſtum erant comitatæ,non ſufficere unctionem à Joſepho, & Nicodemo factam ratæ, præpararunt unctionem alteram; &,peracto Sabbathi feſto, compararunt neceſſaria in eam aromata. Conſidera in hoc facto grandem amorem erga Chriſtum,quo aliqua ex parte fidei defectus purgatur: nimirum ſi reſurrecturum tertio die Chriſtum credidiſſent,ſuperfluum erat aromata ad ungendum mortuum parari. Hæc igitur modica fides obtegitur pro illo affectu honorandi, & incorruptum ſervandi corpus Chriſti. Ecce modum compenſandi imperfecta, nempe multùm amare: *quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Secundò conſidera quantum interſit frequentare actiones bonas. Magdalena

gdalena unxerat pedes Jeſu, & caput viventis: ex quo magnum ſolatium, & utilitatem animæ ſuæ perceperat: & jam iterare vult unctionem. Proinde curabis exercere te in actionibus bonis virtutum. Tertiò, quanquam mulieres iſtæ ardentiſſimè deſideraverint, rurſum videre, & ungere corpus Jeſu; nihilo ſecius abſtinuerunt Sabbatho, propter legis obſervationem. Ecce, primus ac principalis Dei cultus eſt Legi parere: non enim placere poteſt obſequium illud Domino, quod adverſatur ejus voluntati. Cura ad hanc normam exigere opera tua pia.

Punctum ſecundum. Conſidera tempus, quo viam inierunt, ad perficiendum opus conſtitutum deſideratæ unctionis: *Cùm adhuc tenebræ eſſent*, Joh. 20. cœlo adhuc obſcuro. Vide diligentiam piarum iſtarum mulierum: tranſacto ſolemni confeſtim comparant aromata: vix albeſcente cœlo, ſubitò promptæ ſunt, & expeditæ. Quam prolixa fuerit illis nox præterita: quoties cœlũ aſpexerint, an diluculaIet, religioſè impatientes! Non faſtidioſum illis eſt, exire urbe; per Calvariũ, locum funeſtum ac horridum incedere; non conditio ſexus timidi abſterret. Unde illis hic tantus animus, diligentia tanta, niſi ex amore Chriſti? O, quomodo amor divinus animæ illapſus mollit omnem difficultatem, & excitat cor, erigitque ad diligentiam. Invide ſanctè fervorem hunc mulieribus iſtis, & erubeſce de tua negligentia in cultu divino, & deſidera illam ſollicitudinem in Dei obſequio, quam adhibes in cura rerum fluxarum, & amicitia rerum conditarum.

Punctum tertium Conſidera ſermocinationes in via factas: *Dicebant ad invicem, quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Marc. 16. Recordantur, à Joſepho, & Nicodemo grandi ſaxo clauſum eſſe ſepulchrum, & inter ſe agunt de modo illud amoliendi. Et conſpecta difficultate, non relegunt

viam,

viam, ſed proſequi pergunt. *D*icite, ſanctæ mulieres: difficultas eſt certa: vos ad removendum lapidem invalidæ: quâ fretæ ratione ire pergitis? indubiè magnâ in Deum fiduciâ, quæ animum excitabat: & hæc fiducia erat amoris filia, quo Chriſtum complectebamini: & hic fidem ſepulchri quoquo modo aperiendi faciebat. Vide illarum perſeverantiam in bene cœpto, grandi in Deum fiducia confirmatam, ejusdem ex amore natam, qui in illis hunc excitabat affectum, quem poſtea etiam Apoſt. expertus eſt: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, Phil. 4. Vide exemplum, quod tibi proponunt ſanctæ iſtæ mulieres, & occaſionem erubeſcendi, quòd objectâ profectui tuo vel modicâ difficultate, cadas animo, retrahas manum ab opere, & deficias, quia parum amas. Cogita porrò, ſæpe tibi fuiſſe cogitandum: *Quis revolvet nobis lapidem?* Quomodo vincam iſtud impedimentum, iſtam tentationem, iſtum malum habitum? Felicem te, ſi frequenter hæc interrogaveris teipſum? Facilior eſſet virtutis acquiſitio. Sed quia parùm penſi habes occurrentia, propterea manet ſemper occluſum cor tuum ſaxo malæ conſuetudinis.

Feria ſecunda.

MEDITATIO IX.

Angelus nunciat ſanctis Mulieribus Reſurrectionem Chriſti.

P*Unctum primum*. Mulieribus ſepulchro propinquantibus deſcendit Angelus de cœlo, qui fecit magnum terræ motum, amovit ſaxum à ſepulchro, & in eo conſedit, fulgurante vultu, veſtitu candido. Hic ſingularem *D*ei providentiam expende, & fructum pietatis iſtarum mulierum. Aufertur impedimentum lapidis, quo claudebatur ſepulchrum, & cura mulierum animis injiciebatur: nec ſolum illa difficultas

tolle-

tollebatur, quā videbant; ſed illa quoque impedimenta, quæ neſciebant. Neſciebant illæ, militum cuſtodiam eſſe ad ſepulchrum collocatum, & illud ſigillo publico eſſe munitum: quæ ſi comperta Magdalenæ, & ſociis fuiſſent, eò non acceſſiſſent. Quid agit Dominus? terram gravi motu concutit: Angelum adſpectabilem mittit: & cuſtodibus terrore diſſipatis, aditum mulieribus ad ſepulchrum aperit, ſublato ſigillo, apertum. Sic *D*ominus feriò ad ſe adſpirantes adjuvat: frangit, & tollit impedimeta malorum habituum, & conſuetudinum; exterret, & fugat hoſtes noſtros, facitque, ut impedire nos haud poſſint. Et, ô quanta removet impedimenta, nobis incogita, per Angelos; Confide in Deo, nec ulli rei cede, quæ obſtet obſequio divino.

Punctum ſecundum. Ut ad ſepulchrum pervenerunt mulieres, viderunt Angelum amico erga ſe, & ſereno vultu: qui eas conſolans dixit, ne timerent: ſcire ſe, Chriſtum ab eis crucifixum quæri: jam reſurrexiſſe: ingrederentur ſepulchrum, locumque viderent, quo poſitus fuerat Dominus. Hic primò conſidera, Angeli vultum amabilem: ut intelligas, *D*ominum ſuas impertiri gratias illis animis, quæ eum quærunt, & bonis operibus pœnitentiæ, charitatis, & ſanctarum orationum ungere volunt. Sic etiam tecum aget, ſi ſanctas iſtas mulieres imitaberis. Secundò, conſolatur eas Angelus, & timorem terræ motum incuſſum, ſuique aſpectu, tollit: *Nolite timere vos, dicit.* Cur vos? quia ſcio, inquit Angelus, quia vos Jeſum quæritis crucifixum. O quàm bona ratio non timendi? ô firmum conſolationis fundamentum! Qui quærit Jeſum crucifixum, ut ei ſerviat, eum honoret, quid timeat? timeat oportet, qui illum offendit, & habet inimicum. O ſi tua te conſcientia ſe-

curam reddat, quòd quæras Jeſum, quod eum deſideres, ad eum ſuſpires: quanta ſit iſta felicitas! Vide, an id agas, an Jeſum quæras, an te ipſum; illius gloriam, an tuas voluptates: & cura, ſic moderari tuas actiones, ut Angelo tuo cuſtodi ſatisfacias, & ille tibi dicat: *Scio, quod Jeſum, qui crucifixus eſt, quæris.*

Punctum tertium. Conſidera, quomodo mulieres ingreſſæ ſepulchrum, non invento Chriſti corpore, animis conciderint, partim ob ſpem inveniendi fraudatam, partim ob Angelorum duorum, quos viderant, præſentiam, & eas, ut incredulas, reprehenderant. Vide, quàm difficiles ſimus flecti in bonum, quàm faciles in malum. Eva promptè dæmoni credidit contra mandatum Dei: & iſtæ non moventur Angelorum teſtimonio: *quid quæritis viventem cum mortuis?* quærebant Jeſum in ſepulchro, quod eſt domicilium mortuorum, jam vivis redditum. Eadem tibi convenit reprehenſio. Nam quid aliud eſt quærere Chriſtum vivum inter mortuos, niſi conjungere ſervitium Chriſti cum ſervitute mundi? velle ſe dedere Deo, remanere tamen in ſepulchro vitioſarum conſuetudinum, nec amore fluxarum rerum, aliorumque impedimentorum ſe exſolvere? Statue non quærere inpoſterum Jeſum iſto modo, inter mortuos. Ad extremum dicunt mulieribus: *Surrexit, non eſt hic.* O inſignem teſſeram animæ ex malis redivivæ, cum ei dici poteſt: *Non eſt hic*, non amplius eſt in iſto affectu vano: reliquit illam peccandi occaſionem: non invenietis poſthac in illa imperfectione. Vide, qualis in his tu ſis: & cura exire de ſtatu negligentiæ tuæ, quò tibi, & de te dici poſſit: *Non eſt hic, ſurrexit.*

Feria tertia.

MEDITATIO X.

Mulieres viſa referunt Apoſtolis.

Punctum primum. Angelus edoctis de Reſurrectione mulieribus mandavit, ut confeſtim nuntiarent Reſurrectionem Apoſtolis, & præceſſurum Dominum in Galilæam: *Citò euntes, dicite Diſcipulis, quia ſurrexit.* Conſidera, cujus nomine det hoc mandatum Angelus, & quibus debeat nunciari Domini Reſurrectio. De primo, citra dubium loquitur Angelus loco Chriſti reſuſcitati, & glorioſi: deinde jubet nunciari Apoſtolis, qui metu ipſum deſeruerant, & majore ex parte in Paſſione auxilium à Chriſto ferendum deſperaverunt, fide etiam, ut quidam volunt, perditâ. Et non tibi videtur hîc eminere ſuavitas & bonitas Jeſu? nam quamvis reſurrexit glorioſus, & nulli afflictioni obnoxius, retinet tamen amorem ſuum, & exercet erga illos, qui illum tempore, ut ita dicam, neceſſitatis ingrati deſeruerunt. Ut eſſet ſollicitus de conſolatione Virginis, omnis exigebat ratio, quòd ad crucem fideliſſima conſtitiſſet: verùm hac uti humanitate ergà Diſcipulos tam ingratos, ut certiores de Reſurrectione faciat, ut in Galilæam invitet, ſumma eſt charitas Jeſu. Et obſerva, Angelum dicere: *euntes citò.* Vult eos quamprimum conſolari. Et videre, mi Jeſu, tam benignè te agere cum indignis, erigit me pariter ad ſupplicandum tibi, ut, non obſtantibus meis peccatis, conſoleris cor iſtud, eique dicas: *Salus tua ego ſum*, Pſal. 34.

Punctum ſecundum. Dictis ad mulieres Angelus addit ſingillatim, ut hæc nova nuncient Petro: *Dicite Diſcipulis, & Petro.* Cur ſeparatim loquitur de Petro?

quia ille caput erat reliquorum Apoſtolorum: & quia præ aliis ſemper amaſſe Jeſu videbatur Petrus; ſic de morte ipſius acerbius dolebat. At nunquid ſtultiùs, quàm alii, negavit Magiſtrum, & peccavit gravius contra fidei datæ confeſſionem? Ita eſt. Deploravit tamen amarè ſuum peccatum, perennibus lachrymis. Ob tantum dolorem nominatim Petrum exprimit, ad animum ejus excitandum, & oſtendendum, antiquo ſe eum loco habere, ac memorem amoris priſtini eſſe. Quo etiam fiduciam nobis omnibus facit, gratiæ, quâ ante lapſum potiebamur, amarâ pœnitudine recuperandæ. Cognoſce tantam bonitatem, time offendere: ſi tamen tuâ culpâ cecideris, ſume animum, dole ex corde, ad illud te confer cum confidentia, quoniam cernis ab illo recipi, æſtimari, & benignè tractari verè de commiſſis pœnitentes.

Punctum tertium. Acceptis mandatis exierunt ſepulchro mulieres, ſacro horrore plenæ, alternantibus lætitia, & metu: inde, propter bonum nuncium; hinc propter dubiam veritatem: abierunt quæſitum Apoſtolos, & nunciatum, quæ vidiſſent, & audiiſſent. Conſidera Chriſtum honorare voluiſſe hunc ſexum, & legatos facere mulieres ſuæ Reſurrectionis, ad remunerandam illarum pietatem, quâ ſuperarunt Apoſtolos voluntate honorandi, & viſitandi Jeſum mortuum. Secundò voluit per iſtas mulieres compenſare malum Evæ, quæ in Paradiſo fuit occaſio mortis Adamo ſermone ſerpentis perſuaſa: & iſtæ mulieres Angeli obedientes mandatis, vitam nunciarunt Apoſtolis. Hinc diſce, ſemper creſcere in deſiderio Jeſum honorandi: & opem ferre aliis, quoquo modo potes, maximè ſi, aut verbis, aut factis occaſio fuiſti aliis ad peccandum, remedium adhibendo malè factis, ad actiones virtutum permovendo.

Feria

Feria quarta.

MEDITATIO XI.

Petrus, & Joannes eunt ad ſepulchrum.

PUnctum primum. Audierant Apoſtoli narrationem mulierum de Reſurrectione Chriſti: & narrata non videbantur illis vera: *Viſa ſunt ante illas tanquam deliramentum verba iſta, & non crediderunt,* Luc. 24. Conſidera incredulitatem Apoſtolorum rationi minimè convenientem. Nunquid enim prædixerat illis ipſe Dominus, adhuc vivus, moriturum ſe, & tertiâ die reſurrecturum? confirmabat dictum Angelus, in Galilæa conſpiciendum vivum, præter ipſius Domini promisſionem? non tamen credunt. Facilè credere, levitas eſt: non credere, concurrentibus tot credendi rationibus, protervia, & contumacia. O quoties & nos hîc labimur, non adhibendo fidem monitis cœleſtibus, & inſpirationibus internis? Illas ad agendum bene admonitiones, illos conſcientiæ morſus, quibus ad malum vitandum urgemur, damnamus ut ſcrupulos, aut repellimus ut vanos. Multum tamen intereſt ad noſtram ſalutem, credere divinis inſpirationibus, & cedere. Fac, Domine, ne unquam inter inania tuas admonitiones habeam, ſed gratias tuas cognoſcam, illiſque meas actiones accommodem.

Punctum ſecundum. Ad mulierum, inprimis Magdalenæ, narrationem, quæ Dominum ablatum dicebat, ſtatuerunt Apoſtoli duo, Petrus, & Joannes ad ſepulchrum accedere, & exploratius audita cognoſcere. Conſidera iſtorum Apoſtolorum prudentiam: vident reliquos non habere fidem mulieribus, non iccirco impediuntur ne abeant ad ſepulchrum: non aptare ſe aliorum ſenſui volunt; ſed diligentiam convenientem adhibere. Diſce hinc ductum ſequi rationis, non aliorum facta ut ſecuram agendorum normam imitari,

ita, ut non expendas, & conſideres, quid conveniat. O quoties ad modum ovis ſecutus es, quæ videbas ab aliis fieri, contra Senecæ effatum: *Argumentum peſſimi turba eſt*. Adhæc modum expende, quo abierunt iſti Apoſtoli. Currebat uterq;. Ecce amoris affectum, quem gerebant erga Jeſum! hic ſollicitus, & diligentes fecit in via. Talis tu non es in obſequio divino. Quàm te lentè moves? ambulas, ſi tamen ambulas, pede plumbeo. *Viam mandatorũ tuorũ cucurri*, dicebat *David*. Idem dicere tu potes? Cura, ut ſaltem inpoſterum poſſis dicere.

Punctum tertium. Pervenit prior ad ſepulchrum Joannes, ut junior: at non intravit: exſpectavit Petrum, qui intravit, ipſe ſecutus eſt. Explorarant omnia diligenter: & non invento corpore, uti retulerat Magdalena, egreſſi ſunt, & domum redierunt. Hîc expende primum Joannis erga Petum obſervantiam, tanquam caput ſuum, & ſeniorem; quem non deſiit æſtimare, ob Chriſtum ſtolidè negatum, & ſuum apud crucem obſequium: ſed honoravit in iſto gradum capitis futuri. Vide, quo modo agas cum tuo proximo, præſertim eo, qui eminet gradu, & tibi præpoſitus eſt, quanquam imperfectus. Conſidera, an ſis talis: ſi non es, eſſe cura. Secundò non inveniunt Angelos in ſepulchro, ſicuti mulieres: non tamen inique ferunt, plùs honoratas illas: acquieſcunt voluntati Dei. En, ut doceris, non interpretari malè, nec invidere, quando proximum vides præ te honoratum, & gratum. Aſſueſce gaudere de aliorum bonis, ſicut de tuis: ſic meritum charitatis habebis, & fortaſſe plus capies utilitatis in anima tua, quàm ſi poti-teris iiſdem bonis. Ad extremum conſidera quanta cũ veneratione tractaverint illud linteum, quo corpus Jeſu erat involutum, quodque ejus imaginem

im-

impreſſam receperat; quàm ſancto cum horrore contemplati & exoſculati ſint; quò illos imitari poſſis, quando ipſum *D*ominum recipis.

Feria V.

MEDITATIO XII.

Jeſus apparet Magdalenæ.

P*Unctum primum.* Magdalena, allato Apoſtolis nuncio, rediit cum ſociis ad ſepulchrum: & digreſſis duobus Apoſtolis, & aliis mulieribus, viſo ſepulchro, illa ſola ibi permanſit. Conſidera magnum amorem, quo ardebat erga Jeſum Magdalena, qui illam ad ſepulchrum retinebat: qui lachrymas oculis effundebat, abſentiam ſacri corporis deplorantes: qui ſollicitudinem quærendi excitat. Et quaſi non crederet ſibi ipſi, ſæpe in ſepulchrum reflectit oculos, neque Angelorum dictis acquieſcit, neque ſola quod ibi eſſet, diſceſſum perſuadet. Tota affectu, cogitatione, & deſiderio defixa, eſt in Jeſu inveniendo, & in concepto charitatis, & pietatis officio exercendo. Reliquæ mulieres viſo ſepulchro aperto, & vacuo, quaſi nihil, quod agant, ſuperſit, diſcedunt: duo Apoſtoli non morantur: ſola illa durat ſuſpirans, & plorans ad illum locum, in quo depoſitum fuerat ſuum bonum. O Magdalena, quid expetis? quid eſt conſilii? quouſque ibi hærebis? totum tibi negotium eſt lachrymari? non aliud cogitat, quàm non habere ſe Jeſum, non habere, quem quærit: hoc ſolum curæ eſt. Quàm verè de illa Dominus dixit: *Dilexit multùm.* Quamvis autem non vacabat aliqua imperfectione, non credendo Angelis, qui teſtificabantur reſurrexiſſe Chriſtum; nihilo ſecius amoris magnitudo ſic eam occupaverat, ut omnia alia excluderet. O cor felix

Magdalenæ, in quo nihil erat præter Jeſum. Gaude cum illa: deplora tamen tuam miſeriam, quoniam, aut alia omnia habes in tuo corde præter Jeſum, aut, ſi ibi eſt, ultimo loco eſt.

Punctum ſecundum. Conſidera reſponſum, quod illa dat Angelis, quos dum iteratò ſepulchrum videt, conſpicit. Interrogant illi: Mulier, quid ploras? O ſancti Angeli, neſcitis cauſam hujus ploratus? cur interrogatis? Juvat Angelos illam interrogare, & intelligere, ob voluptatem audiendi, quod ibi ſit qui inconſolabiliter ploret, quod amiſſum Jeſum credat. Rarum Angelis ſpectaculum: qui quidem multos plorare de perditis rebus fluxis videbant, non autem de Chriſto non invento: ut intelligas, lachrymas à te ſimilibus de cauſis effuſas, grandem Angelo tuo cuſtodi conſolationem allaturas. Pondera Magdalenæ reſponſum: *Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.* Ecce, ut bene impenderit ſuas lachrymas Magdalena: primò quidem ad pedes Chriſti in deteſtationem ſuorum peccatorum: ſecundò hîc juxta ſepulchrum propter Chriſtum non inventum. O quàm utiliter ſparſit primas, impetratâ veniâ; & ſecundas, invento Chriſto! Ita noveris tu in uſum bonum fundere lachrymas, cum noveris deflere commoda carnis, non damna ſpiritus. Obſerva, dolore illam ob ablatum Jeſum: concipe parem ſenſum, & ſtatue nunquam inpoſterum illum dimittere, cùm non poſſit eripi, niſi volenti.

Punctum tertium. Dum reſpondebat Angelis Magdalena, vidit illos aſſurgere, & inclinare ſe; unde reſpiciens retro, ut, quis adeſſet, videret; vidit Jeſum hortulani ſpecie, & non agnovit. Hoc loco conſidera, Magdalenam duorum Angelorum aſpectu, quamvis habitu, & forma pulcherrimorũ, non acquieſcere neq; lachrymas cohibere. Cur ſpectaculum tam bellum cæleſtium illorum civium non totam exhilarat? quia to-

tus

tus illius affectus inhærebat Chriſto. Qui ardenter amat Jeſum, non invenit dilectum in aliis rebus; & qui ſingulariter amat creatorem, non quieſcit extra illum. O ſi una ſcintilla hujus amoris te inflammaret, oneri tibi foret; quidquid non eſt Deus. At quia frigidum eſt cor tuum, & languidè amans, non quieſcis in *D*eo, & facis te mendicum creaturarum. *D*einde reſpice ad bonitatem *D*ei, qui non permittit languere diu animam, quæ ardenter eum quærit: qui mulieri conſolandæ, quam licet ut importunam, & incredulam reprehenderat, & habitu vili gloriæ ſuæ aſpectu fraudaverat; apparet ad abſtergendas illius lachrymas, quæ ſe afflictam de illo ſolo monſtrat; & quaſi Apoſtolam ad ſuos Apoſtolos deſtinat, primùm ei ſe præ aliis oſtendendo reſuſcitatum, ad annunciandam illis Reſurrectionem, qui eum promulgaturi erant totum per orbem terrarum. Quantum movet Jeſum, qui pro eo ſe affligit? non movebis jam tu, qui pro re omni alia te affligis, & cruciàs. Gaude cum Magdalena: roga ut partem aliquam ſui affectus tibi impetret.

Feria ſexta.

MEDITATIO XIII.

Continuatio Apparitionis Chriſti ad Magdalenam.

PUnctum primum. Conſidera interrogationem Jeſu, & reſponſionem Magdalenæ. Ait Chriſtus: *mulier, quid ploras?* Sciebat, cur ploraret; quærit nihilominus, quia delectat illum audire, ſe quæri, & deſiderari. Non ſcio, an iſtiuſmodi ſolatium inveniat in te Jeſus; an tua ad illum ſuſpiria dent ei cauſam alicujus voluptatis. Secundò, quòd crederet Magdalena Chriſtum eſſe hortulanum illius horti, dixit illi: *ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Ecce ardentiſſimum Magdalenæ amorem,

quo agitur transverſa. Interrogat Dominum ut homi-nem vilem, habitu hortulanum prodente. Non hoc ho-minem mente captum judicat? non aliquem nominat, ſed dicit: *ſi tu ſuſtuliſti eum.* Vult intelligi ſua dicta de Jeſu: non tamem illum nominat. Non hic affectus eſt ardentis amoris? erat plena Jeſu: aliud non gerebat in corde, aliud nihil cogitabat: credebat alios de eo pariter cogitare. Tandem oſtendit ſe paratam ad eum auferendū, quocunq; loco eſſet. O quantus ardor, quanta conſtantia! non latebat illam Judæorum furor: durabat tamen. Gaude cum Magdalena, quod amor Jeſu tam expeditum dederit ei conſilium, ut neminem curaret, neminem timeret, modò Jeſū haberet. Erubeſce tam procul abeſſe à deſiderio tam ſancto: pete à tam fervente diſcipula, ut ſuis tibi precibus impetret ardentem Jeſu amorem.

Punctum ſecundum. Noluit Jeſus Magdalenam longius attinere anxiam: manifeſtat ſe illi; appellat nomine, & dicit: *Maria.* Et Magdalena agnoſcens illum confeſtim reſpondet: Magiſter. Conſidera, quomodo Chriſtus nominando Mariam ſit uſus ſono vocis ſuavi, & efficaci, quo ſolebat eam compellare in vita mortali. Quo illa ſubitò impleta eſt lætitia inexplicabili. O bone paſtor; voce tua penetraſti animum ovis tuæ afflictæ, & impleviſti eam dulcedine mirabili. O mutationem miram! Ut ſubitò doloris lachrymæ vertuntur in lachrymas amoris: ut ad vocem illam ſe mox recipit! ut novit Jeſus, & repentè, & integrè conſolari animas! Quàm facilè à ſummo ad imum corda commutat! Non tales ſunt conſolationes terrenæ, quæ ſemper commixtæ amaro non attingunt cor. Ecce ut Magdalena gaudeat fructu ſuæ perſeverantiæ, aſpiciens prima Chriſtum reſuſcitatum: ut bene diligentiæ ſuæ dicat! *Qui quærit invenit.* Quamvis autem modica cum fide quæſiverit Jeſum, nihilominus videre meruit

vi-

vivum, dum deplorat mortuum. Excita te exemplo Magdalenæ ad perſeverandum in exercitio virtutis; ac licet non defuturæ ſint imperfectiones, dura tamen, & fac, quod potes.

Punctum Tertium. Magdalena ſubitò procubuit in terram ad adorandum, & exoſculandos, ut ſolebat, pedes. Sed vetuit Jeſus: *Noli me tangere.* O Domine, cur eam removes à te? itane interrumpis conſolationem te manifeſtando datum? Cur non permittis, ut oſculetur pedes illos glorioſos, quos paullò antè lachrymis perfuderat exſangues! O charitas dulciſſima Jeſu in conſolatione ſuorum! Volebat Magdalena gaudere tam bona occaſione commorandi cum Jeſu, & indulgere affectui oſculandi ſacros illos pedes: non cogitabat de afflictione ſociarum, domum reverſarum, nox de mœſtitia duorum Apoſtolorum, Peri & Joannis, non de aliis, quos novorum narratio perturbatos, & ſuſpenſos tenebat, quosque conſolari quam primum Dominus deſiderabat. Propterea nolebat eam propinquare, & inhærere ſuis conſolationibus: poſtea tempus in faciendi fore. Placet Deo relinqui propriam conſolationem, ut proximi afflictionem, & neceſſitatem leves. Diſce non tantopere te ipſum, & conſolationem tuam ſpiritalem quærere, quando ſervire potes afflicto. Ad extremum dicit illi Chriſtus: *Vade ad fratres meos.* Vide quomodo tractet ſuos Diſcipulos, qui eum deſeruerant: fratres appellat, ut eos excitet ad fiduciam, & fidem ſui erga eos amoris faciat. Gratias age Domino, quod nos honoret fratrum nomine, cum eſſet, etiam ut homo, Dominus, & Princeps noſter. Cura, ut hoc nomine dignum te facias, & ſingularem cum Jeſu amicitiam contrahas gradumque filii adoptivi, gratiæ beneficio, conſerves.

Sab-

Sabbatho.

MEDITATIO XIV.

Chriſtus apparet aliis mulieribus.

PUnctum primum. Magdalena accepto Chriſti mandato viam relegit, & feſtinato gradu ſocias aſſequitur, quæ gaudium inter & mœſtitiam lentè incedebant de viſis ratiocinantes. His Magdalena aperire debuit, viſum à ſe Chriſtum; *Vidi Dominum, & hæc dixit mihi*, Joh. 20. Conſidera ſenſum iſtarum mulierum, quod non etiam ipſæ manſerint apud ſepulchrum; & delectationem, quam habuerint de gaudio Magdalenæ; ſimul deſiderium grande videndi Chriſtum reſuſcitatum. Et, ut Chriſtus his actibus diſpoſuerit iſtas mulieres ad eundem favorem recipiendum. Sic agitur in anima. Non concedit ſubitò Dominus: vult, ut cor ſe diſponat: & gradatim concedit, ita, ut una gratia ſit via ad alteram. Cura parare te, ſi divinis eſſe dignus gratiis deſideras. Conſidera, quomodo deſiderantibus iſtis mulieribus appareat, & dicat: Avete. Vide benignitatem Domini, cui ſatis non eſt, remunerari illarum fervorem, prior ſalutat. Quantâ affluxerint lætitiâ tam dulcem diligentiæ ſuæ colligendo fructum, quâ non parcendo, ſive ſumptui, ſive labori pergebant illi ſervire, etiam mortuo. Ita benignum experitur Dominum, qui non ſua commoda ſectatur, etiam ſpiritualia, ſed obligationem ſuam, & pro merito Domini conſtans eſt in ejus deſiderio, & obſequio. Vide, an ſic agas: & cura facere ad exemplum mulierum iſtarum.

Punctum ſecundum. Conſidera, quomodo tam inexſpectata præſentia, & amiciſſima ſalutatione illectæ, & amore inflammatæ, abjecerint ſe in terram, illum adoraverint, pedes prehenderint, & oſculatæ ſint, ingenti

genti cum conſolatione: quomodo à Chriſto fuerint unctæ oleo lætitiæ, quæ exierant ad ſepulchrum, ut ungerent aromatibus: quomodo cordibus pacem illam impertiverit, quam ſua voce denunciavit. O quid non effecerit dulce illud ſtare ad pedes Jeſu! ô ſi tu dignus fieres, & ſcires cum reverentia te abjicere ad pedes Jeſu, quando illum in Euchariſtiæ myſterio geris in pectore! Vide porrò dulcedinem charitatis Jeſu: illos pedes, quos negavit Magdalenæ, cum ſola eſſet, permittit nunc, & Magdalenæ, & ſociis: aptat ſe illarum affectui: diſtribuit ſuas gratias: ſi prætulit Magdalenam primùm ei apparendo, nunc conſolatur illas ad oſculum ſacrorum pedum admittendo, & unà Magdalenam. Quanti momenti eſt, Jeſum ex animo diligere. O quàm fidelis eſt ille amicus, & dulcis conſolator animæ ardenter amantis! Ecce, ſi non confeſtim concedit, quod expetitur, concedit tandem quando conſtanter deſideratur, & quando ille videt ad gloriam ſuam, & utilitatem noſtram cedere. Tu igitur dura, & non in irritum tua excidet exſpectatio.

Punctum tertium. Dominus, poſtquam conſolatus eſt mulieres conſpiciendum ſe præbendo, & in certius Reſurrectionis teſtimonium, etiam tangendum, dixit illis: *Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Conſidera in hoc mandato mulieribus dato dulcedinem cordis Jeſu. Dicit illis, ne timeant, tractando illas pari familiaritate, quâ antea: ut Apoſtolis demant timorem, & teſtificentur, Reſurrectione mutatum eſſe ſtatum, non ſuavitatem, & facilitatem. Appellat illos fratres: poteratne verbis uti majoris confidentiæ, tempore, quo deſerta fidelitate, nec Diſcipulorum nomine erant digni? O quàm ſe dulcem monſtrat Jeſus, & dictis, & factis; præſentibus, & abſentibus; qui ei ſervierunt, & qui offenderunt. Hinc diſce, animum æquum ad omnes

gerere.

gerere. Roga Jeſu, ut ex animo tuo tollat omnē malevolentiam, & affectum largiatur fraternum erga proximum, quamvis indignum, & immeritum. Tandem deſignat Galilæam ad congreſſum familiarem, remotam à tumultibus Judææ regionem: ut monſtret, ad fruendum Deo meliùs recedendum eſſe à ſtrepitu, & rumore populi. Ad extremum roga Jeſum, ut tecum gratias mulieribus iſtis factas communicet, manifeſtando ſe tibi, ne vivas cum exigua ejus cognitione; & mittat in Galilæam, hoc eſt, tranſmigrationem, gratiam impertiendo ad tranſeundum ex vita imperfecta in meliorem.

Dominica II. poſt Paſcha.

MEDITATIO XV.

De Judæorum cura obſcurandi Reſurrectionem Domini.

P*Unctum primum*. Angelus, dum ſepulchrum aperit, terribili ſpecie milites cuſtodes penè exanimat: qui fugâ in ſepium latebras dilapſi, auditis inde Angeli dictis ad mulieres de Reſurrectione & Sepulchro conſpecto aperto, Principes Sacerdotum de re certiores faciunt. In hoc eventu conſidera conſilium divinæ providentiæ: primò quo modo ſuis adſis. Periculum erat præſentiſſimum, ſi mulieres, nullam de cuſtodia cognitionem habentes, in illorum manus incidiſſent: Dominus, gratum habens id pietatis officium, auxilio ſuo, & actis in fugam militibus antevertit periculum, quod Mariis imminebat. Quod excitare animum tuum debet ad fiduciam erga Deum: curam tui ſingularem geſturum, quoad ei ſervire ex animo ſtudueris. Secundò, Dominus exterruit illos milites, & in horti latebras fugavit, ut apparere non auderent: videbant tamen, & audiebant ſermocinationem Angeli cum mulieribus: unde teſtari poterant

de Reſurrectione. Vide quomodo promat Dominus ex inimicis ſuam gloriam, &, quod vult, obtineat iis viis, quibus alii conantur impedire. Quàm verum eſt, Domine, *omnia ſervire tibi!* Ambula coram Deo vera cum demiſſione, & quære placere ei: *quia non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati ejus.*

Punctum ſecundum. Principes Sacerdotum certiores facti de geſtis ad ſepulchrum, concilium inierunt cum Decurionibus: concluſerunt bonam pecuniæ ſummam dare militibus, ut dicerent, ſomno ſopitis omnibus veniſſe Diſcipulos, & corpus Chriſti abſtuliſſe. Conſidera malitiam illorum, qui non ſatiati cæde Chriſti, perſequuntur mortuum Reſurrectionem obſcurare laborantes. Adhæc vide, ut corrumpere pecuniâ milites ad falſum dicendum, & teſtimonia veritatis opprimendæ moliantur. Quâ verò utuntur pecuniâ? ad ſacros uſus deſtinatâ: & hoc ad velandum ſcelus commiſſum, ne videantur verum occidiſſe Meſſiam. En, ut peccator ex uno ſcelere devolvatur in alterum, novis intricetur culpis, dum tueri prava conſilia connititur. Non permitte, Domine, ut unquam de via ſecedam: & ſi quando deerrare incœpero, progreſſum inhibe. Confirma tua pietate pedes meos, & in viam bonam me revoca. Ad extremum conſidera, quàm cæca ſit malitia: volunt obſcurare veritatem Reſurrectionis palpabili quodam mendacio. Nimirum ſi dormierunt milites, quomodo poſſunt dicere, à Diſcipulis furto ablatum eſſe corpus Chriſti? & quomodo poterant Diſcipuli, metu abſconditi, tantam ſumere audaciam, ut corpus tulerint, tanta militum manu cuſtoditum? quomodo erat veriſimile, omnes fuiſſe ſomno morſos? *mentita eſt iniquitas ſibi.* O rem pernicioſum, caligare tenebris paſſionum, & ratiocinari in ſuum damnum. Non permitte, Domine,

unquam me excæcari, nec decipi in animæ meæ detrimentum.

Punctum tertium. Milites, acceptâ pecuniâ, ex mente Judæorum promulgarunt mendacium, datâ primùm à Principibus Sacerdotum cautione, fraudi non fore apud Pilatum negligentiam cuſtodiendi, ſomni obtentu. Ecce, quantùm poſſit lucri amor! Milites promiſsâ pœnæ immunitate, & illecti pecuniæ cupiditate, addicunt operam: teſtes fiunt falſitatis, & conantur perſuadere plebi, non aliter eſſe reſuſcitatum Chriſtum. Erant tamen certi, quia formidine exanimati, & attoniti hæſerant: quia Angelum viderant, qui terribili aſpectu eos egerat in fugam: audierant ſermocinantes cum Angelo mulieres: unde ipſi ſibi veritatem eventus iſtius negare non poterant. Habebant igitur juſtam timendi cauſam, ne à Chriſto reſuſcitato caſtigarentur. His non obſtantibus, vicit pecunia teſtimonium conſcientiæ: præſens illa utilitas plùs potuit, & ſepelivit omnem alium timorem, & notitiam. O *Domine*, non unquam mihi dominetur flùxa utilitas, nec affectus rerum terrenarum ſuffocet juſtum conſcientiæ ſenſum, nec extinguat lumen cœleſte, quod tibi placet accendere in anima mea, & ut poſſim cum illo tuo ſervo locum dare bonis æternis, & dicere tibi: *Ubi omnia mea ſint, tu ſcis*, S. Paulin.

Feria ſecunda.

MEDITATIO XVI.

Apparet Chriſtus Petro.

P*Unctum primum.* Petrus ſepulchro egreſſus diſceſſit à Joanne, quo cùm exiverat, & ſolus rediit meditando, & ruminando ſecum viſa auditaque, & fortaſſe nuncium ſibi nominatim à mulieribus, Angeli mandato, allatum. Conſidera primò, quomodo Petrus

ad recipiendam illam gratiam ſe comparaverit, ſejungendo ſe ab omnibus, & conſiderando, quæ evenerant. Ecce, ut ſeparari à creaturis, & locum dare meditationi rerum ſanctarum animam præparet ad gratias divinas! Excitare, exemplo Petri, ad colligendum animum, & ad ſemovendum cor, ac ſuo tempore etiam corpus, à rebus creatis, & conſuetudine, ſi cupis Chriſto facilè occurrere. Secundò, vide gratiam Petro collatam à Chriſto, quem negaverat Petrus; & non Joanni, qui ſecutus eum fuerat usque ad mortem. O Domine, cur ita? videtur potiore apud te loco eſſe peccator aliquis, quam juſtus. Inter mulieres te primum offers Magdalenæ, inter viros Petro; peccatori utrique. O bonitas tua, quâ ad excitandos peccatores, ne à te recedant, oſtendis, quanti facias lachrymas animi pœnitudine expreſſas. Non repelle igitur pauperem, ac ream hanc animam: ſed excita, ad ſemper tuâ bonitate nitendum.

Punctum ſecundum. Conſidera, quod fecit Petrus, quod fecit Chriſtus. Quis animo concipiat, quæ Chriſto Domino & Magiſtro viſo, Petro evenerunt! Quanta fuerit ejus conſolatio, cum repeteret animo ſtolidam alterius proditionem, poſt promiſſionem unà moriendi? Quàm erubuerit, unius ancillæ verbo, quæ illum de Chriſti Diſcipulis eſſe dicebat, eſſe proſtratum? Quomodo ad pedes Jeſus provolutus, ingenti cum dolore, & lachrymis cõfeſſus fuerit, & doploraverit ſuum errorem? Quid autem Jeſus? Quo affectu amplexus, quibus verbis conſolatus fuerit mœrentem? certum veniæ reddidit: amicitiam priſtinam inſtauravit: in antiquum gradum principatus in Eccleſia repoſuit: O mandavit, ut ſocios in fide Reſurrectionis confirmaret. O quomodo cor Petri exarſerit in his conſolationibus, & amplexibus. quàm

ſim felix, ſi imiter Petrũ pœnitentẽ, quẽ ſecutus ſũ peccãtẽ? Quæ major eſſe conſolatio poteſt quàm ad pedes Jeſu deflere peccata: relinquere ſpolia veterũ culparũ: baptizari propriis lachrymis: renovare vitam ſanctis propoſitis! Non mereor hanc gratiam, Domine, hæreo tamen hîc ad pedes tuos, ut me dolore conficiam, quia te offendi. Et hoc non tam mei cauſâ, quam ut tibi ſatisfaciam, corde, & voluntate demiſſa. Præbe igitur mihi tuũ auxilium: ſine quo ſaxo durius eſt cor meum.

Punctum tertium. Conſidera, quid poſt hanc apparitionem fecerit Jeſus, quid Petrus. Nunquam exprobravit Dominus Petro, præſentibus aliis peccatum, quaſi nunquam fuiſſet commiſſum: ſepelivit prorſus, quò intelligas veræ pœnitentiæ effectum, quæ expungit omnino peccatum juxta *D*ei dictum Iſai. 43 *peccatorum tuorum non recordabor*. O ſi dignus ſis iſta gratia! Pete eam à Domino: & diſce etiam tu obliviſci peccatorum proximi tui, & non exprobrare. *S*ecundò, vide quid fuit Petrus: nunquam peccati ſui fuit immemor, non quòd deſperaret de venia, ſed quod intimè Jeſum diligeret. Non ſic agis tu: obliviſceris peccatorum tuorum, & quieſcis, quaſi nunquã deliqueris: *attamen de propitiato peccato noli eſſe ſecurus*, ait Deus. Adhæc non elatus eſt animo Petrus de Chriſti apparitione: verſatus eſt inter ſocios modeſtè: non locutus de iſta gratia, niſi ad fidem Reſurrectionis Apoſtolis conciliandam. O ſi tu ſcires acceptis gratiis ſubmittere te, Dominus copioſas conferret: ſed quia videt illis te abuſurum, ne noceant, cohibet munificentiam. Cura humilis eſſe, &, quo tempore gratias accipis, te indignum cognoſcere. Sic non deerit tibi Domini miſericordia.

Feri-

Feria tertia.

MEDITATIO XVII.

Chriſtus aſſociat ſe duobus Diſcipulis in Emaus euntibus.

PUnctum primum. Duo Diſcipuli Chriſti, certiores facti à mulieribus, quæ eis evenerant ad ſepulchrum, & quæ Angeli de Chriſti Reſurrectione expoſuerant, egreſſi Jeroſolymis Emaum verſus proceſſerunt, de Paſſione ac morte *Domini* ſermocinantes: Conſidera primò tempus diſceſſûs; *ipſa die*, ait Evangeliſta, hoc eſt, tertia à morte Chriſti die, quo, uti prædixerat, erat reſurrecturus. Secundò conſidera cauſam hujus itineris. Quærebant levamentum aliquod triſtitiæ, quâ affligabantur, quoniam tertia jam die nondum apparebat Chriſtus. Unde diffiſi fluctuabant dubii de eo in poſterum videndo. Vide, quàm citò ſternantur? nondum præterierat tertia dies: habebant teſtimonium Angeli per mulieres: Petrus, & Joannes non invenerant corpus in ſepulchro: tantis credendi argumentis non permoti, abjecto animo confitentur: *Nos ſperabamus*. Quàm parùm duramus, & toleranter exſpectamus, quando differt Dominus, ſive conſolari nos! quoties convertimus animos ad remedia humana captandæ conſolationi. *Diſce*, non ferre dominatum ſuperfluæ triſtitiæ, & turbationis, memor ejus, quod expertum ſe dicebat David, quando firmus in adverſis conſiſtebat: *Exſpectans exſpectavi Dominum, & intendit mihi*, Pſ. 99.

Punctum ſecundum. Quamvis iſti duo ambiguæ prorſus erant fidei; nihilo ſecius de Chriſti perpeſſionibus ſermocinabantur. *Dominus* interea, peregrini habitu, ſe illis adjungit: qui eum unà incedentes

non cognoverunt. Conſidera charitatem Jeſu. Primò, in reductione duarum iſtarum ovium perditarum. Secundò in negotio, non Angelis commiſſo, ſed ſibimet præſenti ſumpto. Tertiò ſpeciem corporis jam glorioſi habitu peregrini velando, ut illis aptaretur. O eximia charitas! doces me, Domine, proximi mei adjuvandi rationes: ſimul excitas meam ſpem, te non receſſurum à me propter meam vilitatem; & , non obſtante mea miſeria, & indignitate ſocietatem meam non aſpernaturum, quia non minùs, quam duo illi diſcipuli, ſum peregrinus in hac vita. O felicem animam, quâ cum peregrinatur Chriſtus, ne exercet in hac via, vanitate, & ſtultitia hujus mundi abſtracta. Obſerva præterea occaſionem, quâ ſe illis adjunxit *D*ominus, *dum fabularentur*, ſermocinantes de perpeſſionibus Chriſti. O quomodo loqui de Jeſu trahit in Societatem Jeſum: & tua lingua ſermocinando quem invitat? mutus es in rebus cœleſtibus, diſertus in terrenis. Cura in tuis ſermonibus ita cautus eſſe, ne unquam dæmonem accerſant, ſed ſemper Chriſtum invitent.

Punctum tertium. Conſidera, licet ambulaverit cum diſcipulis iſtis *D*ominus, non tamen ab eis eſſe cognitum. Eccur, Domine, cognoſci non vis, cur te non manifeſtas? &, ſi conſilium tibi eſt, conſolari illos, & ambiguitatem de Reſurrectione tua tollere, cur moram facis? Vide, ut velit *D*ominus dona ſua recipere cupientes præparari, loquendo de ipſo, & perpeſſionibus ipſius conſortium illud viæ obtinuerunt: verùm, quia erant ancipites, nondum merebantur illum cognoſcere. Iccircò ſermocinatur, & dat illis occaſionem aperiendi ſuam imperfectionem: & reprehendendo, animosq; inflammando, præparat ad gratiam, illis conſtitutam. Diſce hinc, *D*eum conſueviſſe ad gratias conferendas animos præparare quaſi per gradus: ideò ſi illas deſideras, diligenter cor tuum præparabis. Sed

quia

quia id ſupra tuas vires eſt; roga Jeſum, ut pro ſua pietate diſponat animam tuam, tuamque infidelitatem, & noxas gratiâ ſua abundante obruat, intellectũ illuſtret, voluntatem accendat, ut dignus fias, eum cognoſcere.

Feria quarta.

MEDITATIO XVIII.

Interrogatio Chriſti, & reſponſio duorum diſcipulorum.

P*Unctum primum.* Dominus diſcipulis illis conſociatus in via, expoſuit deſiderium ſciendi, qua de re colloquerentur, & triſtes eſſent. Reſpondit alter, Cleophas dictus, tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem, qui non intellexerit, quæ diebus proximis ibi contigerint, quod ita publicum eſt, ut alia nulla ſermonum ſit materia? Neſciebas, ô Domine, quid, & de quali morte loquerentur, ut eſſet opus interrogare? Sciebat omnino; ſed in hoc monſtrat benignitatem, & humanitatem ſuam; &, ut celat perſonam, ita ſe monſtrat ignorantem, ut habeant occaſionem aperiendi ſuum vulnus, & recipiendi ſanitatem; ſimul juvat audire de ſuis cruciatibus, & morte tam ignominioſa loquentes. Non erubeſcit de illis, quæ toleravit pro nobis: quin ut argumentum ſuæ conſolationis, & materiam gloriæ, gaudet ea ſibi recenſeri. Grates age Domino, gratulanti ſibi de injuriis tuâ cauſâ toleratis; roga illum, ut gratiam tibi impertiatur, quâ te honorari judices, ſi pro illo contingat pati. Porrò cogita, ſi te interrogaret Dominus, *qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem*, quando colloquia miſces cum ſociis, quid reſpondere poſſes? te loqui de illo, aut de novis temporum? certè de his potius, quia tuus affectus terram ſapit; *qui de terra eſt, de terra loquitur*; quia loquimur de illis, quæ amamus. Roga Dominum, ut ignoſcat tam multos linguæ errores, &

gratiam largiatur fructuoſius tranſigendi tempus, loquendo, aut cum ipſo, aut de ipſo, aut pro ipſo.

Punctum ſecundum. Quærit deinde Dominus, quænam illa fuerint, quæ acciderunt Jeroſolymis? Reſpondent, de Jeſu Nazareno, qui fuerit homo factis dictiſque potens apud Deum, & homines. Circa interrogationem Chriſti conſidera, diſſimulare eum notitiam eorum, quæ evenerunt Jeroſolymis. Cur hoc, Domine? Dicemusne te oblitum, & ſtatum gloriæ, in quo nunc es, oblitteraſſe memoriam præteritarum perpeſſionum? Cognoſco in hoc ubertatem tuæ charitatis, quâ, tanta cum toleraveris, tanquam modica ſint, rogas, quænam illæ ſint? amor tuus imminuit apud te æſtimationem dolorum tuorum: exiguus amor tui meus auget apud me omnia; ut modicum quodvis obſequium mihi videatur eſſe magnum. O amorem tuum peſſimè à me compenſatum? Et quando unquam, multa faciendo, me verè ſervum inutilem agnoſcam? Conſidera deinde, quæ referunt de Chriſto: fuiſſe potentem operibus ſanctitatis, verbis inſtitutionis, Deum placando, populum ad veritatem imbuendo. Gaudebis de iſtis laudibus Domini; & agnoſces te habere omnino vitia oppoſita, nimirum quod ſis miſerabilis in factis, & dictis; coram Deo, & coram hominibus. O mi Jeſu, quoniam potens es, effice me tui ſimilem in factis & verbis: ſollicitum, ad ſatisfaciendum Deo, & hominibus.

Punctum tertium. Pergunt exponere, quo modo Jeſum ad crucem, & mortem condemnaverint: ſperaſſe ſe, liberaturum populum Iſrael, ut Meſſiam: ſed tertio jam labente die, ignorabant, quid dicendum eſſet. Res hîc duas obſerva. Prima eſt, cautela, quâ loquuntur de illis, qui mortis cauſa Chriſto fuerunt. Judicabant quidem, à Sacerdotum Principibus, & ſummo Pontifice grande commiſſum nefas; de hoc tamen tacent, &

ſolùm

ſolùm dicunt: *Tradiderunt eum Principes noſtri in damnationem mortis* : uti diſcas, quanta cautione tibi ſit loquendum de tuis ſuperioribus, ne eos condemnes, ſed aut excuſes, aut taceas. Altera res eſt, obſervare debilem duorum iſtorum diſcipulorum fidem, qui ſpem Iſraelis liberandi perdiderant viſâ Chriſti morte, non credentes hanc ipſam mortem pretium eſſe redimendi non ſolùm Iſraelis, ſed mundi totius. O ſi noveris arduis in rebus animo conſtanti conſervare opinionem de *D*eo bonam! Precare Dominum, ut in hoc te puncto confirmet; qui novit mediis omnino contrariis, ut nobis videtur, exſequi ſua conſilia, & providentiæ decreta.

Feria quinta.

MEDITATIO XIX.

Dominus manifeſtat ſe duobus diſcipulis.

P*Unctum primum.* Conſidera, quomodo agat Chriſtus cum iſtis diſcipulis: audit eos absque interruptione, quamvis de illo loquebantur non, ut par erat, ſignificantes deluſam ſpem ſuam, quaſi non implêſſet promiſſa. Hæc audit, & excuſationis loco reprehendit illos de tenui fide, & Scripturarum teſtimoniis probat, neceſſariam fuiſſe Chriſti mortem, ad obtinendam Reſurrectionem glorioſam, & exaltationem ſupra omnem creaturam. Vide, ut illos reprehendat de modica fide, non ex indignatione, ſed ad eos ſanandos, condolendo perſonis, & vitium criminando. Deſidera tu quoque cum charitate reprehendi, & non indulgeri tuis vitiis: & cura idem agere cum tuis proximis, ſemper condolendo Perſonæ, vitia damnando. Vide, an occaſione oblata ſic agas. Porrò pondera diligenter verba Chriſti: *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam*

ſuam? quomodo nimirum fuerit neceſſarium, pati Chriſtum, ſtante Patris æterni decreto, & redemptio noſtra debuerit comparari pretio mortis Chriſti. Cogita, quanto magis tibi ſis neceſſarium per viam crucis tendere ad gloriam. Igitur gloria, quæ non eſt comparanda edomatione tuarum paſſionum? & Chriſto, cui alio nomine debebatur, mortis erat pretio emenda. Quomodo ſperes, meliore conditione ſervum eſſe, quàm Dominum? Statue, hac incedere viâ.

Punctum ſecundum. Cum vicini jam eſſent caſtello Emaus, ultra progredi videbatur velle Chriſtus; quare invitarunt ad manendum, die jam in veſperum inclinante. Conſidera in hoc facto, voluiſſe Chriſtum manere, ſi invitaretur, & precibus urgeretur, aliter non voluiſſe. Collige hinc, promtum eſſe Dominum ad gratias conferendas; velle tamen rogari, & ſanctè precibus urgeri. Hanc etiam tibi legem ſtatue. At quæ cauſa movit iſtos Diſcipulos, ut Jeſum retinerent ſecum, non cognitum? ardor ille, quem ſermone ſuo in animis illorum excitaverat Dominus, compulit ad invitandum, & vi quadam adigendum Jeſum, ut maneret. Sic eſt, mi Jeſu: & quomodo poſſum evincere ut mecum ſis, niſi me intus inflammes? neſcis, abſque te nihil, aut ſcire, aut poſſe me? Inflamma igitur animam iſtam, ſerena illo lumine, accende illo amore, *qui eſt ardor confortans, ſplendor illuminans, amor inebrians*, ut loquitur S. Bern. Tandem expende verba quæ dixerunt: Mane nobiſcum, quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies. Loquuntur cum quadam auxeſi, ad eum faciliùs retinendum, die nondum, ſicuti docebant, tam ſerâ, ſiquidem ante noctem redeundum erat Jeroſolymam ſeptem millibus di-

diſtantem. O quàm ſæpe deberes dicere: mane mecum, *Domine*, quoniam veſperaſcit, & diei parùm ſupereſt: magis magisque propinquat mors, in occaſum vergit vita mea, non deſere me, *Domine*. Hoc deſidera; & frequenter ardentes preces admove, ut in illo tibi adeſſe puncto dignetur.

Punctum tertium. Dominus acceptat invitationem, intrat, accumbit? & ſub finem refectionis accipit panem, conſecrat, porrigit Diſcipulis; qui illuſtrati cognoſcunt Jeſum: is autem cognitus evaneſcit ſubitò, illi confeſtim Jeroſolymam revertuntur, & Apoſtolis, quod evenerat, nunciant. Poteris hic expendere charitatem Jeſu: qui ſe deſiderio Diſcipulorum aptat, &, jam glorioſus, accumbit menſæ, capit cibos appoſitos. Quanta autem familiaritate agit! O mi Jeſu, quanquam mutaſti ſtatum, non affectum: & quaſi nequeas longius differre conſolationem illorum, benedicis pani, porrigis, & te manifeſtas. Ecce ſanctiſſimi Sacramenti effectum, illuſtrare mentem, Jeſum, & quæ ſunt illius oſtendere. Roga Dominum, ut hoc ipſum operetur in anima tua, quando Euchariſtiâ paſceris: & erubeſce, tam longo cibi cœleſtis uſu tam exiguam illius accepiſſe cognitionem. Adhæc non cognoſci vult in via, ſed hoſpitio acceptus, & paſtus ab illis: quò intelligas, exercere opera bona, cujuſmodi erat iſtud, viam eſſe ad cognitionem Dei. Ad ultimum, cognitus repente ſubductus eſt oculis: Eccur, *Domine*, ſubitò diſcedis? Cur non exſpectas, ut pro debito te adorent, gratias agant, præſentiâ tuâ gaudeant? Monſtras bonum, & confeſtim ſubducis? Quantum erat gaudium, ſed quàm citò temperatum! Volebat, ut exercerent virtutem

patientiæ; tolerando abſentiam ; & charitatem mox redeundo in urbem ad nuncium Apoſtolis ferendum. Tu quoque ferre moderatè ſtude, cum *D*ominus abit à te longiùs ; &, cum occurrit occaſio, proximum tuum conſolari.

Feria ſexta.

MEDITATIO XX.

Apparet Apoſtolis, abſente Thoma.

P*Unctum primum*. *D*uo Diſcipuli Emao reverſi referunt, quæ acciderant, Apoſtolis ; cum de improviſo ingreſſus eſt Jeſus locum, in quo cœnabant Apoſtoli. Hîc obſerva tempus, quo intravit Jeſus, *cùm ſerò eſſet*, ait Evangeliſta, & noctis initium. Cur adeò tardè ? Diſtulit Dominus propter incredulitatem illorum neceſſarium erat, paratos eſſe animos, & deſiderium auctius illum videndi. Propterea præmiſit nuncios diverſos, & videndi deſiderium magis ac magis accendit. Hinc diſce, viſitationes Dei debere eſſe deſideratas. Secundò, conſidera locum, *cùm fores eſſent clauſæ*. Intravit cœnaculum ; quando portæ illius ſunt clauſæ. O quàm verum eſt, animum collectum, & non diſſipatum, omnibusque affectibus, & curioſitati apertum, ſed bene cuſtoditum invitare, & vocare Jeſum ad intrandum. Examina te, quomodo agas : pudeat cor tuum præbere creaturis : offer illud Domino, ut illud claudat, & ipſe ſolus claves habeat. Ad extremum obſerva illud, quod faciunt Apoſtoli : *Recumbentibus illis*, inquit Marcus. Apparuit illis manducantibus : ut noveris, actiones hujusmodi, quando fiunt ; uti decet, Domini viſitatione honorari.

Quod

Quod ſi non dedignatur conferre gratiam iſtam menſæ aſſidentibus, quantò magis ſperare poterit orans? Quare omnia tua, ſicuti par eſt, perficere contende.

Punctum ſecundum. Conſidera locum, quem Dominus ingreſſus occupavit: *Stetit in medio*: medius conſpectui diſcipulorum ſe obtulit. Cur ſtetit in medio? ut eſſet conſpicuus, & fugeret ſingularia, & extrema, quæ ſunt vitioſa, cùm virtus in medio conſiſtat; ad oſtendendum, abhorrere ſe à ſingularitate, & amare communitatem, ac digniorem ſibi locum deberi. Conſtitit tanquam Paſtor in medio ſuarum ovium diſſipatarum, ut eas rurſus colligeret. Hoc affectu eos aſpexit, & ſalutavit. O amor Jeſu, qui eum impellit ad quærendum ſuorum bonum! Veni, Domine, ingredere cor iſtud; pone te in medio affectuum meorum diſſipatorum, ut jungantur tibi tanquam Paſtori, ad dirigendam ovem iſtam, in deſerto quæſitam; tanquam magiſtro, ad docendam veram doctrinæ cœleſtis rationem; tanquam Soli, ad diſpellendas animæ meæ tenebras, & rerum cœleſtium ignorationem. Verùm tu ſimul eum in medio tui cordis colloca, non in aliquo angulo, ſed in loco digno, tanquam Dominum, & poſſeſſorem rerum omnium. In ſumma, ut primatum obtineat: ſemper ut ſit primus, nunquam ultimus. O quanta ſit mea felicitas, ſi non rem aliam in corde geram, plus amatam, ſperatam, & deſideratam quàm te! *Dominare tu in medio mei.*

Punctum tertium. Conſidera Jeſum aſpectabilem dixiſſe illis: *Pax vobis.* Siccine, tam citò oblitus es commiſſi contra te peccati? æquam haberes cauſſam monſtrandi indignationem ob deſer-

deſertam fugâ fidem duriſſimo Paſſionis tempore, & juſtam pœnam exigendi: non exprobras illis credendi tarditatem, tot nunciis de Reſurrectione acceptis; ſed eos, conſueta humanitate ſalutas, pacem offers, & omne cum pace bonum. Reſpirare debebant hac ſalutatione diſcipuli, memores erroris admiſſi. O Domine, placeat bonitati tuæ, quando cor iſtud ingrederis dicere; *Pax huic domui*, ut pacem tecum solam, per veram ſubjectionem, & meæ cum tua voluntate conformitatem; pacem cum proximo, per charitatem ſinceram, & conſtantem; pacem mecum ipſo, per abnegationem immoderatorum affectuum, quæ bellum mihi perpetuum faciunt. Hanc pacem impensè deſidero; hanc peto, quippe mihi partam Paſſione tua. *Ego ſum*, ſubjungit: *nolite timere*. O verba plena conſolationis! ego ſum, qui pater, frater, Salvator, Redemptor veſter ſum: nolite timere. Et quid poterant timere, ſecum habentes Jeſum? & quomodo non metus omnis cordibus illis fuerit expulſus, Chriſto tutante? Fac me dignum tuâ præſentiâ: adſis mihi pietate tua: *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*, Pſal 22.

Sabbatho.

MEDITATIO XXI.

Dominus manducat cum Apoſtolis.

PUnctum primum. Conſidera, quid poſt Apparitionem Chriſti fecerint Apoſtoli. Decebat, ut cuncti de menſa conſurgerent, eum adorarent, & ſalutationi tam ſuavi reſponderent cum affectu: at cuncti exterriti, ac perturbati, credebant, non Chriſtum, ſed ſpiritum ſe videre. Non igitur aderant aliqui, qui illum viderant? Petrus, & diſcipuli duo, quibus in Emaus apparuerat? non

non eâdem ſpecie, quâ eum viderant in vita mortali, ſe offerebat? nihilo ſecius falluntur oculis. Quàm inciviliter recipitur à nobis ſæpenumero Dominus! quàm rarò gratiis ejus reſpondemus! ille nobis dat, nos diffidimus. Quid autem fecit Dominus? curavit illos eximere omni perturbatione, & certos omnino reddere, eundem ſe eſſe, invitando, ut manus, ut pedes perfoſſos tangerent, ut corpus palparent. O quantus eſt iſte charitatis exceſſus! quanta comitate, & humanitate ad propinquandum, & veritatem explorandam excitat! Magdalenam removet à ſuo contactu: mulieribus obiter oſculandos permittit pedes: hîc invitat Diſcipulos ad videndas plagas, ad corpus palpandum. Eximius favor! Quæ tua fuerit gratia, ſi ad tangendum admittereris. Modicè tamen agnoſcis gratiam, quàm tibi facit in Sacramento: *Ecce, eum vides,* ait S. Chryſoſt. *ipſum tangis, ipſum manducas*, Hom. 83. in Matth.

Punctum ſecundum. Non tamen indubitanter credebant Apoſtoli, eſſe illum Jeſum, antea crucifixum, & poſtea reſuſcitatum: gaudium conſpectæ rei tam novæ non integram fidem oculis ac manibus faciebat. Unde rogavit Dominus an eſculenti aliquid haberent: & præbentibus partem aſſi piſcis, & favi mellis, ipſis præſentibus manducavit, & partem ipſis dedit. Conſidera magnum Domini amorem: qui jam glorioſus, & in ſtatu, qui nullum requirit cibum; voluit tamen eam exercere actionem. En, etiam glorioſus, *Domine*, demittis te, ad rem, ſtatus glorioſi reſpectu, vilem: cedis infirmæ fidei Apoſtolorum, ut eos conſoleris, & confirmes in puncto tanti momenti de vera Reſurrectione. Gratias age tantæ bonitati, ama tantam benignitatem, imitare tam paternam ſollicitudinem: & cura, ad juvandum proximum, cum res exigit, demittere te, & omnibus omnia fieri, ut omnes lucri-

facias

facias. Ad hæc, poſtquam de piſce, & favo mellis comedit, *reliquias dedit illis*, quò teſtari poſſent, cum ipſo manducaſſe ſe poſt Reſurrectionem: & hæc omnia ad confirmandam noſtram fidem; ut adeò omne ſuum ſtudium *D*ominus ad noſtram utilitatem contulerit. Tu viciſſim totum te ejus ſervitio & honori impende.

Punctum tertium. Non ſufficiebat Domino affirmaſſe ſuam Reſurrectionem manducando cum ſuis Diſcipulis; aperuit eorum mentes, ut intelligerent Scripturas, & revocavit ad memoriam, quod antehac dixerat, oportere impleri in ſe oracula Prophetarum de ſua Paſſione, & Reſurrectione, & prædicari pœnitentiam ad obtinendam veniam peccatorum. Conſidera hîc eximium beneficium Apoſtolis à Domino factum, & ſimul nobis; illuminando illorum mentes, ut intelligerent ſcripturas, & poſſent eſſe noſtri magiſtri docendo veram doctrinam. Age gratias de tanto beneficio: & roga *D*ominum gratiam æſtimandi, & intelligendi ipſius doctrinam, ne obſcuretur in te amoris proprii nube, & incompoſitorum affectuum, qui excæcant intellectum, nec ſinunt verum diſcerni, & judicium, quod debet, capi: Quod, ſi ad actiones tuas animum advertes, cognoſces inprimis tibi eſſe neceſſarium. Porrò cogita, *D*ominum conjungere peccatorum condonationi pœnitentiam, ita, ut non poſſit ſperari venia peccatorum, quæ indies committuntur, abſque pœnitentia. Vide, quid egeris hucusque: & cura inpoſterum ea referre ad condonationem tuorum peccatorum.

Dominica III. poſt Paſcha.

MEDITATIO XXII.

Continuatur eadem Apparitio Chriſti.

Pun-

PUnctum primum. Conſidera gaudium Apoſtolorum, quando ſermone, plagarum aſpectu, affabilitate, conſuetudine, ſigniſque aliis fidem adhibuerunt, eſſe verò Jeſum reſuſcitatum, & eſſe illum, qui ſe manifeſtabat: *Gavisi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino*, inquit Evang. nam ſi mors dolorem illis attulit, quanta perfudit conſolatione Reſurrectio, quâ videbant Magiſtrum intimè dilectum collocatum in ſtatu glorioſo, victorem inimicorum. Timebant, ne fugæ nexum ulciſceretur: at videndo tenerrimum affectum, ſine exprobratione defectionis, quàm lætitiam animis perceperint? quam opem omnis boni, & præteritarum promiſſionum impletionem! Deſidera etiam tu particeps eſſe hujus gaudii, quia Chriſtus eſt mortuus pro noſtris peccatis, & reſuſcitatus etiam ad ferendam nobis veram Juſtificationem. Conſidera etiam, non ei ſatis fuiſſe, primo ingreſſu pacem precari; cùm jam eſſet cognitus: dixit illis de novo: *Pax vobis.* Dat aliam ex alia pacem, ad demonſtrandum, non ſatiari ſe illis benefaciendo: ſed promptum eſſe ſemper, præteritis gratias addere novas, niſi impedimentum nos objiciamus. Sic tecum aget, niſi te feceris indignum. Roga Jeſum, ne tuas culpas reſpiciat, ſed gratias antiquas novis cumules.

Punctum ſecundum Conſidera munus, quod Apoſtolis commiſit, Legatos ſuos faciendo: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* In his dictis obſerva primò amorem Chriſti erga nos. Nam ſicuti monſtravit Deus amorem erga nos, dando unigenitum ſuum, *ut ſalvetur mundus per ipſum*; ita filius monſtrat amorem erga nos ſuum, mittendo Apoſtolos, ut vicarios ſuos, ad eundem finem noſtræ ſalutis curandæ. De hoc affectu, tibi monſtrato, age Chriſto gratias. Obſerva deniq; dignitatem grandem, ad quam evexit Apoſtolos, faciendo ſuos legatos ad animas lucrandas, quod

nego-

negotium finis erat adventus *D*ei in terram. Hinc collige, quàm ſit glorioſum, ad hoc opus conferre operam. Et ſi tu eodem fungeris munere, cogita, quanti facere debeas animas, & ſtudium eaſdem ſervandi: ſi non hoc tui muneris, quanti æſtimare debeas eos, quibus hoc onus incumbit. Ad extremum conſidera, quando miſit Dominus Apoſtolos, ſicut ipſe fuerat miſſus à Patre, non illos miſiſſe ad voluptates, ſed ad labores, & ſudores, ut intelligas, libenter tibi complectendum eſſe laborem omnem ad explendum hoc miniſterium, ſi eo fungeris; ſi non, quàm tibi ſtrenuè ſit laborandum pro tua anima, ſi omnem laborem ſubire debent alii pro ſalute ſuorum proximorum.

Punctum tertium. Chriſtus deſignatis ad legationem ſuam Apoſtolis, *Inſufflavit*, & dixit, *accipite Spiritum Sanctum.* Conſidera, noluiſſe illos mittere in expeditionem tam laborioſam & periculoſam imparatos: *Inſufflavit.* Non fuit hæc nuda cærimonia, ſed ſufflatio vitalis, quâ, ſicut Adamo in creatione dedit animam, vitam, motum naturalem; ita dedit Apoſtolis vitam, motum, & ſenſum ſupernaturalem, dando illis gratiam, & charitatem, quæ eſt donum Spiritus Sancti: propterea ſubjunxit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Vide, quomodo omnia, quæ ſunt in Jeſu, plena ſint myſterio: Iſta ſufflatio videtur fuiſſe res exigui momenti; effectum tamen habuit in Apoſtolorum cordibus ingentem. Quondam cœco viſum dedit ſalivâ, nunc una ſufflatione vim ac vigorem inſerit Apoſtolorum animis Unde id omne, quod eſt in Jeſu, & prodit à Jeſu, grande eſt, & efficax. *D*eſidera etiam tu, ut moveatur Jeſus ad aſpiciendum, & excitandum te ſuo ſpiritu, ad excitandum animæ tuæ vigorem, ad largiendam tibi gratiam, & charitatem, ut fortis, eſſe, ac vegetus poſſit in omnibus, quæ pertinent ad ſervitium *D*ei.

MEDITATIO XXIII.

Chriſtus dat poteſtatem remittendi peccata.

P*Unctum primum*. Poſtquam Dominus dixit Apoſtolis: *Accipite Spiritum Sanctum*, ſubjunxit: *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. In his verbis expende, quomodo dederit Dominus Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus poteſtatem Judicum remittendi peccata poſt Baptismum à fidelibus commiſſa. Pondera primò inſignem Domini erga nos amorem, in quorum gratiam tradidit formam, quâ peccata cōdonarentur. Paulò ante offenſus eras, in crucem actus: & in vicem loquendi de commerita pœna, tractas de venia? O ingens charitas! Videbat noſtram fragilitatem, & prævidebat lapſus noſtros in multas gravesque miſerias, & culpas. Voluit nobis providere de remedio, quo eluctuoſi ex tam calamitoſo ſtatu & recuperare gratiam amiſſam poſſemus. O bonitas! Peccando offenditur divina Majeſtas, offenſi eſt condonare culpam. Quid fecit Jeſus? facilem nobis aperuit aditum ad gratiam, deſignatis ſuis vicariis, qui condonarent offenſas, promittendo ſolvendum in cœlo, quo illi ſolviſſent in terra. Vide magnitudinem hujus gratiæ, Legi Evangelicæ conceſſæ, non antiquæ. Quàm te gratum oportet eſſe Domino hujus beneficii auctori, relicto in Eccleſia ſua perenni fonte gratiæ, abluendis, & ornandis animis culparum labe contaminatis.

Punctum ſecundum. Conſidera, quanta ſit auctoritas illa, quam dedit Apoſtolis, & legitimis illorum ſucceſſoribus, remittendi peccata contra Deum admiſſa: non declaravit ſolùm condonatas eſſe culpas à Deo: ſed ipſos verè ſolvere & liberare animas, & delere peccata, tanquam datos Judices, in tribunali conſcientiæ:

in quo condonatum à miniſtro Chriſti, verè condonetur à Chriſto. Adhæc auctoritas iſta nòn eſt reſtricta ad certas perſonas, ſed ad ſortis omnis, & ſtatus homines: non eſt limitata ad certa peccata, ſed complectitur omnino omnia, Chriſto dicente, *quorum remiſeritis peccata*, nullum eximendo. Nec dicit numerum certum peccatorum remitti poſſe, ſed, nullo excluſo, omnem. Vide, quàm admirari te oporteat tantam Dei bonitatem, quàm laudare tantam liberalitatem, quàm tibi magni eſſe debeant illi, quibus eſt auctoritas tam grandis conceſſa, & quanta ſint cum veneratione tractandi. Unde ſi teipſum intueberis, invenies, ſæpe in hoc puncto partibus tuis te defuiſſe.

Punctum tertium. Conſidera perſonarum rationes, quibus Chriſtus commiſit iſtam poteſtatem. Non debit eam Angelis, qui ſtudioſiſſimi honoris divini, ab una parte; ab altera, videntes ſe puros, & miſeriis carnis & peccatorum non ſubjectos, ſeveri admódum ac rigidi erant futuri: dedit igitur hominibus naturâ fragilibus, & propter culpas, quibus obnoxii ſunt, etiam ſimili condonatione indigentibus. Et in hoc erexit tribunal miſericordiæ, inſtituit Judices miſeriis propitios alienis, quippe experimento proprio cognitis, & ſæpe lapſos in eaſdem culpas, quas in aliis judicare debent, & condonare. Ecce pietatem Domini, quâ facilem reddidit peccatorum remiſſionem: gratias age pro tanto beneficio. Si in hoc munere Chriſti miniſter es, cura affectum induere miſerationis erga peccatores, ad eos liberandos; ſi non es, intuere iſtos oculo reverentiæ, & confidentiæ: in quibus, & miſerationem invenies, & conſolationem.

Feria

Feria tertia.

MEDITATIO XXIV.

De obligatione confitendi peccata Sacerdoti, à Chriſto conſtituta.

P*Unctum primum.* Dominus dando Apoſtolis, & legitimis ſucceſſoribus auctoritatem abſolvendi à peccatis; dedit pariter poteſtatem ligandi, & retinendi. Quo obligavit omnes fideles ad ſubmittendum judicio Sacerdotis omnia peccata gravia poſt Baptiſmum commiſſa, & ad confitendum. Conſidera primò in iſta inſtitutione bonitatem Dei: qui reliquit nobis remedium tam facile in gratiam redeundi, quale eſt, aperire commiſſa homini alicui miſerabili, ſemel duntaxat, cum ſecreti arctiſſimi obligatione. Poterat obligare ad confitendum publicè, cum ingenti confuſione, cum peccato mortali debeatur confuſio æterna. Quid fecit Dominus? obligavit, ad dicendum uni, ſemel tantùm, mutatâ illa ſempiterna confuſione in hanc breviſſimam. O *D*omini bonitatem! Qualis erit confuſio peccatoris in ſupremo Judicio: cujus peccatum omnibus hominibus erit manifeſtum? Nonne bonitas eſt ingens Domini, reliquiſſe modum evitandi maximam illam confuſionem, ſubeundo modicam illam demiſſionem, apud unum ſolum in confeſſione? Gratias age de tanta bonitate; &, ut ſummam agnoſce gratiam, poſſe tam exiguo cum pudore dedecus univerſo hominum generi manifeſtandum, & in ſempiternum duraturum, evadere. Et ſtudebis inpoſterum omnem culpam ſinceriſſimè confiteri.

Punctum ſecundum. Conſidera grandem utilitatem, quam adfert animæ rite peractæ Confeſſio. Primò, infunditur gratia, quæ tollit peccatum, & mundat animam, facitq; filiam *D*ei adoptivâ, & cœleſtium donorū participem: ſimul præcavet lapſus futuros, ſanatq; conſuetudines, & inclinationes pravas. Secundò, conciliat

pacem conſcientiæ, & animi ſerenitatem, gaudio interno, & quieti conjunctam, depulſo peccato, quod ſuo pondere gravat animam, & mœrore contriſtat, ac perturbat: *Rectis corde lætitia*, Pſ. 96. contra, *Non eſt pax impiis*, Iſa. 48. Pondera, quàm grande bonum ſit Pax conſcientiæ, & carere illa peccati ſpina, quâ cor pungitur. Gratias age Domino, qui tam facili remedio tantam efficit in animo mutationem. Lauda ſapientiam ipſius, per unum hominem ſervat animam, exturbat noſtris cordibus dæmonem, qui per oſtium peccati intraverat. Proinde decerne, magni æſtimare hoc Sacramentum, & illud obire magna cum præparatione, quia ſecundum hanc menſura gratiæ confertur.

Punctum tertium. Conſidera virtutum actus, qui in hoc myſterio exercentur. Primus eſt fides, quâ creditur hæc poteſtas à Deo Sacerdoti collata. Secundus eſt ſpes, & fiducia per Chriſti merita accipiendi condonationem peccatorum. Tertius, charitas, quæ in pœnitudine peccatorum per contritionem exercetur. Quartus, humilitas, abjiciendo ſe ad pedes hominis noſtri ſimilis, & aperiendo illi abſtruſa cordis. Quintus, obedientia, obſequendo hac in re voluntati Dei. Sextus, juſtitia, caſtigando peccata, cum acceptatur, & perficitur pœna impoſita. Septimus, mortificatio, accuſando ſe, ſine excuſatione, & occultatione culpæ, cum glorioſa victoria omnis noxii pudoris. Age Domino gratias de data occaſione unâ in actione exercendi tantos virtutum actus. Expende, an illos, ut par eſt, exercere coneris. Erubeſce, ſi fortaſſis adhuc facere neglexeris: & multò magis, ſi absque vera pœnitentia, & emendationis propoſito acceſſeris. Intelligis quanti referat hæc rectè perficere, ut caſtigatione tuæ negligentiæ caveantur novæ culpæ, confeſſionis beneficio, quæ inſtituta eſt ad

dolen-

dolenda peccata. Iccirco ſtatue, non accedere ex mera conſuetudine, & modica præparatione.

Feria quarta.

MEDITATIO XXV.

Thomas docetur ab Apoſtolis de Reſurrectione Chriſti.

P*Unctum primum.* Stabat Thomas in cœnaculo cum aliis diſcipulis, quando illi duo venerunt ex Emaus, qui narraverunt de apparitione Chriſti ſibi facta. Thomas, qui à primo usque mulierum nuncio ſe oſtendebat incredulum offenſus aliorum ſociorum credulitate, quaſi impatiens audiendi, exivit cœnaculo: & paulò pòſt, illo abſente apparuit Dominus. Conſidera quam ſit noxium aliquando, figere animam in una opinione. Hoc Thomæ damno fuit: quia non ſolùm expers gratiæ fuit, aliis Diſcipulis à Chriſto collatæ, ſed lapſu graviore ruit, poſtquam rediens intellexit Chriſtum eis apparuiſſe. *Diſce*, non inhærere contumaciter tuo judicio, contra aliorum credibilem opinionem. Adhæc expende, quàm ſit damnoſum, ſegregari à communi ſociorum, maximè animo proprio ſenſu occupato. Exponit ſe jacturæ bonorum, quæ perſæpe Dominus largitur congregatis. Hoc in exemplo Thomæ diſce.

Punctum ſecundum. Cum ejusdem diei veſperæ Thomas rediiſſet, audivit ab aliis: *Vidimus Dominum.* Quid Thomas? non credidit, cunctis licet conſenſu affirmantibus, & ſe vidiſſe, & cum illo eſſe locutos, & manducaſſe; fortaſſe præſente etiam Virgine, & idem confirmante. Non tamen cedit. Exiſtimavit, alios fuiſſe deceptos, & non Chriſtum, ſed ſpectrum aliquod vidiſſe. Vide quousque obſtinationis, & incredulitatis agatur, Apoſtolorum aliquis,

triennium in ſchola Magiſtri tanti eruditus, qui ſocios etiam ad mortem cum illo obeundam excitavit. O quantum refert manere humilem, & nihil ſibi, ſuoque judicio arrogare. Admirare porrò divinam providentiam, quæ permittit, in viris etiam ſanctiſſimis, graves prolapſiones, ut poſtea firmiores permaneant in virtute; & illi, qui minùs perfecti ſunt, tantò minùs ſibi, ſuisque viribus confidant. Vide præterea, quàm ſint periculoſi caſus primi, qui tandem ex alio in alium impelluntur: faciuntque difficillimam emendationem, niſi gratia ſingularis ſuccurrat, quam ſecurum non eſt, nobis largiendam promittere. Jta Thomæ accidit: qui magis, ac magis in obſtinatione ſua induruit. Da gratiam, Domine, ut mox primum errorem agnoſcam & deteſtor, ne ex eo adducar in graviorem.

Punctum tertium. Thomas de abſentia ſua, quando Chriſtus apparuit, dolens, ad tuendum errorem, proteſtatus eſt, nunquam ſe crediturum, niſi conſpectis plagis, & digitis in latus immiſſis. Vide, quantos errores his dictis ſit complexus! incredulitatis, non cedendo teſtimoniis aliorum: obſtinationis, non volendo niſi cum illis ſignis mutare ſententiam: ſuperbiæ, volendo plùs aliis ſapere, qui crediderant: tandem arrogantiæ, præſcribendo modum Chriſto, quo Reſurrectio eſſet manifeſtanda. Quid ais Thoma? quis es tu, qui vis præſcribere formam, quâ certus fias, ac fidelis: Si Chriſtus *D*ominus noſter non retinuiſſet cicatrices, & plagas; nolles credere? Vide, quid acciderit ex Apoſtolis uni. Diſce timere, & diffidere tibi, judicium tuum ſubmittere, pertinaciam frangere; non cogitare, tuo te modo exaudiri à Deo, ſed cum humilitate maxima dependere omnibus in rebus à divina voluntate, &

pro-

providentia. Cogita, quid agas: & precare Dominum, ut tibi aſſiſtat, & in ejuſmodi eventibus non deſtituat.

Feria V.

MEDITATIO XXVI.

Chriſtus apparet Apoſtolis præſente Thoma.

P*Unctum primum.* Erat octava Reſurrectionis Chriſti dies, cum Apoſtolis unà cum Thoma in cœnaculo congregatis, venit Dominus, ut antea, per clauſas ingreſſus januas, & in medio illorum conſiſtens ſalutavit omnes, pacemque precatus eſt. Conſidera primùm longam incredulitatem, & obſtinationem Thomæ, in octiduum productam, quo tota tempore nunquam ſuâ deceſſit ſententiâ, etſi, quod eſt credibile, ſæpe laboraverint alii Reſurrectionis ei fidem facere. Et verò ſimile veri eſt, longiùs in hac incredulitate, niſi Chriſtus adventu ſuo illam diſcusſiſſet, fuiſſe perſeveraturum. O quàm verum eſt, pronum eſſe in peccata lapſum, non autem in noſtra poteſtate eſſe emendationem: nec aliorum ad liberandum nos ſtudium ſufficere, niſi Deus ſuâ gratiâ ſuccurrat. Cautè igitur ambula; neque locum da peccato, dicendo, te rediturum ad frugem. Secundò pondera charitatem hujus boni Paſtoris, qui non deſerit ovem perditam. Facit gratiam Thomæ, jam ante aliis factam. Denunciat illi pacem, ut oſtendat, etſi tam incredulus fuerit, affectioni tamen erga eum ſuæ cedere culpam: & ex hoc errore majorem Reſurrectionis fidem exciret. Ama tam inſignem bonitatem. In ea fiduciam repone: roga, ut tuas miſerias curet, & tuæ incredulitati præteritæ ignoſcat.

Punctum ſecundum. Converſus ad Thomã Jeſus oſtẽdit illi plagas: mandat, ut inſerat digitũ ſuũ cicatricibus

clavorum, & manum lateri, incredulitatem abjiciat, & credat. Hîc oſtendit Chriſtus, intellexiſſe ſe, quamvis abſentem, quæ Thomas dixerat, & animo conceperat. Quo ei ſuam divinitatem demonſtrat: quod ſi cogitaſſet Thomas, in hunc modum locutus non fuiſſet. O quàm utile eſt, *D*eum in òmnibus habere præſentem! quantos errores non committeres! Adhæc obſerva Domini facilitatem: habebat juſtam cauſam exprobrandi peccatum; non exprobrat: aptat ſe in omnibus: contemplare, inquit Chriſtus, ad lubitum plagas meas: admove manum lateri meo: immitte digitum in vulnere clavorum. O dulciſſime Jeſu! hoc ille faciat? faciat omnino, refert, ut Thomas tangat, & credat, ut & ipſum recuperem, & multos alios per ipſius fidem lucrifaciam. Gratias age *D*eo de illis, quæ etiam tuæ ſalutis causâ facit. Diſce, infirmitati proximi, cum opus eſt, cedere, & illum bonitate potius, quam auſteritate vincere.

Punctum tertium. Thomas Chriſti verbis in ruborem datus, fortaſſe non audebat propinquare, & tangere. Quare Jeſus, apprehendit ejus manum, voluitque cognoſci tactu lateris, & manuum. Quo contactu illuſtratus animo Thomas, & provolutus ad pedes Jeſu dixit: *Dominus meus, & Deus meus*! Pondera hîc ſenſum Thomæ: pudoris, propter ſuam incredulitatem; doloris, propter pertinaciam; amoris, propter acceptam gratiam: quæ, præſentibus cunctis ei expreſſit nobilem illam confeſſionem divinitatis, & humanitatis Chriſti: *D*ominus meus es propter iſta vulnera, quibus me redemiſti: ſed meus amicus es, Domine, quoniam tam dulci mecum agendi modo tuus amor cor iſtud occupavit. Debebatur mihi tua indignatio propter meam incredulitatem: ſed experior dulcedinem veræ charitatis, quæ tibi me in perpetuum mancipat: & quamvis naturâ ſis *D*eus meus;

pro-

profiteor tamen ab hoc temporis puncto, te etiam, propter meam electionem, ſemper fore, & *Deum* meum, & *Dominum* meum. Gaude cum Thoma propter tam nobilem confeſſionem: erubeſce, quod hactenus non tractaveris Jeſum, uti Deum tuum, & Dominum tuum. Decerne, inpoſterum factis oſtendere, quod præter illum non habeas alium Deum, alium Dominum. Ad extremum expende utilitatem à Thoma plagarum tactu perceptam; & cura tandem inire rationem appropinquandi mente plagis iſtis, ut in meditatione ſequente.

Feria ſexta.

MEDITATIO XXVII.

Applicatio quinque ſenſuum ad quinque Chriſti vulnera.

P*Unctum primum.* Statue ante oculos animæ plagas iſtas, manuum, pedum, lateris. Metire interno aſpectu profunditatem, & magnitudinem. Pondera dolorem Domini illis inflictis perceptum: contemplare eas nunc, quàm appareant pulchræ, & ſplendidæ ſupra gemmarum omnium nitorem. Inhære contemplationi tam bellæ rei, quæ rapit oculos cœlitum, & perturbabit in extrem Judicio oculos damnatorum.

Punctum ſecundum. Auribus animæ audi, quid eloquentes iſtæ plagæ continuò dicant æterno Patri, ad permovendam miſericordiam: quomodo ſint pretium pro noſtra redemptione illi repræſentatum, quomodo cum ſanguine, inde effuſo, rogent miſericordiam, & veniam; & ſimul juſtitiam exigant contra illos, qui nolunt uti miſericordia. Adhæc auſculta, quid cordi tuo dicant. Beatum te, ſi bene intelligas. Dicunt tibi conſtanter amandum eſſe tam bonum Dominum, qui tantum ſui erga te amoris ſtatuit

monumentum. Explicant divinam illius bonitatem; & ſimul exiſtimationem, & confidentiam habendam erga illius Perſonam. Oſtendunt tibi majorem eſſe rationem ducendam (quod huc usque non feciſti) humilitatis, & patientiæ; quoniam Jeſus tanti fecit ſigna ſuæ abjectionis, & doloris, ut ea retinere voluerit in ſempiternum. Tibi dicunt, magnam te facere injuriam, non obſequendo voluntati Jeſu, dum te adjurat per illa vulnera, noſtrâ cauſâ ſuo corpore excepta. Deniq; dicunt, ſi plagæ iſtæ ſuffecturæ non ſint, tuâ culpâ, ad convertendum cor tuum, valituras ad illud condemnandum. Quid his vocibus reſpondes?

Punctum tertium. Odoratu interno percipe cœleſtem fragrantiam, quàm iſtæ ſanctæ plagæ ſpirant. Quod ſi Deus in ſacrificiis antiquis recepit *odorem ſuavitatis*, quem odorem exhalant hæ ſacratiſſimæ plagæ ſacrificati in æterni Patris honorem Filii? Unde dicebat S. Aug. *Vulnus eſt, quod Chriſtus excepit, ſed unguentum eſt, quod effudit.* Accepit Jeſus vulnera in manibus, in pedibus, in latere: ex illis effudit unguentum odoriferum, & pretioſum. Si Apoſtolorum aliquis de ſe, & æqualibus dicebat, *Chriſti bonus odor ſumus*, 2. Cor. 2. quo fumigabatur Eccleſia; quam nobilis ex his plagis continenter erumpit ſuffitus, qui recreat Eccleſiam militarē, & triūphantem!

Punctum quartum. Guſta palato animæ tuæ ſalutiferas illas aquas, quæ fluunt ex illis quinque fontibus: & ubi animus inveniat ſalubrius nutrimentum, quam in his plagis? qualis cibus ſaturare meliùs poteſt famem, & qualis liquor melius ſedare, & extinguere ſitim, quam aqua profluens ex iſtis plagis! haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, Iſa. c. 12. Quàm dulcedinem ſentiunt animæ illæ, quæ dignæ fuerunt os admovere ad latus Jeſu, unde omnes prodeūt cœleſtes opes! & quod medicamentū erit

effi-

efficacius ad ſanandas omnes animæ infirmitates, quàm illud, quod ſcaturit ex tam ſacro fonte. Quam ob rem cum maxima demiſſione, & affectu roga Jeſum cum Samaritana: *Domine da mihi hanc aquam.*

Punctum quintum. Attentus accede ad iſtas ſanctas plagas: inſere cum veneratione manum, & multò magis cor, ad ſecuritatem contra inſidias mundi, carnis, ac dæmonis conſtituendam: abſconde te in iſta ſacra foramina: *intra vulnera tua abſconde me.* Dum hic latebis unitus Jeſu, procul arcebuntur hoſtes. Roga Dominum, ut te intromittat: Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me, Job. c. 6. Unde teſtatur Auguſtinus, nulla in re inventum à ſe remedium efficacius, quàm in vulneribus Salvatoris.

Sabbatho.

MEDITATIO XXVIII.

Apparet Dominus Diſcipulis piſcantibus.

P*Unctum primum.* Digreſſis, de Chrſti præcepto, in Galilæam Apoſtolis, Petrus dixit ſuis aliis, piſcatum ire ſe velle. Et reliqui omnes operam ſociam promittunt. Conſidera, quam ob cauſam piſcatum ire velit Petrus, qui retia, ut Chriſtum ſequeretur, reliquerat: redit igitur ad artificium priſtinum, & Chriſti factus Diſcipulus repetit, quod deſeruerat? Non redit Matthæus ad telonium, relictum hoc tempore. Cogita, piſcationem de ſe eſſe actionem malam: nec Petrus aliam tunc habebat occupationem: erat pauper; & fortaſſe à Chriſti morte deerat Apoſtolis ſuſtentandi ratio: propterea ad antiquum redit piſcandi laborem. Hinc obſerva, actiones ejusmodi non officere ſervitio Dei, quæ prius exercebantur: ſed illas obſtare, quæ non poſſunt porrò fieri ſine peccato, quales erant, quas exercebat Matthæus; ita, ut

qui

qui ſervire vult Deo, non ſollicitus eſſe debeat, quomodo, aut utilia, aut jucunda vitæ prioris relinquat; ſed illa, quæ non ſine periculo offenſæ divinæ exerceri poſſunt. Obſerva etiam, quomodo reliqui ad Petri arbitrium ſe accommodent: & cura, non turbare charitatem, atque, cum fas eſt, aliorum te aptare voluntati, victis incommodis, quæ fortaſſis intervenire poſſunt.

Punctum ſecundum. Abierunt unà ſeptem; & navem ingreſſi totam noctem in mari Tiberiadis impenderunt piſcatui: ſed laborarunt fruſtra, nullo capto piſce. Conſidera in hoc eventu providentiam ſingularem Dei. Volebat Dominus, ut diſcerent Apoſtoli, quomodo differant labores præſente, & auſpice Chriſto facti, ab illis, qui fiunt eo abſente. O quantum prodeſt Chriſto præſente laborem exhaurire, ſine quo inanis eſt, & infructuoſa operis contentio! *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*, 1. Cor. 3. Abſque Deo, & gratia Dei, nihil meremur. Durante in nobis nocte, ſive peccati, ſive malæ intentionis, ſive fiduciæ virium propriarum, & voluntatis propriæ, laboratur quidem; verùm albeſcente vitę alterius die piſcatio finietur, ſed ſine piſce. Ergo ſi cupis, ut, quod agis, bene eveniat; cura id agere cum Deo, jungendo te illi rectâ intentione, & voluntate, precibus, & aſſidua meditatione. Hoc agam tandem, mi Jeſu. Et de quo juſtius in meis actionibus, quam de te, cogitem, in quem deſtinavit omnia Pater?

Punctum tertium. Comparuit Chriſtus manè in littore: interrogavit Diſcipulos iſtos, an piſces haberent, ſpeciem præſeferens emere volentis. Reſponderunt, non habere. Tunc juſſit à parte navis dextra explicare rete. Conſidera primùm afflictionem Diſcipulorum, qui noctis totius labore nullum operæ pre-

tium

tium fecerunt. Quid cogitabunt illi, qui in mari hujus mundi, poſtquam nocte vitæ hujus mortalis piſcati ſunt, aut opes, aut honores, aut voluptates, tandem videbunt ſe nihil cepiſſe: ſive, quia non obtinuerunt expetita; ſive, quia experientiâ didicerunt, totum hujus mundi piſcatum eſſe vanum! Roga Dominum, ne te falli ſinat cum illis, ſed ut gratiam largiatur quærendi illa bona, quæ in æternitate non finiuntur. Secundò, pondera interrogationem Chriſti. Sciebat omnino, illos piſcem nullum habere; quærit nihilominus; ut primum agnoſcant ſuam paupertatem, deinde beneficium poſt executionem ſui mandati conferendum. Sane niſi eos direxiſſet, nihil penitus habuiſſent! Sic eſt, Domine, abſque te nihil, quod valeat, poſſum facere. *Itaque greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum.* Te favente obtinebo, quidquid neceſſarium eſt ad meam ſalutem.

Dominica IV. poſt Paſcha.

MEDITATIO XXIX.

Manifeſtat ſe Dominus Diſcipulis piſcantibus.

P*Unctum primum.* Diſcipuli ejecerunt rete ad dexteram navigii, & tantum piſcium ceperunt, ut difficilè illis fuerit, rete pertrahere ad terram. Conſidera, quàm copioſus fuerit obedientiæ fructus, uno retis jactu tanto piſcium capto numero, tota nocte capto nec uno: fuitque tanto mirabilior hæc obedientiæ promptitudo, quanto minus Chriſtum cognoſcebant, peregrinum eſſe rati. Excita igitur animum ad obediendum promptè *Deo*, & loco *Dei* te gubernantibus; & erit fructuoſa tua obedientia. Secundò, cogita ideò tantam illo in loco captam

piſci-

piſcium multitudinem, quia *D*ominus potentiâ ſuâ repente numerum illum congregavit. Ita cùm ſunt animæ capiendæ, neceſſe eſt eas à Chriſto prius præparari. Non erat ars diſcipulorum, ſed pietas Domini apparentis. *D*iſce, diffidere tibi ipſi, & diligentiæ tuæ: & roga *D*ominum, ut adeſſe, & favere cœptis tuis velit: ſic opera tua non erit vana. Addidit Dominus, ut in dextram navigii mitterent rete: ut intelligas agendum eſſe pura intentione, non ſiniſtrâ. Quomodo, quidquid evenerit, non fraudaberis fructu laboris.

Punctum ſecundum. *D*ixit Joannes Petro, *D*ominum eſſe, qui ſtat in littore. Conſidera in hoc ſtudium Joannis cognoſcendi ante alios Chriſtum. Unde Joannes prior cognovit? inde fortaſſe, quia dum Petrus, & alii magis intenti erant in piſcationem, Joannes intentiùs intuebatur Chriſtum, & formam clariùs agnovit. Verum eſt, quò quiſque longiùs abeſt à negotiis externis, & per orationem firmiùs jungitur Deo, hoc perfectiones Dei ac magnitudinem melius cognoſcere. Quare cura tu, quantum ſtatus ratio permittit, à rebus fluxis removere te: & clariùs cognoſcas Deum. Aut ideo Chriſtum prior cognoſcit Joannes, quoniam purior erat ob Virginitatem. O præclaram rationem cognoſcendi *D*eum, cordis puritatem! *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Eam acquirere impensè ſtude. Gaude cum Joanne, quod ab eo tempore tam perſpicacem habuerit intellectum, ut, quod aliis datum non fuit, jam tunc ipſe Chriſtum cognoſceret. Præterea cogita, non ſatis fuiſſe Joanni cognoſcere Chriſtum: communicavit hanc cognitionem etiam cum Petro. Excita te ad imitationem, maximè ſi olim occaſio fuiſti aliis in malum aliquod incidendi.

Pun-

Punctum tertium Ut audiit à Joanne Petrus, *illum Dominum* eſſe, deſiliit in mare, ut ad illum accederet, dum alii lentiùs adnavigarent terræ, trahentes prægrave piſcibus rete. Pondera hîc fervorem Petri. Non examinat, an ille, qui ſtabat in littore, verè *Dominus* eſſet: non certus eſt, an Joannes deceptus non ſit: non ſe excuſat de opera trahendi rete communi deſertâ: relinquit omnia: ferre nequit modicam moram navigii: ſe projicit, natatu mox ad Dominum perventurus. Vide Petri deſiderium: vide tepiditatem tuam: cognoſcis, & non facis. Statue rumpere omnia impedimenta, quæ frigus tuum tibi objicit. Opus eſt, ut noveris projectus in hujus mundi mare natatu littus æternitatis obtinere, ubi ſtat Chriſtus: tolerare amaritiem undarum: & velle, etiam non vectum navi, appellere. Tandem cogita, Petrum oſtendiſſe hunc fervorem, qui præ omnibus aliis tempore Paſſionis gravius deliquit. Sic agendum eſt: qui plus offendit Deum, compenſare errata ferventioribus obſequiis debet. Vide, an ſic agas: & roga glorioſum iſtum Apoſtolum, ut imitationem ſui tibi impetret, in amore ardente Chriſti.

Feria ſecunda.

MEDITATIO XXX.

De eadem Apparitione.

P*Unctum primum*. Reliqui Diſcipuli ad littus appulſi, & in terram degreſſi viderunt paratum panem, & piſcem aſſum ſupra carbones. Conſidera in hoc facto, primò intentionem Chriſti. Cur prandiũ paravit Apoſtolis? cur piſcem aſſavit? Voluit oſtendere (quamvis paulò antè quæſiverit, an aliquid piſcium haberent, non quod indigeret, cum ſubitò promere potuiſſet ex mari, aut vi divina producere) piſcationem illam copioſam effectum eſſe ſuæ potentiæ, quâ ſubitò coëgit in illam partem tot piſces, ubi antea labore irrito

fuerant piſcati. Ita, quando nos interrogat, non id facit, quod ſit neceſſarium, ſed ut habeat occaſionem nobis dandi, & oſtendendi, quidquid habemus boni, donum ipſius eſſe. Ita eſt Domine: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, Pſal. 15. Ita cuncta tibi accepta referre par eſt, & tibi reddere gloriam, & in tuum obſequium impendere. Secundò, præparat diſcipulis cibos. O Domine, nonne ſufficiebat, illis in hac vita mortali ſerviſſe; in hoc etiam ſtatu glorioſo ad ſerviendum te demittis? Et tu officium, quemcunque vile & objectum, exſequi pro Chriſto dedignaberis?

Punctum ſecundum. Dominus mandat, ut aliquid de piſcibus captis adferant. Petrus confeſtim navem ingreſſus, traxit in terram rete, plenum centum quinquaginta tribus piſcibus magnis, non rupto reti. Cur voluit Dominus, ut promerent de piſcibus, reti concluſis? Voluit Dominus hac occaſione diſcipulis conſiderandam proponere multitudinem piſcium ad ſuum mandatum ſubitò captorum, ut in hoc eventu agnoſcerent magnitudinem accepti beneficii poſt noctis unius integræ fatigationem, & confirmationem majorem Reſurrectionis ſumerent, novumque venerandi, & ardenter amandi argumentum. Diſplicet Domino, quando collatis in nos beneficiis non utimur ad nos arctiùs ei obſtringendos, & cura majore ſerviendum. Tu ſummo ſtudio contende gratias Dei in ejus honorem, & gloriam conferre. Ad extremum, in piſcibus iſtis à dextra navigii captis, & à Petro ad littus in reti attractis, noveris illos ſignificari, qui in mari hujus mundi, intra Eccleſiæ rete feliciter adducti ſunt ad terram æternitatis beatæ. Deſidera inter illos cenſeri, qui tam felici ſorte potiuntur: & roga Dominum, ne unquam tuis culpis rumpas iſtud rete, & mergaris mari miſeriæ ſempiternæ.

Pun-

Punctum tertium. Chriſtus invitavit Diſcipulos ad capiendum cibum: *Venite, & prandete.* Quin ipſe, & panem, & piſcem illis diſtribuit. Nullus tamen audebat interrogare, quis eſſet, cum cognoſcerent eum Dominum eſſe reſuſcitatum. Conſidera primo loco ſuavitatem & familiaritatem Domini; quâ ipſos invitat ad vires reficiendas, & ipſe pariter accumbit ad unà prandendum. Ama bonitatem iſtam, quâ ſe tam affabilem præbet ſuis. Adhæc obſerva providentiæ ſolicitudinem, paratâ illis refectione; qui piſcationem ad normam ab ipſo præſcriptam inſtituerant. Sic etiam tibi faciet poſt fatigationem hujus vitæ in animarum piſcatione toleratam, vitamque ad mandatorum regulam exactam: invenies exſtructum epulum æternum: audies invitari te: *Venite & prandete*; illi aſſidebis, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo, Luc. 22. Excitare igitur ad obediendum illi, & laborandum pro illo. Deinde vide, quid agant Diſcipuli: Venerantur quidem: ſed interrogare, licet adeò familiarem, non audent. Diſce, cum omnibus tuis beneficiis, cum ſumma reverentia, ſubmiſſione, exiſtimatione Dominum colere. Cura denique Chriſtum habere præſentem in omnibus actionibus: & ſic eas perficere, quaſi dicentem tibi audias, quod dixit Apoſtolis: Veni, i, prande: ſtude, refice te. In hoc mundo facies omnia cum merito, & quaſi ex ipſius mandato. Roga Dominum, ut hanc tibi gratiam faciat.

Feria tertia.

MEDITATIO XXXI.

Confirmat Chriſtus Petro Vicariatum, & Principatum Eccleſiæ.

PUnctum primum. Dominus ſumpto cum Diſcipulis prandio converſus ad Petrum, interrogat: Simon

fili Joannis, amas me plus, quàm iſti? Reſpondet Petrus: Ita, *D*omine: tu ſcis, quia amo te. Tunc Dominus: Paſce agnos meos. Conſidera, cur *D*ominus interroget Petrum, an plùs amet, quàm alii. Volebat confirmare caput Eccleſiæ, & facere illum ſuum Vicarium: exigebat igitur ſingulariter amorem; quò cuncti intelligamus, Dominum ab omnibus, præ virtutibus aliis, exigere charitatem: quia, qui plus illum amat, major eſt apud illum; & qui major eſſe debet dignitate, debet etiam eſſe amore major. Vide, an cures progreſſum facere in amore *D*ei. Obſerva porrò, quod Petro dicat, an plus amet, quàm alii diſcipuli. Cur amari vult plus à Petro? Ignoverat ei triplicem negationem: iccirco plus amari vult à Petro. Et hoc juſtè: nam qui obtinuit veniam graviorum noxarum, obligatur ad magis amandum. Vide, an hoc agas, gratiâ tibi fortaſſe factâ multorum, & gravium peccatorum. Quid reſpondet Petrus? non dicit amare ſe plus aliis; ſolùm dicit, amare ſe. Vide, ut didicerit, non præferre ſe aliis; & ideò jam humilis eſt. Hoc tu imitari debes: nulli te anteponere; & non confidere fervori, quem tibi habere videris: qui tandem deficit, ut factum in Petro, qui dixerat, nunquam ſe defecturum, licet omnibus aliis defecturis.

Punctum ſecundum. Poſt primam interrogationem, iterum interrogat Chriſtus: *Petre, amas me?* Reſpondet, ut ante: *tu ſcis, quia amo te.* Et Chriſtus: *paſce agnos meos.* Quid opus iterare quæſtionem? neſciebat amari ſe à Petro Chriſtus? Sciebat, interrogat tamen iterum: cum enim Petrus à Chriſto ad gubernandos fideles deſignatus eſſet; non id facere rectè poterat abſque inſigni amore: &, quod conſequens eſt, niſi promptus fuiſſet ad ſpargendum pro animarum ſalute ſanguinem, uti fecit Chriſtus. Non bene cedit gubernatio ambitioſi, ſuperbi, avari: cum enim oporteat

amari perſonas, odio haberi vitia, ſola nos ad hæc obligat charitas. Vide, an veram iſtam charitatem habeas? absq; illa non poteris bene gubernare animam tuam, nec animas proximorum, quarum tibi cura eſt. Secundò conſidera felicitatem Petri, qui dicere liberè potuit, *quia amo te.* Si te interrogaret Dominus, amas me? qui reſpondere poſſes? an citra mendacium dicere: *tu ſcis, quia amo te?* quid autem dicunt opera tua? oſtendisne in his, & in intentione tua, plus illum à te amari, quàm te ipſum, & res alias omnes? cura, ut reſpondere poſſis verè: *amo te.* Tandem pondera pia Chriſti verba, quibus agnos appellat ſuos fideles; ut adeò ſe confiteatur Patrem, & Matrem ſuorum fidelium, quos vult agnos eſſe innocentiâ, & manſuetudine. Geris omnino, mi Jeſu, affectum matris erga nos; utinam ſit in nobis affectus verorum filiorum, qui venerentur tuam perſonam, & obſequantur tuæ voluntati. Concede mihi, ut illos in me affectus excitare poſſim, ne videar aliquando nomine filii tui indignus.

Punctum tertium. Petrus à Chriſto tertiùm interrogatus de amore, conturbatus eſt, & reſpondit: *Domine, tu omnia noſti: tu ſcis, quia amo te.* Subjunxit Dominus: *paſce oves meas.* Conſidera primò, cur tertium Chriſtus Petrum de amore interroget. Voluit compenſare triplici confeſſione amoris triplicem negationem, factam tempore Paſſionis. Voluit, ut lingua, quæ timori ſervierat negando, ſerviret amori confitendo. Ecce modũ veræ pœnitentiæ; ſatisfacere culpis admisſis contrariis actionibus; & quod fuit inſtrumentũ peccandi, fiat inſtrumentũ pœnitendi. Examina, an ſic Domino ſatisfeceris huc usque: & cura, ut id facias. Secũdò vide, unde nata ſit Petri triſtitia. Ex timore, ne fortaſſe non amaret, ut amare ſibi videbatur. Mi Domine, deberem quærere ex te, an amem te, id enim tibi certius eſt, quàm mihi; iccirco trina hæc repetitio mihi curam

injicit, ne fortaſſe videas me non amare. Hic etiam ſanctum promes timorem de te: quia, *non qui ſeipſum commendat*, ille probatus eſt, ſed quē *D*eus cōmendat, 2. Cor. 10. Ad extremum, tot illi commendat ſuos fideles, ut eos paſcat, oratione, precando; linguâ, exhortando; factis, imitationis exempla præbendo. Cura tu quoque, tribus iſtis modis proximum adjuvare.

Feria quarta.

MEDITATIO XXXII.

Prædicit Dominus Petro Martyrium.

P*Unctum primum.* Dixit Chriſtus Petro: *cum eſſes junior, cingebas te*, & ambulabas ubi volebas: *cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.* Sic locutus eſt *D*ominus, mortem ſignificans, quâ glorificaturus erat *D*eum. Conſidera primò, quale præmium prædicat Deus ob graves labores in animarum gubernatione exhauriendos, merces, eſt Crux, in qua Petrus erat moriturus. Ita remuneratur Chriſtus operas ſuorum amicorum: inſigne tamen eſt præmium, quia cedit in Dei gloriam. Collige hinc, gaudendum tibi eſſe, quando Chriſtus tecum communicat aliquam particulam Crucis, ſive per infirmitatem, ſive per contemptum, aut aliam afflictionem: & cogita glorioſam eſſe: non enim major eſt gloria, quàm imitari Chriſtum, & pati pro *D*eo. *S*ecundò obſerva in illis verbis, à Chriſto ſignificari duplicem crucis ſortem. Prima eſt, quam quis ipſe ſibi ſumit: ſecunda, quæ ab aliis oritur, contra naturæ inclinationem. Tu cura complecti utramque, & promptiùs ſecundam, utpote quæ accidit provectioribus virtute, & perfectioribus, quæ minus habet propriæ voluntatis, & liberiùs permittit ſe divinæ voluntati.

ti. Vide, quomodo in utraque proficias : & erubeſce, ſi fortaſſe utrãq; negligis, recuſans mori pro Chriſto, & mori tibi.

Punctum ſecundum. Chriſtus ad hunc modum Petro locutus, aſſurrexit, & diſcedere incipiens, dixit Petro; *Sequere me.* Secutus eſt Petrus, & unà Joannes, quamvis non invitatus à Chriſto. Conſidera, quid ſignificare voluerit Chriſtus. Voluit dicere: prædixi tibi, te crucifixum iri, quod contrarium eſt inclinationi tuæ naturali, & appetitui ſenſûs. Facile tamen erit, me, & quod feci, conſideranti. Ego præceſſi : crucifixus ſum ; aſpice quod feci pro te ; & durum tibi non erit in hunc modum pati pro me. Quare ſequere me, & præſentem, atque oculis tuis ſemper obverſantem conſtitue. Ecquid enim tam amara nobis videtur crux? quia non ſequimur Chriſtum, non intuemur ejus exemplum, non cogitamus, quomodo præceſſerit, & paſſus pro nobis ſit. Aſſueſce in poſterum, in oculis gerere ſemper Dominum, & ea, quæ pro te fecit ; & facilè feres crucem pro Chriſto. Secundò obſerva, quod fecit Joannes : ſtatuit ſequi Chriſtum, quamvis non dictum ſit illi ; *Sequere me*, ut erat dictum Petro. Quis impulit, ut Chriſtum ſequeretur, quamvis non invitatus? Impulit amor, quo ardebat erga Chriſtum ; hic illum incitavit ad eundum, quamvis eum non vocaverit verbis. O quàm verum eſt, eum, qui amat, operari! Tu, quia cor habes languidum, & voluntatem frigidam, non ambulas, ſiſtis gradum, non ſequeris Chriſtum. Roga Jeſum, ut accendat in te charitatem, quâ, ad Joannis imitationem, non exſpectatâ invitatione externâ, illum ſequaris cum affectu, & fervore.

Punctum tertium. Petrus præcepto Chriſti obediens ſequebatur ; cum reſpiciens vidit etiam Joannem venire : &, quoniam vehementer eum amabat,

 in-

interrogavit Chriſtum, de Joanne quid futurum eſſet? cui Chriſtum, vanam eſſe quæſtionem: ſequeretur ipſe jam invitatus. Conſidera reprehenſionem, quâ Petri curioſitatem Dominus caſtigat: & tamen videbatur non eſſe curioſitas vana, cum propter amorem in Joannem, tum quia Paſtor erat Petrus, & Vicarius Chriſti. Nihilominus reprehenditur. Vult, ut Petrus ſua curet, & officii ac debiti rationem habeat, curâ Joannis, & aliorum relictâ providentiæ divinæ. O quàm felix eſſes, ſi ad hanc normam tua ageres, & rerum aliarum rationes Deo permitteres: ſi non indagares curioſè, quæ tua non ſunt, ſed diligenter officium tuum explores, quod eſt, ſervire *D*eo, & imitari Chriſtum. Inquire, an ſic agas. Erubeſce, quod ſcruteris aliena, tua negligas. Statue, in futurum emendare te: vince curioſitatem ingruentem: dic tibi ipſi, tua quid intereſt, hæc vel illa res? tibi vigila; hic es, ad ſalutem tuam curandam: Jeſum ſequere, & illi ſervi. O mi Domine, imprime huic animo nunquam expungendam iſtam veritatem: nihil enim ſunt omnia, præter tua obſequia.

Feria V.

MEDITATIO XXXIII.

Apparet Jeſus in monte Galilææ plusquam quingentis diſcipulis.

P*Unctum primum.* *D*ixerat Chriſtus mulieribus, ut Apoſtolos juberent in Galilæam ire. Paruerunt illi mandato: profecti ſunt in montem Galilææ, quem opinio eſt fuiſſe Taboræum, & in eundem evocarunt alios diſcipulos: quò ſupra quingentos confluxerunt, ut viderent Dominum reſuſcitatum. Conſidera primò charitatem Chriſti erga ſuos: quæ non complectitur ſolos Apoſtolos: vult conſolari omnes ſectatores

res alios, monſtrando ſe illis in aliquo montium Galilææ. Cura, ut ſis illi diſcipulus fidelis; & indubitanter etiam cogitabit de te, conſolabitur te, manifeſtabit ſe tibi. Gratias age de iſta ſollicitudine. Secundò conſidera charitatem Apoſtolorum. Illi jam eum viderant in Judæa; nunciant tamen aliis diſcipulis, ut in montem illum veniant ad videndum Chriſtum. Diſce ab Apoſtolis deſiderare eadem aliis bona, quibus tu potiris; &, quibus potes modis, comparare: ita procul habebis à tuo corde omnem alium affectum immoderatum invidiæ, & triſtitiæ. Ad extremum conſidera voluptatem diſcipulorum cum hac gratia perceptam: & quanta cum lætitia montem à Jeſu deſignatum conſcenderint, uti dulciſſimo ejus aſpectu erant exhilarandi. Hac ſpe omnis fatigatio leniebatur. Idem tibi eveniet. Contendes in altum: proficies in perfectione, quamvis non absque labore, ſi deſiderium & ſpes fruendi *D*omino vigebit in tuo corde. Vide, ut ſemper in te ardeat.

Punctum ſecundum. Chriſtus, uti promiſerat, apparuit adſpectabilis in propria forma. Conſidera fidem promiſſi à Chriſto impletam. O quàm bonum, ſervire Chriſto, cujus promiſſa non fallunt! Non invenitur iſta fidelitas in mundo, & rebus creatis: quàm tamen illis exactè ſervitur! Porrò conſidera tuam erga Jeſum infidelitatem: cui magna ac multa promiſiſti, pauca admodum præſtas: toties tamen illuſus à te, patienter ignoſcit. Inpoſterum fidelis eſſe cura. Secundò conſidera, quamvis aſpectum ſui promiſerit, & ideò credibile ſit, aliquid eis de ſua gloria oſtendiſſe, plus aliis, minus aliis pro diversâ animarum conditione; omnibus tamen vultum ſerenum, & amabilem exhibuiſſe. O liberalem meum Jeſum! promiſſa dando ſuperas, ad copiam tui videndi ſingularem adjungis conſolationem, & cordiũ lætitiã.

O beatum, cui hæc obtigerit gratia! *beati oculi, qui ea viderunt.* Non mereor has gratias: dignare ſaltem, ut te cognoſcat cor iſtud pro illo, qui es, amabiliſſime Domine, quò recedam tantò longiùs ab omni re-creata.

Punctum tertium. Dicit Evangel. Matthæus: *Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt.* Undecim Apoſtoli viſum Chriſtum adoraverunt: quidam de aliis diſcipulis principio dubitaverunt. Conſidera primò incredulitatem illorum, qui prompti non erant ad credendam Domini Reſurrectionem; qui tamen priùs per Angelos denunciavit: & alii corpus non invenerunt in ſepulchro: & aliis atque aliis apparuit, ut his nunciis ac teſtimoniis diſponerentur cuncti ad credendum, & eo poſtea viſo non dubitarent. Nihilominus aliqui dubitare pergunt. Magna duritia cordis noſtri! ad quantos labores Dominum adigimus: & quantâ nos ipſe ferre patientiâ debet. O quantam cauſam habes erubeſcendi de repugnantia, quâ nuncios, inſpirationes, invitationes *Dei* repellis! Secundò, tametſi in aliquibus aliqua dubitatio principio fuit; conſidera tamen, quomodo multitudo illa tota plus quingentorum hominum adoraverit illum, magna cum reverentia, quam primùm majeſtatem hujus *Domini* propius aſpexit, tam dulci præſentia verbisque capta. Quanto majore cum ratione dicere poterant, quod dixerat aliquando ibidem Petrus: *Bonum eſt nos hîc eſſe.* O quàm ſe præbuit ſingulis amabilem, benevolum, familiarem! Conjunge affectum tuum tam ſancto cœtui; adora pariter Jeſum interna cum reverentia: deſidera eſſe diſcipulus, & opta, ut illud tibi tempus adveniat, quo, non in monte Galilææ, ſed in monte ſancto contemplari poſſis ejus majeſtatem in ſempiternum.

Feria

Feria ſexta.

MEDITATIO XXXIV.

Chriſtus Apoſtolos ad convertendum mundum deſtinat.

P*Unctum primum.* Chriſtus in monte manifeſtatus dixit Apoſtolis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Conſidera Chriſtum, ut Deum, habuiſſe iſtam poteſtatem ab æterno, ſibi cum eſſentia divina communicatam ab æterno Patre: &, ut hominem, habuiſſe eam, à primo conceptionis ſuæ puncto, propter Unionem Hypoſtaticam cum Verbo: nihilominus poſt Reſurrectionem conceſſam illi fuiſſe propter merita Paſſionis plenam, & perfectè completam cum illius uſu. Gaude ex animo cum Jeſu de iſta grandi potentia, quâ *eſt Princeps Regum terræ,* Apoc. 1. Imperat creaturis omnibus in terra, & Angelis omnibus in cœlo, imperio perennaturo. Subjice te illi ſincero corde; agnoſce illum, ut verum tuum *Dominum*; offer te in perpetuum mancipium; ſubmitte illi res tuas omnes: gaude ut in te exerceat ſuam potentiam, & diſponat omnia jure ſuo de te. Cura, ut illi confidas, ſciens, quòd poſſit omnia; & ſpem tuam omnem reponas in ejus amore. Præterea cogita, qualis fructus crucis fuerit, & Paſſionis Chriſti. O mutationem! Apparebat in tormentis debilis; occultabat ſuam potentiam; diſſimulabat reſiſtendi vires. Ecce fructum! Meritus eſt iſtam potentiam in cœlo, & in terra; & ut omnis illi ſe creatura inclinet. Itaque etiam tu libenter amplectere crucem; ab hac recipies omne bonum, & gloriam.

Punctum ſecundum. Mandat Apoſtolis, ut eant in mundum univerſum, doceant omnes gentes, tradant ſuam doctrinam, & Evangelium promulgent. Vide, quousque pertineat dictum de poteſtate in cœlum &

 terram

terram data. Quorſum confert ſuam potentiam? fortaſſe ad caſtigandos, qui crucifixerant, aut capiendam de illis vindictam, qui recipere ut Meſſiam detrectabant? Confert ad bene faciendum, ad juvandum: conjungit potentiæ ſuæ promptiſſimam voluntatem ſuas nobiſcum gratias communicandi. Non igitur convenit, ut ames tantam bonitatem? quæ teſtari pergit affectum in nos ſuum, &, quod vult nobis, bonum? Obſerva porrò magnitudinem hujus bonitatis, quæ neminem excludit; *omni creaturæ, dicit.* Vult, ut Apoſtoli ſui doceant, omnis conditionis, ſtatûs, ſexûs, ætatis homines: omnibus tradant ſuam legem, ac fidem, ut ſerventur omnes, credendo, & agendo, quæ ipſe præcipit. O divinum ſolem, qui dignaris illuſtrare omne hominum genus, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus, Pſ. 18. Quam igitur in eo ſpem habeam, cùm ſit veriſſimum, non minus eſſe potentem, quam bonum? In quo igitur aliò reponam affectum meum, ſi mihi dedit, & continuò dat tantas teſtificationes voluntatis erga me ſuæ? Et verò non ſufficiat ad cognoſcendam ejus erga me benevolentiam, cùm intueor id, quod habeo, quod mihi condonatum eſt, quod dare decrevit?

Punctum tertium. Præcipiendo Chriſtus Apoſtolis, ut eant ad prædicandum Evangelium, addit, ut baptizent gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. quo baptiſmo abluitur corpus, animæ peccata expiantur. Conſidera in hoc dulcedinem Jeſu: qui inſtituit in Lege gratiæ pro remedio peccati Originalis, & ingreſſu in Eccleſiam Baptiſmum, tam facile Sacramentũ: ubi contra in Lege Moyſis erat Circumciſio pro infantibus, tenerrima ætate illa, ſumme dolorificũ. Age gratias Domino pro inſtituta Lege Evagelica, Lege tam amabili, Lege filiali: & cognoſce, jugum Domini eſſe ſuave; & onus, nobis impoſitum, leve. Conſidera

por-

porrò inſigne beneficium in te collatum : quòd hoc tempore ſis natus,quo per baptiſmum patet ingreſſus n familiam Chriſti. O Magnam gratiam ! à qua tam multi arcentur cúm certo periculo ſalutis ! & tu,qui dē Chriſti es familia,non vivas ad arbitrium Chriſti ? Roga Dominum,ut cætera compleat, quò poſt ingreſſum in Eccleſiam per Baptiſmum , illi ſervias,ut par eſt,& gratiæ divinæ,ac ſalutis tuæ pignoribus tibi datis,nullum dedecus adferas.

Sabbatho.

MEDITATIO XXXV.

Continuatur Inſtructio facta Apoſtolis.

P*Unctum primū.* Mādato baptizandi gentes ſubjungit Dominus mandatū docendi,*docētes eos ſervare omnia,quæcunque præcepi vobis.* Vult, ut inculcent obſervantiam præceptorum. Conſidera , Chriſto non ſufficere,ut ſolùm diſcamus,& credamus ; requirit inſuper obſervationem , non rei unius , aut plurium , ſed omnium ; ut adeò deficiente præcepti unius obſervantia,rei agamur nullius impleti. Examina te ipſum. Vide an violaveris unum : & emenda te , ne in diſcrimen voceris tuæ ſalutis. Secundò conſidera, quàm rationi congruat iſta obſervatio ; ex parte eam imperantis,qui eſt Jeſus,qui omni pollet auctoritate , & poteſtate : ex parte noſtra,quia non eſt,qui contradicere poſſit illius mandatis,aut reſiſtere voluntati,aut eximere ſe obedientiâ : quia ſuo nos emit ſanguine,& eſt Dominus abſolutus. Tertiò , conſidera , quàm ſimul ſit utilis,in vita,& in morte:in vita,propter pacem animæ,propter ſerenitatem bonæ conſcientiæ : in morte,propter conſolationem , quæ naſcitur ex obſervatione præterita divinorum præceptorum. Domine , qui præceptà nobis dediſti , da etiam vires exſequendi , fac , ut intel-

intelligamus cum obſervatione tuæ legis omne aliud bonum verum eſſe conjunctum.

Punctum ſecundum. Subjungit Dominus, quicunque crediderit, & baptizatus fuerit (faciendo etiam cætera) ſalvum fore, aliàs damnandum. Ecce, quàm neceſſaria ſit cum fide, & baptiſmo divinæ legis obſervantia, usque ad vitæ finem. Cum hac ſalus in tuto eſt; ſine hac, deſperata. Omnibus igitur viribus tibi contendendum eſt ad illam obtinendam. Conſidera momentum ingens æternitatis, ſive beatæ, ſive infelicis. O ſi bene intelligeres, quid ſit ſalvari, aut damnari! Commiſereſcere illorum, qui carent fide, & vivunt in tenebris infidelitatis: gratias age Domino ob gratiam divinæ lucis tibi collatam; & roga, ut ſuccurrat tantæ multitudini, quæ habitat *in regione umbræ mortis*. Commiſerare etiam illos, qui credunt, ſed fide mortuâ; ſequuntur doctrinam Evangelicam, ſed non vivunt moribus Evangelio convenientibus. Vide, an tua vita reſpondeat tuæ fidei; an opera conſentiant tuæ profesſioni: deteſtare malum omne præteritum; ſtatue, non contradicere factis ei, quod credere te dicis, ſed cum fide conjungere charitatem.

Punctum tertium. Dominus pro teſſera fidei dicit, eum, qui credit, expulſurum dæmones, linguis novis loquuturum; venenum abſque nocumento bibiturum, contactu infirmos ſanaturum. In his verbis conſidera Dominum illo initio, ad confirmandam fidem, & ut necesſitas, & diſpoſitio divina exigebat, dediſſe fidelibus poteſtatem ejusmodi mira patrandi. Vide Domini bonitatem, qui obligando ad credenda myſteria tam ſublimia, voluit facilem reddere fidem, tanta faciendo miracula, omnibus temporibus, quæ ſunt rationes potentisſimæ ad demonſtranda fidei noſtræ fundamenta. Gratias age Domino de iſta gratia; & gratulare tibi, quod ea credas, quæ, cùm neceſ-

neceſſarium fuit, Dominus affirmavit rebus tam ſtupendis. Secundò, conſidera, mira ejuſcemodi fieri à fidelibus continuò in animis. Ejiciuntur dæmones, dum vi pœnitentiæ peccata, aut noſtra, aut aliena animis expelluntur. Sermocinari de Deo, de cœlo, & non excuſare proprias culpas, non eſt lingua nova, diverſa à lingua Adami? Extinguere diaboli ſuggeſtiones, eſt expellere ſerpentes. Sentire ſtimulos carnis, & non conſentire, eſt bibere venenum ſine nocumento. Corrigere proprias appetitiones bonis operibus, eſt curare infirmos. Cogita poſſe te operari in te, & in aliis iſta miracula ſpiritalia. Vide, an id facias; & cura hoc tuæ fidei ſignum edere, ſic agendo.

Dominica V. poſt Paſcha.

MEDITATIO XXXVI.

Chriſtus promittit manere nobiſcum uſque ad finem mundi.

P*Unctum primum.* Poſtquam Chriſtus mandavit Apoſtolis, ut Evangelium promulgarent per totum terrarum orbem, baptizarent, & docerent omnes gentes; addidit: *& ecce ego vobiſcum ſũ uſque ad conſummationem ſæculi.* Quanti momenti, & conſolationis fuit iſta promiſſio Apoſtolis, & omnibus Evangelii doctoribus facta? Non erant Evangelicam doctrinam explicaturi, animarumque ſalutem curaturi absque multis afflictionibus, inſidiis, laboribus: & quomodo animos, & audentiam habuiſſent ad negotium tam difficile ſufficientem, deſertos ſe videntes, ac debiles? Conveniebat, ut excitarentur: iccirco promiſit, præſentem ſemper ſe fore, auxilio, conſilio, conſolatione, potentiâ; nec defuturum unquam, tametſi videri præſens non poſſet. Ut hæc dicta accenderint illorum animos? Et verè bene omnia eveniunt, cùm *Deus* opitulatur. Gaude etiam tu, ſi Chriſti es operarius:

confide, nunquàm te deſtituendum. Secundò dicit ſemper fore ſe præſentem, quamvis non videatur : ut eos ad exactè operandum impellat, ſanctâ cum intentione, magno cum fervore, tanquam in ejus conſpectu ſemper poſiti. O quàm verum eſt, cogitatâ *Dei* præſentiâ exardeſcere operationem ! oculus Domini mortalis excitat diligentiam ſervorũ : & cogitando præſenté *Dei* oculum non incitabimur ? Inde omne friget opus, quia non cogitas *Deum* præſentem. Aſſueſce conſiderationi divinæ præſentiæ, & magnam in animo experieris mutationem.

Punctum ſecundum. Conſidera, illum per gratiam habitualem, quæ ſanctificat animam, & eſt quædam vitæ divinæ comunicatio, vitæque incarnatæ effectus, germen ſanguinis, & pretium mortis Chriſti, eſſe in nobis, & perſiſtere continuò ; & hanc conjunctionem neq; morbo, neq; afflictione quacunq; alia rumpi. Sola volũtas ſolvit ſacrũ hunc nexũ malitiâ ſuâ, quâ ſubjungẽdo ſe creaturæ comittit peccatũ grave, & peccantem reddit deteſtabilem in præſentia Dei. O mi Jeſu, poteſtne anima tam eſſe inimica ſibi, ut recedat à te, & te quoque cogat recedere ? & hoc quàm frequenter contingit ? & quantam conquerendi cauſam habes, & invitandi Cœlum ad demirandum usq; adeò fœdum animæ adulteriũ; *Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc: me dereliquerunt.* Fac, *Domine*, ut capiam notionem iſtarum duarum vocum, *deſerere te*; cum omni tamen infidelitate creaturæ, tu eam non deſeris, ſed ades, præſens tuis auxiliis, ut peccatũ relinquat, modò conſolando, modò exterrendo : & quamvis contemnat tuas admonitiones, contumacia tamen noſtra non te vincit. Et non tibi gratias agat infinitas cor iſtud de tua præſentia, quâ me adjuvas, etiam te repellentem : & erga animam infidelem, inconſtantem, ingratam fidelis, conſtans, & benevolus es. Fac me dignum tanta gratia.

Punctum tertium. Conſidera, quot modis aliis tecum ſit. Eſt tanquam Rex in ſuo Regno, gubernando ſecundum leges juſtitiæ: quod Regnum eſt anima noſtra, quam obtinere contendit: *Feciſti nos Deo noſtro Regnum.* Eſt tanquam dux in ſuo exercitu, roborando nos ad vincendum mundum, dæmonem, & carnem, hoſtes noſtros. Eſt tanquam paterfamilias in ſua domo, gubernando noſtras affectiones, ut familiam domeſticam. Eſt tanquam gubernator in navi, dirigendo animam in hujus vitæ mari ad portum ſalutis. Eſt tanquam nauta in patriam noſtram nos vectans. Eſt tanquam ignis divinus inflammans nos: tanquam Sol, illuſtrans paruum animæ mundum. In ſumma, eſt tanquam anima animæ noſtræ, vitam impertiendo, ne vivat vitam carnalem, ſed divinam, & non ſequatur errores ſuæ concupiſcentiæ, ſed dictamina æterna. Quare cum nobiſcum ſit tot modis, ratio exigit, ut curemus eſſe cum ipſo ſemper, quà fieri poteſt, & omni temporis puncto. O *Domine*, tu deliciias nos tuas appellas; & nos non omnem in te repoſitam habeamus voluptatem? Non rationi congruit, ut regi me ſinam à te, ac dirigi, tanquam à Rege, duce, Patre? nimirum ſemper es mecum: non diſcedis ab hac anima, quæ nihil ex ſe facere novit, quam præcipitare in mille miſerias, & ſubmittere ſe appetentiis ſuis immoderatis.

Feria ſecunda.

MEDITATIO XXXVII.

De ultima Chriſti Apparitione Apoſtolis facta.

P*Unctum primum.* Apoſtolis Jeroſolymæ in cœnaculo prandentibus de improviſo apparuit *Dominus*, & unà cibum ſumpſit! ſimul incredulitatem illorũ reprehendit, quâ circa Reſurrectionẽ vacillaverant.

In

In hoc facto expende exemplum amoris, amicitiæ, bonitatis, & humilitatis. Non ſolùm glorioſus erat, & immortalis, ſed paulò poſt aſcenſurus in cœlum; attamen aſſidet menſæ cum pauperibus piſcatoribus: paſcitur illorum cibis: familiariter agit. Ante Paſſionem cœnaſſe cum ſuis, mirum non erat: obnoxium pœnis tunc corpus habebat, & ſolemne Paſchatis agebatur: Verùm, ô immenſa bonitas, epulari cum iisdem in procinctu profectionis ad gloriam cœleſtem. *D*iſce ſubmittere te, quacunque conditione ſis, cum bona ſemper ſit humilitas, & facere te, ut Paulus dicebat, *omnibus omnia*, ad proximum tuum Deo lucrifaciendum. Secundò, reprehendit eos de præterita incredulitate. Conſidera, reprehenſionem iſtam argumentum eſſe intimi erga illos amoris. Non vult hoc ultimo diſceſſu relinquere impunitos illorum defectus, majoris puritatis gratiâ. *D*iſce, ut magnam gratiam æſtimare, cum te Dominus intus reprehendit, te convincit, te illuſtrat. Signum amoris eſt; etiam cum per alios admonet. Recipe illam cum demiſſione animi, ſine excuſatione, Apoſtolorum imitatione.

Punctum ſecundum. Conſidera, quomodo Apoſtolos de ſuo in cœlum diſceſſu doceat: & admodum credibile eſt, repetiviſſe quædam illis de rebus, quas veſpere cœnæ, ante diſceſſum in hortum, illis dixerat. Conſidera ſenſum Apoſtolorum hoc accepto indicio, videntium præſentia ſe Chriſti ſpoliari, ex qua, ſi, dum ageret in hac vita mortali, tantam perceperant conſolationem; quantam ſperare poterant, verſando cum illo jam glorioſo, & immortali? Cogita, quàm debeat acerbior eſſe diſceſſio *D*ei ſpiritualis ab anima. Tandem conſpicua Chriſti præſentia non erat Apoſtolis neceſſaria: debuiſſent tamen dolenter ſentire diſceſſum: quanto autem acerbius ſentiri debet diſceſſus occultus ab anima, tam damnoſus, & exitialis. Nun-

quam

quam hoc, ô Domine, contingat animæ meæ. *Præſentia* tua ſpectabilis per ſanctos affectus eſt deſiderabilis, ad ſerviendum tibi majore promptitudine, & fervore: ſed in hoc tuæ me voluntati permitto: illa tamen diſceſſio tua, ex anima mea, nunquam per ingreſſum peccati eveniat, rogo. Secundò cogita, Dominum Diſcipulorum animos præparaſſe ad hunc diſceſſum apparendo interrupte, rarò, & modico tempore; & ita ſenſim animos illorum à præſentia ſua avertendo. Ecce modum avellendi ſe à rebus terrenis, cogitando eas minùs, tractando rariùs, & obiter; ut intelligas, earum uſum frequentem non eſſe modum eas repellendi. Quantùm igitur huc uſque deceptus es, volendo corrigere affectum tuum, interim te rebus fluxis prorſus immergens.

Punctum tertium. Conſidera, quàm fuerit conveniens, poſt quadraginta dies Dominum in Cœlum aſcendere. Namque res omnis locum obtinere debet convenientem: non erat Domino jam glorioſo, & immortali conveniens locus terra, ſed Cœlum: propterea bene jam confirmatâ Reſurrectionis fide, adeunda erat illi poſſeſſio dextræ æterni Patris, debita tanquam Filio naturali. Mundus, ait S. Paulus, non erat locus dignus incolis Sanctis; Quanto igitur minus erat digna terra habere Sanctum Sanctorum? Collige hinc, qualis eſſe deberet locus, in quo nunc habitaret ſaltem cogitatione anima tua; non iſta terra, communis aliis animalibus; ſed Cœlum, quò dirigitur tanquam ad ſuam habitationem. Quàm tamen aliter res geritur; & anima, quippe corpori mortali conjuncta degenerat in res inferiores, & non erigitur in altum. Roga Jeſum, ut tibi concedat gratiam, quoniam non es creatus pro terra, ſed pro Cœlo; ut interim vivere poſſis ut angelus in terra, eum in mo-

Oo du n,

dum, ut de rebus terrenis capias, quantum tua exigit neceſſitas, aut proximi utilitas.

Feria tertia.

MEDITATIO XXXVIII.

Jeſus conſolatur Apoſtolos.

P*Unctum primum.* Erant Apoſtoli triſtes propter diſceſſionem Domini: qui eos conſolatur, ut certum affirmans ex utilitate ipſorum hanc diſceſſionem; aliter non accepturos Spiritum Sanctum. Conſidera, ſanctiſſimam illam humanitatem adjuviſſe Apoſtolos ſuâ præſentiâ, ſuis exemplis, ſuis dictis ad eorum animos in cœlum erigendos: impediebantur tamen ſuâ culpâ: cum enim eſſent admodum rudes, hærebant in eo, quod videbant oculis corporis, ibique affigebantur affectu humano, non intrantes in *Sancta Sanctorum* Divinitatis: juvabat magis, videre Chriſtum, quam ſervire Chriſto: amabant magis præſentiam, quàm perſonam: unde magis amabant ſe ipſos, dum amare illum volebant, & non purè amabant, quia non amabant ipſius deſiderium, & voluntatem æterni Patris. Ecce, quàm immoderatus eſt amor proprius, quàm perniciosſus, quàm cautè obſervandus: qui, unde promere deberet mel, ſugit venenum. Ad ſpeciem Apoſtolorum mœror naſcebatur ex amore Jeſu: verè autem naſcebatur ex illorum amore proprio. Si cordi fuiſſet illis gloria Domini, & ipſius voluntas, præſentiam conſpicuam ſubtrahi ſibi æquis animis tuliſſent. O Domine, rege igitur hunc meum amorem, & fac, ut non ſuo obſequatur genio, ſed voluntati tuæ. Utinam mihi aliquando ſit fas dicere cum illa anima: *Ordinavit in me charitatem*, cùm adeò perturbati ſint affectus mei, etiam circa bonum.

Punctum ſecundum. Conſidera explicatius verba Chriſti: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* An

igitur

Igitur erat tam contraria Chriſti præſentia Spiritui Sancto, ut venire non poſſet, niſi Dominus diſcederet? minimè verò ſunt una res in eſſentia verbum, & Spiritus Sanctus, tametſi diſtinctæ ſint perſonæ. Non veniſſet Spiritus Sanctus, niſi prius in cœlum Chriſtus aſcendiſſet; partim, quia ſic volebat Pater, qui eum decreverat ad ſuam dexteram collocare, & poſtea Spiritum Sanctum mittere; partim, quia Apoſtoli amabant Chriſtum *dulciter, ſed minus prudenter; diligebant carnaliter, ſed non rationabiliter*, S. Bern. 20. in Cant. quia nimium inhærebant præſentiæ, & ideò non erant parati ad recipiendum tantum bonum. Quid tu ad hæc? affectus, qui videtur non ſolùm veniâ dignus, ſed etiam laude, quia tendebat in Chriſtum impedit adventum Spiritus Sancti in corda Apoſtolorum; quid facient in tuo corde tanti affectus immoderati creaturarum? non impediet in te gratiam cœleſtem tantum luti, & terræ, quæ occupat animam, ſi affectus humanus erga Chriſtum privat Apoſtolos tanto bono? Conſidera, quanta ſit immoderatio tuorum affectuum, & erubeſce; multò autem magis, quod cognitis maximis damnis, quæ tales affectus inferunt, non decernas vacuare cor tuum. Decerne eandem, & dic tibi, faceſſite affectus terreni, date locum Chriſto, & Spiritui Sancto, quo debeo omni meo deſiderio aſpirare.

Punctum tertium. Ut excites cor tuum ad purgandum omnem affectum immoderatum, conſidera ab una parte excellentiam Spiritus Sancti, qui deſiderat conjungere ſe, & intrare cor hominis ad illud ſanctificandum, perpurgandum, & in ſe transformandum; ab altera, conſidera, quid res illa ſit, cujus affectus excludit animo Spiritum Sanctum. Nihil aliud eſt, quàm voluptas modica, bonum fluxum, ac vanum, dignum contemptu, indignum, quod animum occupet

capacem *Dei*, & conditum ad poſſeſſionem boni infiniti. Stultitia grandis eſt, affigere ſe rebus hujuſcemodi, tam adverſantibus vero bono. Quid enim luci cum tenebris, cum terræ cœlo, *Deo* cum creaturis? quæ comparatio gratiarum, quæ in animam adducunt Spiritum Sanctum, cum bonis illis, quæ affectio immoderata promittit? Verum omnino eſt re ad lumen fidei expensâ nullam eſſe comparationem. Nunquam tamen expedio me, ſed ſemper magis intrico, & affigo, & eum procul arceo, cui ſoli debetur cordis poſſeſſio. Fac, Jeſu, abundante tua gratiâ, ut jucundum mihi accidat procul à creatis recedere, quæ impediunt tanti boni adeptionem.

Feria quarta.

MEDITATIO XXXIX.

Jeſus adducit diſcipulos in montem Oliveti.

Punctum primum. Poſtquam Dominus conſolatus eſt Apoſtolos promiſſo Spiritu Sancto, jubet interea commorari Jeroſolymis: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*. Conſidera, velle Dominum, ut ſe recipiant Jeroſolymam, & parent ad adventum Spiritus Sancti. Non dicit, quamdiu velit exſpectari, ut ſint indifferentes: dicit tamen: *Non poſt multos hos dies*. Certos reddit non fore longum tempus, quò tanto majore ejus adventus deſiderio accendantur. Idem tibi agendum; ſedendum in civitate, hoc eſt, intra te manendum; claudendæ mentis tuæ cuſtodia cogitationes, & negandus aditus evagationibus, ſuperflua loquacitate, & aliis occaſionibus. Adhæc expende effectum, quem erat operaturus in Apoſtolis Spiritus Sanctus. Abſque hoc erant milites inermes, abſque animis, vigore, viribus ad reſiſtendum Imperatori, & tyranno mundi. *Dominus* dicit, à Spiritu

San-

Sancto armandos; generoſos, conſtantes, intrepidos in Evangelii promulgatione, ſine periculo, & damno reddendos. Age gratias Domino, quòd tam bene præparet Apoſtolos ad hanc ſpiritalem militiam: deſidera etiam tu veſtiri hoc cœleſti robore, ut opponere te cunctis animæ hoſtibus poſſis.

Punctum ſecundum. Finito prandio egreſſus eſt Jeroſolymis Dominus, duxitque ſecum Apoſtolos, & alios diſcipulos verſus montem Oliveti digreſſus priùs Bethaniam. Conſidera in hoc egreſſu montem Domini: qui Jeroſolymis exibat, ut iret in cœlum: montem quoque omnium, eum comitantium, qui erat aſcenſurus in Paradiſum: Ut affectus illorum miſcebantur gaudio, & triſtitiâ! ut incedebant intuentes Jeſum, paulò poſt non conſpecturi! Ut infelix remanebat illa civitas, ex qua diſcedebat Jeſus, tam improbè in ea tractatus? Cura ex his colligere pro anima tua, & deſiderium, ne te unquam deſerat Jeſus, & deſiderium ſequendi illum ſemper, & nunquam ex oculis dimittendi. Tandem cogita, priùs, quam in cœlum aſcenderet, eundem fuiſſe in Bethaniam. Inviſere voluit Magdalenam, Martham, & Lazarum, & eis valedicere, ac ſecum ducere, ut ſpectatores eſſent diſceſſionis in cœlum. Quomodo non te demolliat affectus ille, quem exhibet duabus iſtis ſororibus, ſingulari neceſſitudine conjunctis, quæ ſemper eum pro jure hoſpitii tractaverant. Quanto affluebant ſolatio, tantam in ſe conferri gratiam cernentes in procinctu triumphi cœleſtis! O, quis te non diligat, bone Jeſu, qui memor es, amanſque tibi ſervientium, te amantium, & pro te laborantium.

Punctum tertium. Pervenit tandem Dominus ad montem Oliveti, cum toto illo beato comitatu ad ſpectaculum aſcenſionis delecto, modicum ultra medium progreſſo die. Hîc locum conſidera deſtinatum

à Chriſto ad cœleſtem profectionem : qui eſt Mons oliveti, ille ipſe, cujus ad radices initium dederat ſuæ Paſſioni : ubi fuit mœſtus, luctatusque cum prævisis tormentis usque ad ſudorem ſanguinis, ubi comprehenſus, ligatus, raptatus. Ex iſto loco aſcendit in Cœlum, & exorſus eſt ſuum triumphum, ubi patiendi fecit initium : quia, in ſumma, meſſis gloriæ non habet aliam ſementem, quam cruciatus, & lachrymas. Si hoc actum eſt in Chriſto, cui debebatur gloria, non alia lex eſt mihi conſtituta ; non tamen falli, ac illudi deſino : abſcondo à me veritatem iſtam : obvelo lucem iſtam, ne affectum rerum iſtarum vilium, ac vanacum tollam. Nolo intelligere, nec efficaciter mihi perſuadere, ad Cœlum non iri per vias Mundi, voluptatum, commoditatum, honorûm, ſed per medium imitationis Chriſti crucifixi, contempti, nudi. Precare Jeſum, ut in hoc ſuo diſceſſu tibi imprimat uſum veritatis tam neceſſariæ.

Feria quinta.

MEDITATIO XL.

De Aſcenſione Chriſti in Cœlum.

PUnctum primum. Poſtquam in Montem Oliveti evaſerunt omnes, Chriſtum, ſtante ad dexteram beatiſſima Matre, circumdederunt. Conſidera, quid fecerit Chriſtus, quid alii. Chriſtus, vultu ſupra ſolitum ſereno, & amabili tenerrimo cum affectu ad eos verba fecit. Finge, audire te illius verba, quibus amorem erga illos ſuum explicavit : & quomodo, cùm *Deus* eſſet, diſſimulatâ ſua divinitate Redemptionis opus perfecerit : Jam ad cœlum aſcendere ſe pro illorum bono, & advocatum fieri perpetuum apud æternum Patrem ; & quamvis præſentiam conſpicuam ſubtrahat, remanere tamen occultè cũ ipſis, & his plura ſimilia. Quid Apoſtolis, quid alii Diſcipuli? quæ ſuſpiria

ria fuerunt, quæ lachrymæ, quæ verba, & affectus erga Chriſtum diſcedentem? Quomodo Virgo adoravit, admiſſa ad ſuaviſſimos amplexus, & oſcula, non ſolùm manuum ac pedum, ſed etiam lateris? quomodo reliqui omnes ſumma cum veneratione acceſſerunt, & pedes exoſculati ſunt? Tu quoque cura ſumma cum demiſſione Domino propinquare. Adorabis valedicendo; ſimul rogabis, ut inter ſuos electos tibi benedicat: offerendo illi cor tuum petes, ut id ſecum abducat, & tu perſuadere tibi poſſis, etſi tu eum non videas, ſemper tamen ab eo te videri de cœlo, gubernari, adjuvari, & oculis fidei præſentem ſemper eſſe In ſumma, rem tuam ages, & rationes animæ tuæ, pro affectu, quem tibi Dominus largietur.

Punctum ſecundum. Poſtquam valedixit ſingulis, levatis manibus bene precatus eſt omnibus, & verſus cœlum cœpit erigi: Primò conſidera, qualis fuerit illa benedictio. Non fuit ſolùm externa, ſive cærimonia, ſed fuit efficax, qua ſuis obtinuit Chriſtus auxilium, & gratiam Patris, cum progreſſu in virtute, tam proprio, quam alieno. Tu quoque partem deſidera hujus benedictionis, ſupplicando, ut habeas auxilium divinæ gratiæ in curſu tuæ vitæ. Secundò, poſt hæc cœpit à terra evehi, & ſenſim aſcendere. Vide bonitatem Domini, qui pro ſuorum conſolatione majori ſenſim receſſit. O, quàm obſtupuerunt hoc ſpectaculo, quàm arſerunt deſiderio, crevitque ſemper ſequendi cupido! Ecce ſtratagema ad rapienda ad ſe illorum corda. Adhæc aſcendebat, non portatus, ut Elias, ſed virtute propria oculis continuò in ſuos defixis, quaſi aquila, quæ pullos ſuos ad evolandum in ſublime dirigit. Denique cogita, quis ille fuerit, qui in altum aſcendit. Ille, qui ſe demiſerat usque ad centrum terræ: *Quod autem aſcendit*, dicit Paul. Epheſ. 4. *quid eſt, niſi, quia & deſcendit primùm*

in inferiores partes terræ. Ita aſcenſus in Cœlum præmittit deſcenſum. Obſerva, an hac viâ gradiaris: & gratiam id agendi poſtula Dominum.

Punctum tertium. Conſidera comitatum Chriſti in hoc aſcenſu, animas juſtorum Limbi carcere eductorum, & aliorum, qui ſingulari gratia aſſociati, etiam cum aſſumptis in Reſurrectione Chriſti beatis corporibus aſcendebant. O quàm lætum erat iter iſtud Chriſto, qui, ut primogenitus in multis fratribus ducebat ad æterna paſcua tam florentem ſocietatem: *nam aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, ut loquitur Apoſtolus tot nimirum Sancto s, olim concluſos Limbo, duxit victor in triumpho liberatos. O Domine, alliga ad currum gloriæ tuæ meum cor: trahe ſervam tuam, libertatem meam. Deſidero exemptus eſſe Mundi ſervitute, ut ſim tuum mancipium ſemper, & nunquam aſſerere me poſſim in libertatem, quæ mihi ſerviat ad induendas denuò infelices compedes peccati. Nec minùs lætum erat Juſtorum iter, qui ſequebantur Redemptorem. O profectio, cujus meta erat æterni Regni poſſeſſio, ô quã diverſa ab hujus vitæ via, in qua olim *euntes ibant, & flebant*, ſementem facientes manipulorum, quos maxima cum voluptate colligebant. Exulta cum illis, gaude de tanta illorum felicitate, adſpira etiam tu aliquando ad iter ejuſmodi, de terra in Cœlum: & interim in hujus vitæ via, quam nunc teris, ad illorum imitationem ſemina perpeſſiones, & virtutum actiones, ad metendam in illa altera meſſem gloriæ.

Feria ſexta.

MEDITATIO XLI.

De ſermone ab Angelis facto.

Pun-

P*Unctum primum.* Jam aliquantum ſupra terram evectus erat Jeſus, cùm circumfuſa nubes ſplendida aſpectum Apoſtolis eripuit: *& nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*, ait S. Luc. Conſidera mentem Apoſtolorum, quando illa nube viderunt intercluſum Domini aſpectum. Gaudebant, cùm videbant aſcendere, ſed gaudio mox abrupto. Verùm ſi nubes illa interceſſit, nubes fuit à Domino producta, non nubes ab Apoſtolorum arbitrio dependens. At quoties tu perdidiſti aſpectum ſpiritualem Domini, excitando in te nubes ejuſcemodi per affectus immoderatos, per cogitationes ſuperfluas rerum fluxarum, quæ tibi interclуſerunt aſpectum Dei, & rerum ſpiritalium? *oppoſuiſti nubem tibi, ne transeat oratio*, dicebat Deus per Jerem. O quàm verum eſt, Domine, ex iſto corde omnino terreno ſurgere continuo vapores, & peccatorum, & affectionum pravarum, quæ denſatæ in nubes obſcuras mihi tollunt intuitum rerum cæleſtium, & tuas gratias impediunt. Itaque diſſipa tales vapores tuâ gratiâ: & tu cura, frequenti pœnitudine, & dolore eliminare nubes illas denſas, & obſcuras; ut anima tua perpurgata ſimilis fiat illi pulchræ ac ſplendidæ nubi, quæ Jeſum excepit aſcendentem.

Punctum ſecundum. Pergebant Apoſtoli attoniti intueri Cœlum; cùm Angeli duo candido veſtitu oculis oblati dixerunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis, aſpicientes in Cœlum.* O ſancti Angeli, cur illos reprehenditis? nam quo dirigendi, niſi in Cœlum, erant oculi? ubi ſciebant ſuum eſſe theſaurum? Volebant inſtruere Apoſtolos Angeli, non ſufficere oculos corporis in Cœlum tollere; ſed neceſſarium eſſe operari volentibus ad Chriſtum pervenire, & oculis fidei Chriſtum intueri. Cura tu quoque intelligere non

ſufficere ſola deſideria ad obtinendum cœlum, ſed manus operi eſſe admovendas, & laborandum, ut eò perveniatur. Temet conſidera, felicem te, ſi ſic reprehendaris, tibique dicatur: *Quid aſpicis in cœlum?* O quàm raro in tuis actionibus aſpicis cœlum! quàm parùm agis in illum finem? quàm vivis immemor Dei! Quàm autem frequenter defigis oculos in terram, & res iſtas inferiores! Verè peregrinus es, & non vivis, ut talis? creatus tamen es pro cœlo. Roga Dominum, ut inferat tibi hanc hanc mentem, ut in poſterum tibi claudat oculos ad iſta curioſa, & aperiat oculos mentis ad res æternas.

Punctum tertium. Subjunxerunt Angeli: hic Jeſus, qui diſceſſit à vobis, & ſuâ virtute in cœlum aſcendit, cum majeſtate redibis ad judicandum. Vide primum charitatem Domini, qui conſolari vult ſuos, & docere de ſua profectione, ejusque termino. Nubes abſtulerat illis conſpectum Salvatoris: nihil aliud ſciebant, quàm oculis proſequi: per Angelos iſtos ſignificat, aſſumptum ſe in cœlum Quanta fuerit illorum conſolatio, audire, jam eſſe Jeſum in cœlo! quàm autem temperata, videndo ſe relictos in terra! Gaude etiam tu, quod ſit Jeſus in gloria; ſed deplora tuum hoc exilium, non ſolùm longè remotum à Jeſu, ſed cum periculo eò perveniendi, ubi eſt Jeſus. Secundò, conſidera, quomodo aſcenſûs in cœlum die, moneant Angeli de reditu ad Judicium. Cur iſtud? tempore Aſcenſionis Jeſu, quo vadit, ut noſter Advocatus; tractari de reditu ut Judicis. Sic loquuntur Angeli, ne ſimus immemores Domini ad judicium venturi; &, ut iſta cogitando arceantur peccata; & doceatur vitæ ratio, quâ Dominum ſuſtinere ut Judicem poſſimus. Itaque nunquam

non

non hujus reditus memineris. Hac expectatione rege opera tua. Noveris: ſi aſcendit, ut Advocatus, rediturum, ut Judicem exactiſſimum. Roga Jeſum gratiam vivendi cum hoc ſenſu.

Sabbatho.

MEDITATIO XLII.

De reditu Apoſtolorum Jeroſolymam.

P*Unctum primum.* Apoſtoli, auditis Angelorum dictis, deſcenderunt de Monte Oliveti, & redierunt Jeroſolymam: *Et ipſi regreſſi ſunt adorantes in Jeruſalem cum gaudio magno.* In hoc expende promptam obedientiam Angelorum dictis præſtitam. Debebant indubiè, quamvis non amplius viderent Chriſtum: oculos animosque in cœlum ſublatos gerere; nihilo ſecius, cognitâ voluntate Domini, abrumpunt, & diſcedunt. Imitare promptam iſtam obedientiam relinquendo tua commoda, & voluptates, quãvis rationi non repugnantes, cùm quid aliud à te Dominus requirit. Noveris te vincere, cùm convenit. Obſerva adhæc modum diſceſſionis ex illo monte, *adorantes*, ait Evangeliſta: hoc eſt, poſt adorationem. Ita ſinguli, in terram proſtrati, profunda reverentia cũ adoraverint Jeſum, quã jam cœlo receptum intelligebant: & fortaſſe etiam ſinguli exoſculabantur veſtigia, loco à *Domino* aſcendente impreſſa. Conjunge pariter affectum tuum cum affectu Diſcipulorũ: adora tuum Salvatorem in ſua majeſtate ſedentem: deſidera verâ ſervitute, & imitatione virtutis illius veſtigia colere.

Punctum ſecundum. Conſidera, fuiſſe reverſos, ait ſacer Textus, *cum gaudio magno.* Et quod erat iſtud gaudium? non vanum, & ex Mundi genio, quod non adfert conſolationem ſinceram; ſed

erat

erat gaudium ſpiritale,internum,ſolidum,quo jam lenitum ſentiebant dolorem diſceſſu Chriſti excitatum. Eccur gaudebant vehementer? Primò, quia viderant eum abireglorioſum, & triumphantem in cœlum. Deinde,quia ſe diſcipulos eſſe tanti Domini ſciebant, & magnopere ab eo diligi. Tum, ſpes firma paulò pòſt accipiendi Spiritus Sancti,ex Chriſti promiſſione. Denique certa fiducia poſt Evangelii promulgationem ſucceſſurum tempus,quo etiam ipſi in cœlum ſint aſcenſuri. Ecce magni illius gaudii cauſas. Gaude cum ipſis propter has gratias,quàm compoſita mundi gaudia cum iſtis vana ſint,& levia; quàm inanes cauſæ,propter quas exultat mundus, comparatæ cum rationibus gaudiorum,quibus *D*eus ſuos exhilarat. Quid honores,voluptates,divitiæ, ad amicitiam divinam,& opem aſcendendi in cœlum? *D*eſidera tu quoque fieri particeps gaudii ſervorum *D*ei; & cura cognoſcere vanitatem gaudiorum,quæ mundus promittit.

Punctum tertium. Reverſi Jeroſolymam,receperunt ſe in illam domum,& in illud cœnaculum,in quo *D*ominus celebraverat Paſcha, & reſuſcitatus apparuerat Apoſtolis. Hi permanſerunt usque ad adventum Spiritus Sancti. Cur eo in loco clauſi hæſerunt? Primò, ut obedirent Chriſti mandato, qui receſſum imperavit. Quantum intereſt nôſſe ſeipſum,ſuam debilitatem, & non offerre ſe periculis, & occaſionibus cadendi. Obſerva,an ſic agas,an temerè confidas,& periculis occurras. Adhæc avidi recipere Spiritum Sanctum vitant omnem aliorum congreſſum, ad animos Spiritui Sancto melius præparandos. O quàm rectè ratiocinabantur! Delectat *D*eum loqui,& agere familiariter cum fugientibus cogitationum turbas, & amantibus ſolitudinem cordis. Quid cor tuum? an patet omni cogitationi,& illecebræ? Utinam fas tibi ſit cum Propheta dicere; *Ecce elongavi fugiens, & manſi*

manſi in ſolitudine, Pſal. 54. Cerneres, quàm ſit verum, communicari Dominum illis, qui clauſum cor turbis illis habent.

Dominica intra Aſcenſionem.

MEDITATIO XLIII.

De ingreſſu Chriſti in cœlum.

PUnctum primum. Conſidera lætitiam, & feſtivitatem, quâ exultarunt Angeli aſcendente Domino. Si Nativitatem magno gaudio celebrarunt, quid facere decebat in Aſcenſione? Si Pater æternus tunc miſit beatos illos ſpiritus ad eum adorandum; quis dubitet miſiſſe nunc ad occurrendum, & comitandum? Aſcendebat Dominus cœleſti circumdatus exercitu, applaudente triumphanti. Quis, ô potuerit audire voces illas, muſicam illam divinam! Cecinerint alii: Evehere, Domine, in locum quietis tuæ, tu, *& area ſanctificationis tuæ*, & humanitas tua ſanctiſſima, quæ fuerat antea in ligno ſuſpenſa. Subjunxerint alii: *Aperite portas, Principes, veſtras, & introibit Rex gloriæ.* Alii admiratione attoniti dixerint: *Quis eſt iſte Rex gloriæ, niſi Dominus virtutum?* Et hic conferes comitatum hujus Domini, aſcendentis in calvarium, & aſcendentis in cœlum. Ibi inter latrones, inter carnifices, inter contumelias: hîc inter Angelos, beatos, plauſus. Debebat igitur illud præcedere, hoc ſequi. Sic te oportet per aſpera tendere ad gloriam: ut adeò cum virtute ſocietur gloria: *Dominus virtutum & Rex gloriæ.* Non conjunguntur terræ voluptates, & gloriæ: delectationes ſenſuum, & gloria. Vide, quas tu res in anima conjungas.

Punctum ſecundum. Conſidera cœlum, quod clauſum fuerat hominibus aliquot millibus annorum ad illud usque tempus Chriſto ingreſſo manſiſſe apertum, & ju-

& Juſtis illis, qui unà aſcenderant, & aliis ſecuturis. Vide, quantum in hoc debeamus *D*omino, qui ſuis perpeſſionibus dignos fecit habitatione tam felici. *D*einde conſidera ſolatium Juſtorum, cum cernerent incolas æternos ſe factos Regni tam fortunati! O quàm diſcrepat Limbus cœlo! Cœlum, quod non toleravit Angelos propter ſuperbiam rebelles, cœpit ferre homines per humilitatem dignos eo loco factos. Tum expende prærogativam tuam, quod ſis natus poſt aſcenſum Chriſti in cœlum: quia, ſi te non reddis indignum peccando, poſt mortem confeſtim potes aſcendere in cœlum, & particeps eſſe gloriæ. Denique cogita, quàm tibi deteſtabile debeat eſſe peccatum; ſive grave ſit, quia cœlum claudit in ſempiternum; ſive leve, quia differt ingreſſum cœli: &, quod conſequens eſt, quàm ſtudiosè pro commiſſis peccatis ſit ſatisfaciendum, ne in morte retardetur poſſeſſio gloriæ. Conſidera, quale tuum ſit hac in re ſtudium.

Punctum tertium. Humanitas illa ſanctiſſima extulit ſe ſupra cœlum Empyreum, ad thronum usque æterni Patris. Hic expende id, quod fecit Jeſus: quàm profundâ cum reverentiâ ſe inclinaverit illa humanitas: quantas gratias de ſua ad tantum faſtigium electione egerit: quomodo illas Juſtorum animas Patri obtulerit, tanquam erepta dæmoni ſpolia, & ſuo ſanguine parta. An aliquando tempus erit, quo tu à Jeſu repræſenteris Patri, tanquam fructus mortis ſuæ, & cohæres gloriæ? an inter Juſtos illos eris? Conſidera: &, ut ſis, omni diligentia labora. Supplica *D*omino, ne à ſuo te repellat conſpectu, quamvis alias omnem pœnam commeritum. Secundò, quaſi rationem geſtorum reddens, dixit: *Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus, ego te clarificavi*

cavi ſuper terram. Complevi omnia mihi imperata. Vide, ſummam felicitatis eſſe, parere voluntati *Dei*. Inquire tecum, an in hoc animus acquieſcat. Tandem conſidera, quanti fecerit æternus Pater opus Redemptionis, perfectum à Filio: quomodo Juſtis ſuas ſedes diſtribuerit, & ſic reparare ruinas cœli incœperit. Quanta autem fuerit animarum illarum conſolatio, quanta Angelorum lætitia! & quanta erit tua, ſi etiam ſedium illarum aliquam occupaveris, peccando perditarum ab Angelis. Cura eò pervenire.

Feria ſecunda.

MEDITATIO XLIV.

De majeſtate, ad quam fuit exaltata humanitas Jeſu.

P*Unctum primum.* Æternus Pater, ad remunerandam obedientiam, & humilitatem Jeſu, poſt aſcenſum in cœlum, miſit illum in quietam poſſeſſionem gloriæ, fecitque ſedere ad ſuam dexteram in eodem throno, adoratum ab omnibus, pari adoratione, & receptum ab Angelis, & Beatis, ut Regem, Dominum, & Judicem omnium creaturarum. Et hoc ſignificare voluit Apoſtolus: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum.* Conſidera igitur, in quam altitudinem aſcenderit humanitas Jeſu in Aſcenſione, non ſolùm regnandi in æternū cum Deo; ſuperandi beatos omnes in gloria; gaudendi illâ gloriâ, tanquam naturali, & debitâ propter unionem cum Perſona Verbi; adorationis Latriæ, *Deo* debitæ: verùm etiam, ut in cœlo, & in terra cognoſci inciperet Dominus rerum univerſarum ſupremus. Gaude cum ſanctiſſima

Huma-

Humanitate Jeſu in tanta majeſtate conſtituta. Vide grandem noſtri generis honorem, quòd unus homo, frater noſter exaltatus ſit in tantam celſitudinem; quod nulli Angelorum, ſed uni hominum dixerit Deus: *Filius meus es tu*: *Sede à dextris meis.* Vide, quàm altè ſit evectus unus homo, & ſupra omnes ſit collocatus, qui ſe fecit ultimum omnium. Excitare ad complectendam humilitatem, quæ ſic exaltat.

Punctum ſecundum. Poſtquam Pater æternus ad ſuam dexteram Jeſum collocavit, *donavit illi*, ait Apoſtolus, *nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, quod eſt, Jeſus: quo audito omnes Beati in cœlo; omnes homines in terra, & omnes, qui ſub terra ſunt, inclinentur, adorent, tremant. Conſidera excelſam iſtam humanitatis Chriſti gloriam. In circumciſione fuit appellatus Jeſus, hoc eſt, Redemptor, & Salvator, non, quod reipſa tunc fuerit Salvator, ſed quod eſſet deſignatus, ut ſuâ morte perfectè abſolveret Redemptionem. At in Aſcenſione promulgatus fuit, & nominatus Jeſus, & pro Deo & homine, pro Creatore, & Salvatore, pro Meſſia promiſſo agnitus: cujus nomini omnes ſubmittere ſe venerabundi debeunt. Ecce, ut in irritum exciderint cunctæ machinationes Judæorum! Laborabant, dum verſabatur in terra, nomen ejus abolere: *Nomen ejus non memoretur amplius*, Jer. 11. Et ecce in aſcenſu in Cœlum nomen ejus celebre factum eſt in Cœlo, Terra, & Inferno. Tempore Paſſionis per jocum, & deriſum curvabant ante ipſum genua; nunc omnes Beati ſe ipſi inclinant, homines illum adorant, Dæmones contremiſcunt. Lætare de hac Domini gloria: junge tuum cum affectu Beatorum, & cura internâ adoratione honorare Jeſum.

Punctum tertium. Adjungit Apoſtolus: *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt*

eſt Dei Patris. Ecce magnitudinem gloriæ Jeſu: qui, ut homo, ſit ad dexteram Patris, ſupra omnes Angelos & homines, & ita ſit particeps paternæ gloriæ, ut confiteri omnes poſſint, eſſe cum Patre in eadem gloria, longè ſupra alios Sanctos. Conſidera Jeſum, qui in terra, quoniam ſe Dei filium confeſſus erat; de blaſphemia condemnatus eſt à Caipha; quemque tam multi alii non ſunt auſi ut filium Dei confiteri; nunc talem ab omnibus novem Angelorum choris prædicari, qui cantabant: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere Divinitatem, honorem, & gloriam,* Apoc. 3. ab hominibus autem honoratus eſt ut Dominus in Terra, à Dæmonibus, terrore confuſis, agnitus ut Dominus, & judex. Lætare cum Jeſu de altiſſimo gradu, quem poſſidet: gaude talem agnoſci, qualis eſt. Erubeſce, te pro tali eum ſæpe factis, & vero obſequio non fuiſſe confeſſum. Gaude, tui ſanguinis unum ad tantam eſſe dignitatem elatum: cura ſincero obſequio amicum tibi reddere, & ejus pietate, ac patrocinio confidere.

Feria tertia.

MEDITATIO XLV.

Quantùm nos juvet A[illegible]enſio Chriſti in Cœlum.

P*Unctum primum.* Dominus ex hoc Mundo diſceſſurus, dixit Diſcipulis ſuis: *Vado parare vobis locum.* Conſidera, quomodo Jeſus in ſua Aſcenſione, quamvis abierit ad poſſeſſionem gloriæ debitam ſibi adeundam, non adiit ſolùm pro ſe, ſed etiam pro nobis. Ingreditur Jeſus cœlum tanquam caput noſtrum: convenit, ubi caput eſt, etiam eſſe membra: cum aſcendente Jeſu, aſcendunt membra, quæ ſumus nos ad ineundam cœli poſſeſſionem. O quàm verum eſt, Jeſu,

te in omnibus, à primo tui conceptus puncto, ad glorioſam usque Aſcenſionem, magis noſtrum fuiſſe, quàm tuum! Alii Sancti pro ſe paſſi ſunt, pro ſe laborarunt: ſanctitas, & ærumnæ Domini etiam in remedium, & utilitatem noſtram ceſſerunt. Si culpa primi hominis transfuſa eſt in nos; multò magis gratia ſecundi Adami debebat nobiscum communicari, & præſtò eſſe. Unde Paulus: *Conſedere nos fecit in cœleſtibus*, ad Eph. 2. ut adeò ſuo aſcenſu parando nobis locum, ſua gratiâ nos eò dirigendo, dici poſſit jam nos collocaſſe in cœlo. Vide, quantùm debeas Jeſu qui ſemper conjunxit bonum noſtrum cum gloria ſua. Vide, quàm tibi ſis iniquus, affectum, & cogitationes continuò deprimendo, in terram, cui jam parata ſedes eſt in cœlo: jam quaſi cum Chriſto ſedes in gloria, & moraris in terra, quaſi talpa. Si tuo nomine occupatum eſt aliquod Regnum, tu non cogites de illo, non adſpires ad illud?

Punctum ſecundum. Jeſus aſcenſu in cœlum, non ſolùm noſtro nomine adiit poſſeſſionem, ſuis meritis nobis partam; ſed jam inde incœpit eſſe noſter Advocatus apud Patrem: & erit usque ad finem Mundi. Unde dixit S. Joan: *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum Juſtum.* Pondera, quantum ſit hoc à parte noſtra benificium, quantus amor à parte Jeſu. Vivimus in hoc exilio obnoxii tantis animæ & corporis miſeriis: provocamus continuò peccando contra nos indignationem Patris æterni: habemus hoſtem perpetuum, dæmonem: quanta gratia eſt, quod Jeſus in cœlo agat noſtram cauſam, & tractet negotium tam arduum æternitatis! Quæ major contingere poteſt reo gratia, quam habere efficacem patronum? Vide, quàm arctè ſis obſtrictus Domino, quanto cum affectu complecti, quanta confidentia rem omnem tuam debeas committere: *Teſtis*

me-

meus in cœlo eſt, & conſcius meus in excelſis, Job. 16. poſſumus dicere. Porrò, conſidera grandem erga nos Domini amorem. Suo potitus Throno non eſt oblitus noſtri: non dimiſit ſollicitudinem noſtri boni. In terra fuit Redemptor: in cœlo eſt Advocatus, Mediator, & Defenſor noſter. Vide, ut redames, gratias agas, honores, & amicitiam conſerves.

Punctum tertium. Conſidera, qualis ſit iſte Advocatus. S. Joan. dicit eſſe juſtum, hoc eſt, innocentem, ſanctum, & eâ cauſâ gratiſſimum æterno Patri, exaudiri dignum. Secundò, juſtus eſt, quia plenè ſatisfecit pro noſtris peccatis, & perſolvit abunde Patri debitum. Tertiò eſt juſtus, quia cum ſit Redemptor noſter, *ex officio*, eſt noſter Advocatus, & Interceſſor. In ſumma eſt Advocatus, qui novit exactè uniuſcujusque neceſſitates: eſt efficax, monſtrando ſuas plagas, offerendo merita ſua infinita, quibus obtinet, quantùm cupit: eſt eloquens, rogando Patrem, & exigendo, quantùm meritus eſt pro noſtra ſalute. Tandem Advocatus eſt, nobis addictiſſimus, absque diſcrimine partium, ſemper indefeſſus: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 2. Quantam conſolationem, & confidentiam habeas, ſciens advocatum in cœlo tuum eſſe Jeſum? quanto affectu recurras ad illum, exponas tuas neceſſitates, tulteam poſtules, in omni dubio, periculo, anxietate, patrocinio illius utaris, offerendo ejusdem perpetuò merita, dicendo cum Propheta, Pſ. 36. *Revela Domino viam tuam, ſpera in eo, & ipſe faciet*. Adhæc obſerva, Jeſum dicere Joh. 17. *non pro mundo rogo*, hoc eſt, pro illis, qui vivere volunt ex legibus mundi: & iccirco ſtude Jeſum imitari, & non aptari mundo, ne reddaris indignus Interceſſorem habere Jeſum.

Feria quarta.

MEDITATIO XLVI.

Alii fructus, quos in nobis producit Aſcenſio Chriſti.

P*Unctum primum.* Conſidera, ut placeamus Deo, neceſſariam eſſe fidem, ſine qua, ut Apoſtolus ait, *impoſſibile eſt placere Deo.* Unde quantò magis perficitur hic fides, tanto magis ex iſto capite placemus Deo. Jam, ſi Chriſtus, qui objectum principale eſt noſtræ fidei, remanſiſſet in terra, conſpicuus noſtris oculis, non ita perpurgata fuiſſet, ut nunc eſt, noſtra fides: nimirum ſubtractum noſtris ſenſibus fides eum repræſentat ſedentem in cœlo ad dexteram Patris. Fides eſt de rebus, quæ non videntur: unde Dominus ad Thomam: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Jeſus aſcendendo in cœlum ſubductus eſt oculis noſtris: nunc, dum firma fide eum veneramur in cœlo glorioſum, gubernantem cum Patre, & Spiritu Sancto, perficit noſtram fidem. Itaque gratias age Jeſu, quia ſua Aſcenſione occaſionem tibi præbet credendi Redemptorem tuum, Deum & hominem, quamvis eum non ardeas. Roga, ut ſemper tuam augeat fidem, & credendi conſtantiam in tota vita largiatur, quo pervenire ad claram viſionem in cœlo poſſis.

Punctum ſecundum. Non ſolùm nobis eſt neceſſaria, dum vivimus in terra, fides; verum oportet & ſpem habere cœleſtis poſſeſſionis obtinendæ, quam nobis lucratus eſt Chriſtus, & nos per gratiam operâ noſtra debemus acquirere. Confirmabit ſpem Aſcenſio Chriſti: nam quò præceſſit gloria capitis, ait S. Leo, eò perventurum ſe ſperat corpus. Jeſus, caput noſtrum aperuit nobis cœlum, ad Hebr. 6. *Præcurſor introivit Jeſus*, ait Apoſtolus. Ipſe præcurſor fuit ad præparandam tibi habitationem; aſſiſtit apud Patrem;

exigit

exigit noſtram ſalutem, quæ præmium eſt laborum ipſius, & ærumnarum. Hinc augetur ſpes noſtra, venturum aliquando diem, quo ei conjungamur in gloria,& cohæredes fiamus. Excita igitur ſpem tuam: quâ firmus conſiſtas in tot aſperitatibus hujus vitæ:hac leva mœrores tuos: *Repoſita eſt hac ſpes in ſinu meo*, dic ad imitationem Sancti. Interea gratias age Jeſu de benefactis: in quo repoſita eſt ſpes tua: roga, ut dignum te faciat carpendi ſuo tempore fructus. Et ſi ſauguine ſuo iſta tibi bona comparavit,& ſi veniendo in terram tuus procurator fuit; placeat ei de throno ſuæ gloriæ reſpicere te oculo pietatis, & concedere poſſeſſionem,cùm te evocabit.

Punctum tertium. Conſidera obligationem tuam eſſe amare Deum toto corde,& in ejus amore proficere. Unde vult Apoſtolus, ut ſemper in charitate progreſſum faciamus: *Ambulate in dilectione*, ad Eph. 5. Cogita nunc, Jeſum aſcendendo in cœlum accendere tuum amorem, avellere à rebus fluxis, purgare ampliùs,& in cœlum erigere. Si Jeſus manſiſſet nobiſcum in terra,æquum videri poterat, huic vitæ nos addicere,in qua frui Chriſto præſente licuiſſet. Quis enim migrare ex hoc mundo voluiſſet,Jeſu hîc remanente? quis ſibi perſuaſiſſet, melius eſſe, in cœlum aſcendere, quàm hic eſſe, ſi in cœlum Rex cœli non aſcendiſſet? Aſcenſione ſua levat nobis omnem affectum manendi in terra; recipiendo ſe in cœlum,cum ſit theſaurus noſter, exaltat noſtrum amorem, & divellit à terra; efficitque, ut cum nequeamus illum amare præſentem, dilectione magis ſpiritali amemus abſentem. Ago gratias,Jeſu, quod me tuo diſceſſu docueris,non hic remanere dignam affectus mei metam: interea dum te, qui meum verùm bonum eſſe debes,mihi eripis,excitas,ut eò,ubi es,adſpirem. Et cur non erubeſcam, amando ſemper plùs exilium,

quàm patriam; res inanes,& perituras,quam ſolidas, & ſtabiles. Quando potero dicere cum Propheta; *Quid à te volui ſuper terram!* Pſal.72. Accende,Jeſu, pro tua pietate, in iſto corde amorem tui ferventem, qui perpetuis incrementis evehat ſuper iſta infima,donec dignum fiat conjungi tecum in cœlo.

Feria V.

MEDITATIO XLVII.

De noſtra aſcenſione ſpirituali.

P*Unctum primum.* Ad appellendum eò, ubi Jeſus eſt,oportet, quoad in hac vita ſumus, aſcendamus mente: unde Propheta beatum pronunciat,qui *aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum*, Pſ.83. Nunc conſidera, aſcendere mente ac ſpiritaliter nihil aliud eſſe,quàm meliorem,& perfectiorem indies fieri: qui progreditur ſpiritu,progreditur cœlum verſus: & qui ſtudet, factis,verbis,cogitatis evadere perfectior, proficit in gratia,merito,& gloria: & hoc modo vitam ſuam facit ſpiritualem,& æternitate felici dignam.Pondera bene iſtam veritatem: noveris poſt hanc vitam neminem aſcendere in cœlum,nunc quidẽ anima,& olim etiam corpore,qui non curaverit aſcendere in hac vita ſpiritu,& animo.Nunc igitur tecum rationes exige de tuis actionibus,dictis,& cogitationibus; vide, melior in his,an deterior fias. Si per iſta magis in terram deprimaris,in voluptates, & ſenſuum appetentias,ſi fias magis terrenus in tuis affectibus; certus eſto,te invicem appropinquandi cœlo, altiùs deſcendere in profundum. Si proficis,noli conſiſtere: proſequere cœptum: in via cœli es; non declina in devium,nec moras admitte. Nunc,Domine,largire gratiam,ut hoc meum ſit ſtudium, ut in hoc diligentiam meam conſumam.

Punctum ſecundum. Conſidera, quamvis proficere conantibus opponant ſe inclinationes pravas, paſſiones,

nes, malæ conſuetudines, quæ hunc aſcenſum impedire tentant, in profundum trahendo: nihilo minùs illæ ipſæ, ſi volumus, juvare poſſunt ad iter in cœlum erigendum. Quo modo? ſi nobis, ait S. Auguſt. Serm. 176. ſubjungamus noſtras paſſiones, quæ domitæ nos erigent, & in altum event cœlum verſus. *Elevabunt nos, ſi fuerint infra nos.* Ex iiſdem vitiis, ſi ſubjungantur, facimus ſcalam cœleſtem: De vitiis noſtris ſcalam facimus, ſi vitia ipſa calcamus. Qualem igitur excuſationem habebis, ſi aſcendere in cœlum non contenderis, ſi paſſiones edomitæ, ſi vitia ſubjugata vim habent extollendi in altum? ſi recuperari res terreſtris perdita poſſit, quis id facere negligat? poſſumus tamen compenſare jacturas ſpirituales emendando, & pœnitendo de peccatis: non tamen curamus id facere. Stude igitur vincere paſſiones tuas, ſuperare pravas conſuetudines, ſubmittere poſt lapſus, & dolere cùm primùm deliquiſti. Hac itur in cœlum viâ.

Punctum tertium. Conſidera modum efficaciſſimum ad emendandas cogitationes, dicta, & facta, ad expugnandas paſſiones, & vitia, & ſcalas ex his faciendas, eſſe fervens deſiderium aſcendendi, quò aſcendit Chriſtus. Quid in laboribus indefeſſum facit, niſi deſiderium rei cujuſpiam adipiſcendæ? quid non molitur ambitioſus ob honoris cupiditatem, avarus propter divitias? quæ res magis cor excitat ad boni alicujus obtinendam poſſeſſionem, quàm illius rei deſiderium? *Deſiderium creſcit, ut capiat,* dicebat S. Auguſtinus. Dominus ſuo in cœlum aſcenſu, & ſeparatione à nobis, nonne deſiderium in nobis iſtud accendit? quando igitur hoc in te exardeſcet deſiderium, aſcendere in cœlum cor tuum incipiet. Vide igitur quantâ diligentiâ curandum tibi ſit, ne hoc deſiderium intepeſcat. Conſidera, quantam habeas erubeſcendi rationem animo repetens, quid

antehac deſideraveris ; quàm frigidè ad Deum poſſidendum laboraveris, quàm ardenter ad hæc bona fluxa acquirenda. Et ex quo alio capite natus eſt lentus ille progreſſus, modicus ille fructus, niſi ex tenui cura ſequendi Jeſum, & ad illum aſcendendi ? Compenſa ſaltem dupplicato fervore negligentiam præteritam; roga Jeſum, ut hanc in te excitet flammam, ut, dum vivis magis ac magis contendas in cœlum.

Feria ſexta.

MEDITATIO XLVIII.

De Apoſtolorum occupatione hoc tempore.

P*Unctum primum*. Reverſi ex monte Oliveti Jeroſolymam in Cœnaculum præpararunt animos ad recipiendum Spiritum Sanctum. Cur hoc tempus præparationi impendũt? nũquid Chriſtus promiſerat mittere Spiritũ Sanctũ ? Præceperat Dominus, ut in urbe morarentur : *Sedete in Civitate*, donec veſtirentur virtute cœleſti ; non aliam præparationem imperavit : illi tamen ſepoſitâ omni aliâ curâ, incubuerunt parandis animis tanto recipiendo dono. Rectè quidem noverant, Dei dona magni eſſe facienda, deſideranda, & quærenda: cognoſcebant, multùm diſtare gratiã divinã, & naturã noſtrã; ac proinde neceſſariũ eſſe, ut iſta præparetur, & aptetur, ut digna fiat : intelligebant, quò habilior facta ſit anima, hoc majorem capere gratiam à *Deo*: iccirco maxima cum diligentia applicarunt animos ad Spiritum divinum accipiendum. Itaque, ſi Apoſtoli ex promisſione Chriſti de hoc divino dono certi, nihilominus, omni expediti aliâ curâ ſtudent facere ſe dignos ; tibi quid agendum eſt , cui nulla facta eſt promisſio , ſicut Apoſtolis ? Tua tamen intereſt , recipere Spiritum Sanctum, & intus robo-

roborari ac mutari, cum adeò ſis imperfectus : & non cures hoc tempore dignùm te reddere iſto favore ? memineris ejus, quod dicit Paulus, Deum parem laboribus dare mercedem ; & eum, qui parcè ſeminat, etiam parcè metere. Propterea parùm accepiſti, quam parùm adhuc laboraſti. Satue te emendare.

Punctum ſecundum Qualis per hos dies fuit occupatio in Cœnaculo ? exſpectabant patienter datæ à Jeſu Chriſto fidei expletionem. Hac ſpe nitebantur : erant indifferentes quoad têmpus venturi Spiritus Sancti : gaudebant obedire poſſe Domino, qui juſſerat quieſcere : repetebant memoriâ vitam Jeſu, & monita ab eo data : expendebant intellectu præterita myſteria : excitabant flammas amoris ; & mutua ſenſorum communicatione, laborabant accendere animos amore, & deſiderio Chriſti ſui Magiſtri, qui non vixit, niſi ut moreretur pro illis ; nec mortuus eſt, niſi ut reſurgeret, in cœlum aſcenderet, & participes tanti boni faceret. O bona occupatio ? ô bonus temporis uſus, non in vaniloquio, & converſatione vana, non negotiis otioſis, ſed in exercitio perpetuo virtutis. Et qualis tua eſt occùpatio, & quàm diverſa ? quæ materia tuarum cogitationum ? quales inſpirationes ad ſerviendum Deo ? decreta aliquando facta ? lumina, quibus cognoviſti voluntatem Dei ? Erubeſce de tuo vivendi modo : ſtatue advigilare tuis rebus & ad id, quod toties tibi cognoſcendum Deus inculcavit : imitare Davidem, qui dicebat : *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Punctum tertium. Conſidera, quid fecerit Petrus, qui videns interitu Judæ imminutum eſſe duodecim Apoſtolorum numerum, propoſuit, ut eligeretur unus, qui numerum Apoſtolici collegii impleret, juxta vaticinium Davidicum : *Epiſcopatum ejus ac-*

cipiat alter, Pſ. 108. Quid agis, Apoſtole ? in medio tui receſſus ad alias cogitationes divertis animum ? turbas omnes ſocios ſua conſiderantes ? non deficiet tempus alterum eligendi in locum Judæ; in deliberationem vocare ſucceſſionem in Apoſtolatu, occaſionem fortaſſe præbebit ambitioni cuipiam, aut æmulationi. Conſidera exemplum, quod dat Petrus : qui, ut caput Eccleſiæ, non credit à vera pietate ſe deflectere implendo debitum officii ſui ; quin judicat, ſatisfaciendo obligationi ſuæ veram eſſe ad Spiritus Sancti adventum præparationem. Beatum te, ſi hanc intelligas veritatem. Perfectio tua dependet ex fideli officii tui impletione. Devotio vera eſt, facere voluntatem Dei, & quæ facienda mandavit : propterea Chriſtus dixit æterno Patri : *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*. Quid tu? ſaltem agnoſce tuum defectum ; propone emendationem. Et hoc tibi cogitandum ac ſtatuendum eſt, ſi omittenda ſunt pietatis opera, ut ſatisfiat obligationi ſtatus ; nullò magis, ne illæ negligantur, oportet extricare aliis occupationibus vanis, & oblectamentis.

Sabbatho.

MEDITATIO XLIX.

P*Unctum primum.* S. Lucas in Act. Apoſt. loquens de illis, qui erant in cœnaculo exſpectantes adventum Spiritus Sancti, dicit : *Hi omnes erant perſeverantes unanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre Jeſu ; & fratribus ejus.* Ex quibus verbis prima virtus depromitur, quâ ſe præparabant, nimirum, magna concordia. *Erant omnes unanimiter.* Conſidera conjunctionem illorum, non ſolùm habitationis, cùm eſſent omnes in cœnaculo ; ſed multò magis animorum. Unum erat omnium

nium deſiderium, una ſpes, una cauſa, una cogitatio, idem exercitium. Si Petrus proponit rem quampiam, acceptant reliqui: ſi duo nominati ſunt, quorum alter electione Judæ ſuccederet, non diſſentiunt reliqui. In ſumma, concordia inter illos erat ſumma; tametſi tam multi eſſent naturâ, & meritis diverſi. Atque ita una ſancta charitas colligabat omnes, & præparabat ad Spiritum Sanctum accipiendum. O quàm Deo placuerit talis conjunctio! *qui habitare facit unius moris in domo*, Pſal. 67. Vide, quas fixeris in hac virtute radices: quid tibi cor dicit? foves diſſenſiones, ruminas averſiones à proximo? amas omnes in Deo, & propter Deum? toleras vitioſitates aliorum æquo animo? ſtudes aptare te, uti potes, & debes arbitriis aliorum, pacis cum omnibus conſervandæ ſtudio? cor tale quæris? quia *factus eſt in pace locus ejus*, Pſal. 75.

Punctum ſecundum. Lucas ait: *Erant perſeverantes in oratione.* Orabant cum perſeverantia, tam ſanctum exercitium continenter urgendo. Debebant etiam ipſi ſentire fatigationem, & laborem longæ orationis: fortaſſe experiebantur tædium aliquod, hoſte inferno moram objicere moliente: ſuperabant tamen fortiter naturæ debilitatem, omnemque aliam difficultatem. O qualia deſideria, qualia ſuſpiria, quales preces miſſæ in cœlum erant à Principibus Sanctorum. O oratio, quantum bonum es, quæ via es ad obtinendum omne bonum! Et tu non ſis miſerabilis, qui tam potenti auxilio tam malè utaris, & rarò? ſi, ut habeas, petere debes, nonne mereris eſſe miſerabilis, quia tam parùm petis, cum deſiderio languido obtinendi, cum attentione modica, ut nonnunquam ignores, quid petas? Putasne ſic oraſſe Apoſtolos in cœnaculo? Invoca nunc auxilium illorum, ut

poſſis

poſſis inhærere orationi, cum fiducia, cum diligentia, cum attentione, & perſeverantia, ut dignus fias recipere Spiritum Sanctum.

Punctum tertium. Adjungit Luc. *Cum mulieribus, & Maria matre Jeſu.* Conſidera hic ſocietatem Virginis. Quam efficax, & potens erat ad obtinendum Spiritum Sanctum, quam vim orationibus Apoſtolorum imprimebat, quàm placuerint illorum preces, conjunctæ precibus Mariæ, filiæ æterni Patris, matris Verbi incarnati, & ſponſæ Spiritus Sancti. Junge etiam tu ſemper tuas cum precibus Virginis; ſupplica illi, ut intercedat pro te, & orationes tuas offerat; & labora, ut ſemper in te creſcat cultus illius, & familiaritas cum illa. Adhæc obſerva, eam nominari ultimo loco à Luca, poſt mulieres, quamvis omnes ſanctitate excellebat, & in illo loco quaſi materfamilias Filii nomine præerat. Cur poſt Magdalenam, & alias eam nominat? ad obſecundandum humillimo ſenſui Mariæ, quæ, cum eſſet prima, ſe gerebat ut ultimam, & poſtponebat ſe omnibus aliis mulieribus, viduis, pœnitentibus, etiam illi, ait S. Bern. ex qua fuerant ejecti ſeptem dæmones. Meritò facta eſt omnium *Domina*, quæ ſe omnium exhibebat ancillam, Serm. Sig. magn. *Diſce* tu, ſi placere cupis Virgini, humilis eſſe, & omnibus te ſubjicere. Sic illam oblectabis, ſic imitaberis, & melius te præparabis ad adventum Spiritus Sancti, qui habitat in cordibus verè humilibus.

Dominica Pentecoſtes.

MEDITATIO L.

De adventu Spiritus Sancti.

P*Unctum primum. Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco.* Ibat decimus ab aſcenſu Chriſti dies, & quinquageſimus

à Re-

à Reſurrectione: erant tamen omnes eodem in loco. Conſidera, quomodo tempus illud exegerint. Nimirum multa cum patientia, indifferentia, dependentia ab arbitrio divino. Jam deni fluxerant dies, quibus omnes clauſi morabantur in cœnaculo, ignari, quando venturus eſſet Spiritus Sanctus, aut quomodo deſcenſurus: nulli tamen faſtidioſa fuit exſpectatio, nullus de mora Sancti Spiritus quæſtus eſt: imo cuncti parati erant exſpectare, non ſolùm decem alios dies, ſed quousque Domino placuiſſet. Sciunt omnes, nolle *D*eum, cognitum eſſe diem; velle, ut exſpectent: & illi non curant ſcire, in horas tamen exſpectant. *D*iſce tu committere te Deo, indifferens eſſe, & promptus ad omnia, nec indignum te reddere tuâ impatientiâ donis divinis. Tandem non exſpectantur tam aſſiduè dona *D*ei, quàm merentur: & ea, ſi *D*ominus differt, eâ causâ facit, ut præparemus, & copia compenſet dilationem. Igitur *Exſpecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Suſtine patienter *D*ominum: ab ipſo depende: certus eſto, eum proniorem eſſe ad conferendas tibi gratias, quàm tu ad deſiderandas.

Punctum ſecundum. Tempus, quod ad deſcendendum deſtinavit Spiritus Sanctus, fuit Pentecoſte; tempus, quo Dominus Judæis dederat legem in Sina, in tabulis lapideis inſcriptam, legem Timoris. Nunc expende, Spiritum Sanctum hoc die adferre legem amoris, ſcripturus cum gratiæ munere, non in tabulis lapideis, ſed in diſcipulorum cordibus: Legem dulcem, & ſuavem, ut reipſa intelligatur verum eſſe Chriſti dictum de jugo ſuo ſuavi, & onere levi. Sic veniebat Spiritus Sanctus ad conſtituendum mundum novum, ad populum ſanctum, & Eccleſiam totam ſanctam, ad conferenda illa dona, quibus quisque conſequi poſſit ultimum ſuum finem, & beatitudinem. Gratias ages Do-

Domino de tanto beneficio Apoſtolis dato: & rogabis,ut etiam te ſuæ miſerationis participem faciat. O ſi dignetur Spiritus Sanctus imprimere tibi legem veri amoris,& illam timoris, quæ propria mancipiorum eſt expungere! Offer cor tuum: &,ſi durum eſt, ut lapis, roga, ut emolliat in ceram,ut in illud imprimatur ſincerus divinorum præceptorum affectus, *in medio cordis*,cum firmitate, & ſtabilitate.

Punctum tertium. Conſidera modum, quo deſcendit. Ex improviſo de cœlo ruit grandis ſonus,tanquam tonitrui; & ventus impetuoſus ac validus ſupra cœnaculum,in quo Apoſtoli, & alii fideles erant,auditus eſt. Conſidera iſtas circumſtantias. Prima: venit de improviſo; quò intelligatur, quod *Spiritus, ubi vult,ſpiret*, Joh. 5. non habet præfixum tempus: propterea neceſſaria eſt præparatio omni tempore ad recipiendos afflatus divinos, & gratias. Secundò: venit de cœlo: ut ſciamus,de cœlo venire omne bonum: & ut Apoſtolos ad cœlum dirigeret, homineſque cœleſtes faceret. Tertiò,ſonus grandis auditus eſt: ut,qui in cœnaculo erant,ad majorem excitarentur pietatis affectum; &,qui in civitate, haberent incitamentum,eundi verſus cœnaculum,ſupra quod ille ſonus ferebatur. Quartò, venit in ſimilitudinem venti: quo cognoſceretur, Spiritum Sanctum ad modum venti operari in animis Apoſtolorum. Aër conſervat vitam,refrigerat æſtum,auffert paleas. Ita Spiritus Sanctus dat vitam animæ,mitigat ardorem concupiſcentiæ, ſeparat ab operibus imperfectiones. Quintò, erat ventus impetuoſus: quo exprimebatur Sancti Spiritus impetus, qui deſcendebat ſuper Apoſtolos,eoſque reddebat efficaces ac promptos ad erudiendum, & Chriſto ſubjugandum univerſum mundum. Deſidera tu quoque iſtas gratias, & dic illi:

Veni

Veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata, Cant. 4.

Feria ſecunda.

MEDITATIO LI.

De eodem adventu Spiritus Sancti.

P*Unctum primum.* Grandis iſte ſonus, ad modum venti impetuoſi, *Implevit totam domum, ubi erant ſedentes.* Implevit totum cœnaculum. Conſidera, in hac circumſtantia ſignificari ubertatem donorum, omnium loci illius hominum corda penetrante Spiritu S. demptis tamen illis, qui erant extra cœnaculum: ut intelligamus, eos, qui ſunt extra Eccleſiam, non gaudere iſto beneficio; & quisquis eſt in Eccleſia, participem eſſe hujus doni, niſi indignum ſe reddat. Gratias age Domino, quod in hoc te cœnaculo collocaverit: deſidera tu quoque, ut divinus iſte Spiritus impleat totam domum tuam; animam tuam, cum omnibus tuis potentiis; corpus, cum omnibus tuis ſenſibus, ut dicere cum Propheta poſſis: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Pſ. 83. Ultimò adverte, quod dicit Evangel. *ubi erant ſedentes*: quia ſedebant facto hoc ſtrepitu, hoc eſt collecti, quieti, ſeducti à turbis erant. Ut intelligas Spiritu Sancto impleri animam, quæ non eſt vagabunda, & erratica, ſed ſibi præſens, & unita cum Deo. Cura, talis ut ſis.

Punctum ſecundum. Poſt hunc ſonum, & grandem ſtrepitum apparuerunt ſupra ſingulos, in cœnaculo præſentes, linguæ igneæ. Conſidera Spiritum Sanctum hoc ſigno conſpicuo voluiſſe monſtrare ſe adſpectabilem, & ita ſupra ſacrum illum cœtum deſcendere. Sicuti viſibile factum Verbum, in Humanitate aſſumpta, deſcendit ad nos; ita Spiritus Sanctus in hac forma quaſi ignearum lin-

linguarum deſcendit, & nobiſcum ſe communicavit. Cur autem in hac forma quaſi linguarum ignearum? ad ſignificandum, quæ eſſet operaturus. Ignis agit vehementer, unde perpurgat, illuſtrat, accendit, transformat, coquit etiam terram, eamque ſolidat, & exſilit in altum. Hæc erat operaturus: propterea ignis formâ deſcendit. Et quàm neceſſarium tibi eſt, iſtos habere effectus; ut aliquando cor tuum, quod eſt terra totum, coquatur, & ſolidatur in via Spiritus, ablatâ ſcoriâ tantâ; illuſtretur in ſuis tenebris; accendatur & inflammetur, expulſo tuo frigore, & tepore; tollatur in altum ex his infimis, & transformetur per affectum, & unionem in Deum! Roga Spiritum Sanctum ut hæc perficiat in te. Adhæc venit in forma linguarum: quia Apoſtolos deſignavit Evangelii præcones: unde debebant accendere, & illuminare alios. Propterea venit in forma linguarum. Deſidera tu quoque inſtrumentum eſſe ad accendendos alios, & juvandos. Propterea roga Spiritum Sanctum, ut tibi linguam det bonam, ardentem, accenſam, quâ proximi tui creſcant in bono.

Punctum tertium. Addit ſacer Textus: *Seditq; ſupra ſingulos eorum*; ita, ut conſiſtente linguâ ſupra unumquemq; Apoſtolorum, Spiritus Sanctus adeſſet, in linguis illis repræſentatus, & ſupra illos conſideret. Conſidera in hoc, majeſtatem Spiritus Sancti poſſeſſionem cepiſſe illorum cordium ſtabilem, ac nunquam deferendam: quod Chriſtus in Joan. 14. dixit: *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Unde ſedere illud ſignificabat tranquillitatem animi, quam illis conferebat, compoſitionem paſſionum, gravitatem, & maturitatem actionum, & conſtantiam illam, quâ nec ſternerentur in adverſis, nec extollerentur in proſperis. In ſumma, auxilium, quo Spiritus Sanctus nunquam ſineret excidere gratiâ ſuâ.

Gau-

Gaude cum ſanctis Apoſtolis de iſtis favoribus à Spiritu S. collatis : deſidera etiam tu, ut ſupra cor tuum ſedeat, regēdo, & roborando illud, ut nunquā tibi deſit. O te felicem, ſi impleatur in te Davidis illud; *Deus in medio ejus non commovebitur*. Pſ. 45.

Feria tertia.

MEDITATIO LII.

De communicatione Spiritus Sancti Apoſtolis facta.

PUnctum primum. Sacer Textus, de adventu Spiritûs S. loquens, dicit; *Repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* In quibus verbis tria ſunt conſideranda; quis repleat : quis repleatur : quomodo repleat. De primo; qui replet, eſt Spiritus Sanctus: & proinde conſidera, in hoc adventu non ſolum multa dona Spiritus S. fuiſſe conceſſa, ſed ipſam Perſonam Spiritûs Sancti ſe tribuiſſe Apoſtolis, auctorem omnium donorum, principium omnium gratiarum, amorem increatum, procedentē à Patre, & Filio, ad animos illorum ſtrictâ amicitiâ conjungendos Divinitati. Et apparet ſingulari modo, non conveniente omnibus creaturis; ita, ut ſi non eſſet præſens ſua immenſitate, hoc faceret iſto adventu. Non ſolùm Pater, & Filius eum mittunt, & donant, ſed ipſe ſemet donat, tanta cum plenitudine, & ſplendore quanta nunquā adhuc datus erat ſimplici creaturæ. Propterea dicitur hoc die deſcēdere Sp. S. & replere. Adorabis iſtam bonitatem infinitam, propter gratias primis iſtis fidelibus donatas: invitabis, ut in animam tuam veniat: *Veni Sancte Spiritus.* Verum eſt, cor iſtud eſſe nimis arctam habitationem tantæ majeſtati, locumque nimis profanum, ut ſit templum tuæ divinitatis; cognoſco, me, conſiderato meo nihilo, meiſque culpis, audere nimium; ſed bonitas tua mederi poteſt meis defectibus; potentia tua

amplificare meam parvitatem,& ſanctitas tua animam iſtam conſecrare. Igitur *veni Sancte Spiritus*: impende mihi tuam præſentiam,quâ non reſpirem niſi propter te,& ad te.

Punctum ſecundum. Conſidera perſonas, quæ repletæ fuerunt Spiritu Sancto. Intuere ſanctum hunc cœtum: in quo princeps eſt ſanctiſſima Virgo, cum piis aliis mulieribus; cum Apoſtolis, rudi & imperita turba, ac pauperibus piſcatoribus, & aliis diſcipulis. Supra iſtos adſpectabilis deſcendit Spiritus S. Quanquam non erant homines nobiles,aut opulenti; nihil tamen apud Deum iſta ſors impediebat. Æſtimat ille alia; virtutem, pietatem, fervorem, deſiderium ſanctum,conjunctionem, cordis tranquillitatem: his talibus abundabat ſancta illa ſocietas. Hinc diſce, quæ tibi ſint æſtimanda, & quærenda. O ſi dignus eo tu quoque cœtu fuiſſes! Non tamen lamentare, niſi de te. Neque putes Spiritum Sanctum illis tantùm addictum eſſe,qui erant in cœnaculo, & ad illum tantùm diem adſtrictum. Se communicat ſemper occultè paratis,& proficere curantibus. Deſiderat Spiritus S. plura conferre in te, quàm tu deſideres accipere. Fac te dignum hac gratiâ. Imitare devotionem Apoſtolorum: accende deſiderium accipiendi: excute iſtam tuam negligentiam,& torporem; & Spiritus S. replebit animam tuam.

Punctum tertium. Conſidera hæc verba: *Repleti ſunt.* Acceperunt ante hoc tempus Spiritum Sanctum,ejusque gratiam; at hoc die fuerunt repleti cum quadam abundantia. Non ſolum Spiritus Sanctus infudit cordibus illis ſuam gratiam, non ſolùm diffudit per totam animam, ſed ita cumulavit, ut communicare poſſent cum aliis: atque omnes repleti ſunt juxta cujusque capacitatem, quam præparatio majorem.

jorem ac majorem faciebat, majore humilitate, amore, deſiderio, unione. O ingens felicitas hujus ſanctiſſimi cœtus! quàm deſiderabilis eſt plenitudo talis! plenitudo, quæ verè locupletat animam, pellit omnem miſeriam, adſtringit Deo, fonti omnis boni: evehit animam ad vitam aliquam divinam, & ad gradum filiorum adoptivorum excellentem. Reſpice tuam paupertatem; vide qua re ſis plenus; fortaſſe vanitate, terrâ, paſſionibus immoderatis, imperfectionibus, & ingratitudine. Iſtæ tuæ ſunt opes. Expone hunc tuum ſtatum charitati Spiritus Sancti: confitere illi tuam egeſtatem: roga, ne tuas culpas adſpiciat: ſupplica luci illi beatiſſimæ, ut illuſtret tenebras tuas; bonitati illi immenſæ, ut cor evacuet illis, quæ diſplicent, & ſeipſo, gratiiſque ſuis impleat.

Feria quarta.

MEDITATIO LIII.

De effectis Spiritûs Sancti in Apoſtolis.

P*Unctum primum.* Chriſtus cum Apoſtolis de Spiritus S. adventu ſermocinans dixit, eos baptizatum iri Spiritu Sancto. *Vos autem baptizabimini Spiritu S.* ita, ut deſcenſus Spiritûs Sancti in Apoſtolos fuerit appellatus Baptiſmus, & cum ratione quidem: nam Baptiſmus purgat animam peccatis: ſanctam facit infuſâ gratiâ, & virtutibus Theologicis. Hos effectus habuit Baptiſmus Spiritus Sancti. Purgati fuerunt omni peccato Apoſtoli, omnibusque reliquiis peccatorum: fuerunt liberati omni pœna, peccatis debita, nondum exſoluta: fuerunt ſanati ex omnibus pravis affectibus: acceperunt ſubitò omnes virtutes Theologicas, & morales perfectè: experti ſunt mutationem mirabilem, & talem conjunctionem

cum Deo per charitatem, ut ab illo temporis puncto non ſe amaverit, niſi propter Deum, & alios homines omnes in Deo: & ſi tunc nec infernus fuiſſet, qui timorem; nec Paradiſus, qui metum adferre potuiſſet; non aliud tamen, præter gloriam Dei, & voluntatem ſpectaſſent. O grandis Apoſtolorum felicitas, videre ſe derepente ex hominibus terrenis mutatos in cœleſtes! Eſt, quod cum illis gaudeas de iſta ſorte; eſt, quod lugeas de tua miſeria, nondum adveniſſe tibi illum diem, corde adhuc indurato, & anima peccatis plena, paſſionibus effrænibus. Poſtula Sancti Spiritus miſericordiam. Propone Jeſu tuas neceſſitates: & quia ſua morte meritus eſt, ut Spiritus Sanctus ad te mitteretur; dignetur implere in te præmium ſuorum laborum.

Punctum ſecundum. Conſidera Baptiſmum, quo Pentecoſtes die baptizati ſunt Apoſtoli, non fuiſſe Baptiſmum aquæ, ſed ignis; quo in cordibus Apoſtolorum accenſus eſt zelus ardentiſſimus convertendi mundum univerſum, nullum timendi periculum, vitam pro Dei gloria prodigendi, illas ſibi occaſiones honori ducendi, in quibus probra, pœnæ, mortes, pro Dei obſequio imminerent ſuſtinendæ. Gaude cũ Apoſtolis de hoc divino robore, & zelo, quem habuerunt, nullo amplius terrore concutiendi. Et ſi antea vox una fœminæ unius potuit proſternere caput Apoſtolorum; modò neque Imperatores cum omni ſui potentia poterunt illos officii ſui gradu deturbare. O ſi tu modicum quid haberes iſtius zeli, & conſtantiæ, qui tam languidè reſiſtis adverſis, & umbræ unius humanî reſpectus à ſervitio divino revocaris. Roga Spiritum Sanctum, ut cor tuum corroboret, & confirmet, quò re ipſa poſſis dicere, & facere, quod Paulus dicebat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?*

huc

huc usque cauſam habes tuam in obſequio divino debilitatem.

Punctum tertium. Loquebantur variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, Act. 2. Hic expende donum datum Apoſtolis eundi ad docendum, & loquendi linguis nationum, ut facere fructum, & illas convertere poſſent. Dare ſolet neceſſaria Dominus ad conſequendum finem noſtrum, qui eſt ſalus noſtra. Age de hoc gratias Domino, & confide, & vias ingredere, quæ ducunt ad ſalutem. Secundò, cogita quid dixerint, & quo modo? non naturæ, aut imaginationi, aut propriæ voluntati congruentia; ſed quæ ſuggerebat Spiritus Sanctus. Erat Spiritus S. in illorum cordibus tanquam ſol, illuſtrans illorum animos; quaſi Magiſter, ſuggerendo cogitationes, & verba; icc irco nihil præter laudes Dei, verba ignita, & ſancta proferebant. Felices tali duce Apoſtolos! De te cogita: quo ſpiritu movearis ad loquendum; Spiritu Sancto, an ſpiritu ſuperbiæ, ambitionis, vanitatis, indignationes: vide, an tuæ ſermocinationes de Deo ſint; ſignum eſt, agi te Spiritu Sancto: at ſi vanæ ſint, contra charitatem, damnoſæ proximo; procul hinc eſt Spiritus bonus. Roga igitur Spiritum S. ut te gubernet, te adjuvet, ne linguam tuã, ad Deum laudandum datam, conferas ad Deum offendendum.

Feria quinta.

MEDITATIO LIV.

De Apoſtolorum egreſſu ex Cœnaculo.

P*Unctum primum.* Apoſtoli Spiritu Sancto pleni, & accenſi ſancto provehendæ gloriæ Dei ſtudio, bonâ Virginis prece muniti, exeunt cœnaculo, & loqui de magnitudine ac majeſtate Dei incipi-

unt, ad magnam concionem præſentem, ſive audito ſono, ſive impulſione ſingulari acceptam. Conſidera promptitudinem Apoſtolorum ad obediendum internæ permotioni, quâ impellebantur ad initium dandum doctrinæ Chriſti. Non exeunt temerè, ſed ductore Spiritu Sancto: non reſiſtunt inſpirationi internæ: non quemquam curant. Diſce hinc, non temerè ſuſcipere expeditionem aliquam, maximè ad auxilium aliorum pertinentem: ex adverſo, non abſcondere talentum, & negligere bonum proximi fiduciæ defectu, quando animum Dominus eò vocat. Secundò, id fecerunt acceptâ ſanctâ Virginis benedictione, quam omnes ut matrem venerabantur. O piiſſimam conſuetudinem, ante opus implorare Mariæ auxilium, & ejus tutelæ facienda committere. Cura inpoſterum ad hunc te modum gubernare. Cogita ſenſum, quem tunc habuit Maria de dato initio promulgandi excellentiam Jeſu, & quomodo ad hoc opus Apoſtolos excitaverit. Roga etiam tu illam, ut adſit in operibus divini obſequii, & cor tuum accendat, ad ea cum fervore, & zelo magno perficienda.

Punctum ſecundum. In publicum progreſſi cœperunt manifeſtare ſublimia Dei diverſis linguis, nationibus diverſis, quæ ad domum accurrerant, in qua illi viginti centum erant. Conſidera affectum ardentem, quo concionabantur Apoſtoli, pleni Spiritu Sancto, toti igniti: *tanquam leones ignem ſpirantes.* Nullus ibi amplius timor: charitas omnem expulit. Non ſatiantur publicando magnitudinem Chriſti crucifixi, Incarnationem, vitam, labores, mortem, & eum verum *Deum* affirmando, quamvis paucos ante dies, in crucem fuerat ſublatus, tanquam latro. O grandis mutatio! Ex piſcatoribus

ru-

rudibus, timidis! idiotis evadunt animoſi, & docti ad vincendam ſapientiam humanam. Hoc ſcit, ac poteſt facere *D*eus, cum vult. Quare initium cape ab eo, ut etiam te mutet *in virum alterum*. Præterea, expende rationem temporis; quo deſcendere Spiritus Sanctus debebat in Apoſtolos; nimirum tunc, cum Judæi eſſent Jeroſolymis, ex multis partibus orbis congregati, & unusquisque ſua lingua gloriam Chriſti explicari audirent. Erat Chriſtus ſolemni Paſchatis tempore tanti hominum concurſus deſpectus, & tanquam latronum caput in reditu divulgatus: nunc reſtituitur honor Chriſto; & illi ipſi promulgare in patria debent, quæ audierunt, & eſſe prodromi Apoſtolorum. Vide quomodo *D*eus compenſet probra Filio illata, & temporibus tempora compara. Nihil ergo tibi perditur cum ſervis Deo. Noſtræ jacturæ his caſibus *mutantur in melius*.

Punctum tertium. Conſidera fructum, quem in animis auditorum variarum linguarum ſermones faciebant. Alii obſtupeſcebant tali prodigio, dicentes, *nonne omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt?* Et ſanè admirabantur cum ratione. Homines priùs idiotas, & fortaſſe notos, &, ut Galilæos, minùs ad linguas diverſas aptos, cum peritia tanta loqui; res erat digna admiratione. Alii verò per jocum dicebant, *quia muſto pleni ſunt*; ebrietatem interpretabantur. Ecce ut ſemper inveniatur malignus operum Dei cenſor, & illuſor. Verùm absque ratione, nam bibiſſe non poterat efficere, ut linguis tam diverſis magnitudinem DEI exponerent. Cautus eſſe cura in criminando id, quod neſcis, maximè in divinis. Quid autem agebant Apoſtoli? non curabant criminationes, & haberi

pro ebriis: perſequebantur tanto majore ardore laudes Jeſu, & officium ſuum. Reſpectus hominum nihil amplius poterat in illis cordibus: ſuperiores erant omni humano judicio: ſolus Deus meta illorum erat. Sic agere tu noveris, & omnem alium timorem poſthabere, quantos in virtute, & obſequio Dei faceres progreſſus! Sed habes nimis obſtructas vocibus vanis aures, & eâ causâ lentus es in via ſpiritus. Deſidera ſtare ſolo Dei judicio.

Feria ſexta.

MEDITATIO LV.

Sermo S. Petri, & facta converſio.

P*Unctum primum.* Petrus, ut Vicarius, & caput Eccleſiæ, reſpondet aliorum Apoſtolorum loco, non eſſe vino ebrios, ſed effectum eſſe Spiritus Sancti adventûs à Propheta prædicti; ſimul perrexit explicare magnitudinem Chriſti à Judæis crucifixi. Vide, ut Petrus officii ſui debitum impleat: non dimittit occaſionem: promulgat principio legem Chriſti, &, tanquam paſtor communis incipit oves adducere ad gregem *D*omini. Imitare Petrum obeundo munus tuum, neque opportunitatem neglige officio tuo ſatisfaciendi. Vide, an antehac defueris obligationi tui ſtatus. *S*ecundò, admittit in Apoſtolis ebrietatem non vini communis, ſed Spiritus Sancti, quâ erant ebrii, ſed muſto cœli. *Inebriati ſunt ſobria ebrietate, qua peccatum mortificat, & cor vivificat*, Catech. 17. inquit Cyrill. O ebrietatem verè exoptandam, quæ *non madens vino, ſed ardens Deo eſt*, inquiebat Bernard. quâ, ad modum ebriorum, non curabant res inferiores, & terrenas, non timebant adverſitatem aliquam; &, ſanctè ſtulti, aliud non cogitabant, non ſomniabant, quàm Deum; neque impediri poterant, quin paſſim nunciarent Chriſtum. O *D*omine, ſi mihi

con-

contingeret bibere de hoc vino, quod oblivionem rerum omnium fluxarum inducit, & nihil præter æterna deſiderare! infelix eram adhuc, fateor, qui non guſtaverim talis muſti ſaporem.

Punctum ſecundum. Pergente Petro inſectari ſcelus commiſſum à Judæis crucifigendo Jeſum Dei Filium, & Meſſiam promiſſum, atque in terram miſſum, *compuncti ſunt*, & tria millia auditorum illorum veritati manus dederunt. En fructum ſanguinis Chriſti! Vide linguam Petri inflammatam, quæ tantum hominum numerum amore Chriſti, quem prius oderant, & nefariè tractaverant, accendit. Vide, quomodo Jeſus perſequatur injurias acceptas! frangit ſuâ potentiâ duras mentes, & emollit, & ſuâ clementia in locum filiorum chariſſimorum adſciſcit. Iſtis gratiis caſtigas, mi Domine, iſtorum ſcelera, & ad pœnitentiã adductis debitum condonas. O quoties mecum ad hunc modum egiſti! & miſericordiâ pœnas commeritas obłitteraſti. Rectè mihi dicere poteris, *& retributionem peccatorum videbis*, Pſal. 90. Id malum eſt, me tot vocibus internis, & externis monitionibus, nondum tibi deditum eſſe, & fortaſſe nondum ſatis de commiſſis pœnituiſſe. Fac in me efficacem tui ſanguinis fructum, ut integrè me ad te convertam.

Punctum tertium. Conſidera, quæ poſt primam hanc meſſem fecerunt Apoſtoli, quæ Virgo. Apoſtoli communicarunt cum Virgine fructum, adductis ad eam ut Matrem *Domini* honorandam, ſive omnibus, ſive parte. Quanta fuerit lætitia Virginis! quantas egerit gratias Domino pro novis iſtis Eccleſiæ plantis! quanto affectu exceperit! quomodo excitaverit ad agnoſcendam gratiam primæ in Eccleſia cohortis! quomodo exhortata fuerit ad continuum in virtute progreſſum, & filii ſui obſequium, cujus meritis ipſius cognitionem ſunt adepti. *Diſce tu magna exultare*

lætitia, cùm animæ Deo lucrifiunt; at cohorreſcere, ſi vel una detrimentum virtutis capiat, aut prorſus intereat. Adhæc teipſum conſidera. Vide, an tua vita jucunda ſit Jeſu, & Mariæ, an diſpliceat ob alienam à tuo munere vivendi rationem. O ſi excitares in te deſiderium compenſandi præteritas tuas negligentias, & ita vivendi inpoſterum, ut tanto majorem conſolationem adferas Virgini, quanto id hucusque minùs feciſti. Rogo, ut hanc à ſuo filio tibi gratiam impetret.

Sabbatho.

MEDITATIO LVI.

De vita fervente primorum Chriſtianorum.

PUnctum primum. Lucas 2. Actor. loquens de illis primis Chriſtianis, tria ſingularia profert: fuiſſe perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, in fractione panis, in precibus. Ecce, ut non acquieverunt in ſola Chriſti Lege, & Baptiſmo ſuſcepto: cœperunt Legem factis congruentibus aſſerere: non ſufficiebat illis, quod multis, & fortaſſe tibi quoque, ſolum nomen: facta adjunxerunt. Præcipuè perſeverarunt in audiendo, repetendo, ut agendi normam adhibendo, doctrinam Apoſtolorum, non mundi doctrinam, & axiomata profanorum. Scientiâ, quam acceperant à Spiritu Sancto regebantur. Aliter nos. Doctrinis peregrinis ducimur: ſenſus, cupiditates, paſſiones ſunt noſtri doctores: hos audimus. Vide, an ſic agas: & roga Spiritum Sanctum, ut gratiam tribuat amandi ſuam doctrinam, omni alia excellentiorem. Secundò, frequentabant Euchariſtiæ myſterium inſigni cum auctu ſanctitatis. Tu accedis frequenter, ſed cum modica, aut nulla fame tanti cibi, & ideò cum modico, aut nullo virtutis incremento. Cura, ut

ut cum frequentatione alios conjungas paratus. Tertiò perſeverabant in precatione, & oratione, ſed tanta cum fide, ut omnis boni ſpem haberent; tanta cum pietate, ut vim adhibere *Deo* ad exaudiendum viderentur; tantâ ſubmiſſione, ut aliud non expeterent, quàm quod Dei arbitrio probaretur. An talis oratio tua? perſeveras in iſto exercitio? Vide, quibus cor occupes, & tempus: & erubeſce coram Deo.

Punctum ſecundum. Adjungit Scriptura: *Habebant omnia communia.* Non erat ibi Meum, & Tuum: ſed vendebantur bona ſtabilia, & mobilia, & diſtribuebantur pro cujusque indigentia. Vide vires Evangelii, & Spiritus divini. Quando ab hoc poſſideri incipit anima, avellitur ſubitò ab eo, quod amabat: bonis hujus vitæ non magis oblectatur, quam luto: quia plena *Deo* eſt, qui eam locupletat, & ſatiat. Quàm diſcrepat, & multò eſt infelicior conditio fidelium hujus temporis, tenaciùs terræ bonis inhærentium, quàm cœleſtibus, & dies noctesque illis acquirendis, & conſervandis laborantium. Quantò plùs habetur, tantò plus deſideratur: nec in opera pietatis expenduntur, ſed in vanitates, commoditates, voluptates. O quanta Chriſtianorum diverſitas! Primi illi projiciebant pretia venditarum poſſesſionum ad pedes Apoſtolorum: nunc bona terrena reponuntur in corde. Vide, an imiteris fervorem primorum: & ſi Religioſus es, cura non habere, quod tuum ſit; ſi profanus, cura ſaltem non eſſe mancipium rerum poſſeſſarum: impende in uſus bonos, & ad æternitatem utiles; & ſic fructu gaudebis in cœlo: alioquin condemnaberis ad ſolvendum uſum malum in altera vita, cum debita affectui tuo immoderato pœna.

Punctum tertium. Præter communionem bonorum, quæ diſtribuebantur pro conditione neceſſitatis,

erat

erat inter illos fideles una communicatio affectus, & amor mutuus : *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*, Actor. 4. Conſidera grandem felicitatem Eccleſiæ primitivæ, quòd in tanta multitudine fuerit cor unum, anima una : erant tamen nationes diverſæ, conditione, naturâ, moribus diſcrepantes ; nihilo ſecius erat Spiritus unus charitatis ; qui gubernabat ; iſte extinguebat omnem querelam ; iſte conciliabat omnium exiſtimationem, & omnem contemptum longè arcebat. O quantùm poteſt amor Dei, quando cor occupat! Et quid mirum, illic poſſeſſionem adiiſſe, ubi cuncti res fluxas, & commoditates reſpuebant, quæ ſemen ſunt cupiditatum, diſcordiarum, litium, diſſenſionum. O quantùm diſtant noſtra tempora primis illis! quàm rari, quorum cor, & affectus unus! Vide, qualem te hic invenias. Statue, quicunque tuus ſit ſtatus, imitari primos illos Chriſtianos. Roga Jeſum per merita illius petitionis ad Patrem factæ, quando erat in procinctu ſuæ Paſſionis, ut hanc ſuis unionem largiretur ; tuo ut illam inſerere cordi dignetur; & renovare in Chriſtianis hodiernis, ad primorum imitationem ; ut, cum unius capitis omnes membra ſimus, quod Chriſtus eſt, uno corde, & amore vivamus. Et hanc ipſam gratiam rogabis Spiritum Sanctum, qui deſcendit ad implendum id, quod ſuis meritis nobis Chriſtus lucrifecit. Dicatur Hymnus, Veni Sancte Spiritus &c.

Dominica SS. Trinitatis.

MEDITATIO LVII.

De Unitate Divinæ Eſſentiæ, & Perſonarum Trinitate.

ORatio præparatoria, cùm hujus, tum ſequentium Meditationum, poſtulabit gratiam, quâ noſtras actio-

actiones, præſentem inprimis, ad honorem & gloriam Dei noverimus dirigere.

Præludium primum. Statues primùm ante mentis oculos Divinas Perſonas in altiſſimo throno, infinitâ Angelorum ac Beatorum adorantium multitudine circumfuſas: & te vermiculum finges, humi repentem, oculosque intelligentiæ in tantæ majeſtatis obtutu defigi cupientem.

Præludium ſecundum. Precaberis, ut firmiſſimâ fide, nunc, & ſemper, cognoſcere, profiteri, & adorare ſanctiſſimam unitatem hanc trinam poſſis.

Punctum primum. Conſidera, quod nos fides docet, eſſe unum primum Eſſe, independens à quocunque altero principio cujusvis alterius Eſſe, quod habet in ſe, & à ſe, omnem perfectionem, abſque omni limitatione: quod implet omnia, poteſt omnia, perſpecta habet omnia: quod eſt immortale, inviſibile, incomprehenſibile, æternum: cujus conſilia ſunt immutabilia, providentia infallibilis: cujus voluntas eſt lex, & regula rerum omnium juſtiſſima: Eſſe, quod creavit cœlum & terram, à quo res omnes conditæ dependent in ſuo primo Eſſe, in conſervatione, in operatione, eum in modum, ut, ſi ſuum ſuſpenderet concurſum, omnia puncto temporis in ſuum nihilum relaberentur. Et hoc Eſſe unicum, infinitæ perfectionis, eſt noſter Deus, noſter finis ultimus, unde noſtrum omne bonum, voluptas, felicitas dimanat. In ſumma: *non eſt alius extra te*, 1. Reg. 2. Ita eſt. Credo firmiſſimè, te Deũ eſſe, & aliam, præter te, nec eſſe, nec eſſe poſſe divinitatem. Adorabis cum profundiſſima reverentia iſtam unicam, & perfectiſſimam Eſſentiam: gratias ei ages, tibi benignè hanc impertiviſſe cognitionem, præ aliis, adhuc rerum conditarum adoratione delirantibus. Subjicies te cum integra rerum omnium abdicatione, dicesque: *manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmaverunt*

vermes me totum in circuitu, Job.20. Proteſtaberis, te, ſi, quod fieri quidem nequit, dependere poſſes ab aliis, dependere tamen in omnibus velle ab eo ſolo, in eo fiduciam habere, eum ſupra omnia diligere, ei integerrimè obedire. Ad extremum rogabis veniam? quod, neglecto fidei lumine, toties adoraveris res creatas, quoties eas cum injuria conditoris amaſti, & ei prætuliſti, idololatriam exercens, ſenſibus, voluptati, honori, aliiſque affectionibus pravis indulgendo. Et ſtatues inpoſterum lingua factiſque profiteri: *Deum meum colo, & illi ſoli ſervio*,

Punctum ſecundum. Conſidera, quod fides docet, qua ratione Eſſentia iſta perfectiſſima, & unica, ſit in tribus Perſonis, re diſtinctis, Patré, Filio, & Spiritu Sancto, ita, ut diſtinctio trium Perſonarum non impediat unitatem Eſſentiæ; & Eſſentia illa ſit in omnibus illis tribus Perſonis, cum ſuis perfectionibus infinitis, & omnibus tribus Perſonis æqualiter, cum qua tres Perſonæ habent eandem Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, Æternitatem, & bonum aliud omne. Pater eſt fons, & origo communicationum, quæ ſunt à divina Eſſentia; &, cum ipſe ſit ingenitus, generat Filium ſibi æqualem. Filius & Pater ſpirant Spiritum S. tertiam Perſonam Patri & Filio coæternam. Hîc cum actu Fidei firmiſſimo, credendo, quod nequeas capere, ſubjicies intellectum huic ineffabili myſterio: adorabis Patrem, ut excellentiſſimi filii Patrem, qui Deus eſt, æqualis Patri: adorabis Filium, ut imaginem ſubſtantialem æterni Patris, ab eo generatum ab æterno, adorabis Spiritum S. ut terminum amoris, quo Pater & Filius neceſſariò inter ſe amant, & eum ambo in unitate principii ſpirant, inter flammas unius æternæ dilectionis. Subjicies te cum omnibus tuis potentiis magnitudini Patris, & Filii, & Spiritus S. infinitæ, conſiderata eorum majeſtate. Studebis

debis laudare hanc Trinitatem unam, & magna veneratione cum Seraphinis dicere, Sanctus Sanctus Sanctus.

Punctum tertium. Conſidera, quomodo noſtra felicitas conſiſtat in ſimilitudine, quantum fieri poteſt, cum Deo, Uno, & Trino. Unde S. Paul. Eph. 5. *Eſtote imitatores DEI.* At qua in re nos asſimilari *Deo* neceſſe eſt? In ſtudio imitandi Sanctitatem divinam. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt Matth.* 5. inquit Chriſtus. Alia attributa, & perfectiones *Dei* adorare, & admirari debemus, Sanctitatem imitari. Et verò quàm conducibilius fuiſſet Lucifero, ſi deſideraſſet ſimilitudinem *Dei* in ſanctitate, cùm dixit, *ſimilis ero Altiſſimo*, & non, ſuperbiâ excæcatus, æqualitatem magnitudinis ambiviſſet. Unde Lev. 11. dixit: *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Conſidera te ipſum, an ita ſentias, & deſideres imitari Sanctitatē *Dei*? an eam præ rebus omnibus expetas? Quid tua dicit conſcientia, quid reſpondet? Sanctitas eſt fuga quædam, & longinquus receſſus à quocunque vitio, & affectioue inordinata: & tu, quàm modicè caves peccata, etiam levia? non eſt hoc habere Sanctitatis rationem. O me miſerum! Seraphini ex veneratione, & reverentia operiūnt ſe conſpecta *Dei* ſanctitate, quam laudant: & ego contra caput erigo: & quaſi omni vacem peccato, cum ſim plenus, non contremiſco ad Dei ſanctisſimi præſentiam. O Dominus meus Unus, & Trinus, largire gratiam, ut honorem Sanctitatem tuam innocentiâ vitæ, & ita conteſter, me æſtimare Sanctitatem tuam, quam me vis imitari.

Die Lunæ.

MEDITATIO LVIII.

De Perſona æterni Patris.

Pun-

Punctum primum. Conſidera æternum Patrem primam eſſe Perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis, in quo, tanquam in fonte continentur cunctæ perfectiones divinæ, potentia, ſapientia, bonitas, immenſitas, cum aliis omnibus. Et habet in ſe gloriam, beatitudinem, omne bonum: nec accipit aliunde. Adorabis igitur cum reverentia profundiſſima: gaudebis, à nullo conferri ei poſſe quidquam, cum omne in ſe contineat bonum, & principium, & origo ſit omnis boni: Ita eſt, *D*omine. Ex meo affectu do tibi, quidquid habes, gaudeo ea te habere, & ſemper habuiſſe, gaudeo de Eſſe tuo *D*ivino. Porrò conſidera, quomodo Pater, cognoſcendo ſe, eſſentiam ſuam, & perfectiones, non extra, ſed intra ſe producat imaginem ſui, quæ exactè repræſentat ipſum, & quidquid eſt in ipſo. *Et* hæc imago eſt ipſius filius, conſubſtantialis Patri, & *D*eus ſicuti Pater, dilectiſſimus Patri. Unde dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit* Matth. 17. Gaudebis pariter cum æterno Patri, & invitabis creaturas omnes ad eum laudandum, quod Pater ſit Filii, tam ſibi æqualis in magnitudine, & omni perfectione, gratias agendo æterno Patri, quod dignum te ejus cognitione fecerit, ut adorare, amare, & ſervire poſſis.

Punctum ſecundum. Conſidera, Patrem æternum non conſenſu generaſſe ab æterno Filium unicum de ſua ſubſtantia, voluiſſe filios habere adoptivos, per gratiam conſtitutos, quæ eſt participatio accidentalis naturæ divinæ, ut cohæredes efficiantur bonorum omnium filii naturalis. O quanta eſt iſta gratuita gratia, & electio ſuavis in filios adoptivos: ubi, qui adoptat, *D*eus eſt; qui adoptatur, homo vilis, & humilis creatura. Quam grande hoc donum eſt, hominem à Deo ſuum appellari filium, & ab homine *D*eum vocari poſſe ſuum Patrem. Quis major honor, quam

hominem, perſonam peregrinam, cui à natura jus nullum competat ad hæreditatem Patris æterni, per gratiam eſſe factum cohæredem, eſſe ubi eſt unicus, & naturalis filius, *non æqualem factum divinitati*, *ſed conſociatum æternitati*, ut Auguſtinus tr. 51. in Joan. loquitur. Si cognoſceres hoc beneficium, quanti æſtimares: Quare te pudeat oportet, tam modicam ejus habuiſſe rationem; & prætuliſſe rationes humanas, nobilitatis, opum, & ſimiles, titulo filii Dei adoptivi. Iccirco ſtatue eum inpoſterum conſervare, & rebus omnibus præferre.

Punctum tertium. Conſidera, communes quidem eſſe perfectiones omnes tribus Perſonis, ſicut & actiones, quas vocamus, *ad extra*: tribui tamen Patri Potentiam, quia cœli, terræ, rerum aliarum omnium Creator cognoſcitur. Eum igitur adorabis ut creatorem, conſervatorem, benefactorem tuum, agnoſces hoc tuum eſſe, & quidquid habes ad ejus bonitatem referendum eſſe, quippe qui multas alias res in ſuo nihilo reliquerit. Offeres totum te, potentias, facultateſque tuas, cum omnibus omninò donis. Simul conſiderabis, te acceptis ab eo beneficiis abuſum, illis ipſis gratiis in ejus offenſionem converſis. Rogabis veniam cum propoſito mutandi rationem agendi. Ad hæc animum convertes ad tot alias creaturas in commodum tuum factas, pro tuo alimento, recreatione, & ſervitute. *Dolebis* de cæcitate tua, & multorum aliorum, qui tantis affluentes bonis non conſiderant auctorem, non gratias agunt debitas; & creaturis omnibus exclamantibus, ſe opus eſſe Dei, ſurdi ſunt ad has voces, & cum injuria Dei luculenta adorant creata. Orabis æternum Patrem ne te errore tam gravi permittat intricari.

Die Martis.

MEDITATIO LIX.

De Perſona Filii.

P*Unctum primum*. Conſidera ſecundam Perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis eſſe Filium, generatum ab æterno à Patre, qui ei communicavit propriam eſſentiam, & omnes ſuas perfectiones: unde eſt perfectiſſima, & ſubſtantialis imago Patris, quoniam in virtute ſuæ generationis eſt ſimilis Patri, habetque eandem naturam individualem, omneſque easdem individuales, & abſolutas perfectiones. Adorabis æternum Verbum, ut verum tuum *D*eum: gaudebis habuiſſe gratiam eum cognoſcendi per Fidem, ad amandum eum, tanquam *D*omino tuo ſerviendum. Congratulaberis, quod in ſinu ſit æterni Patris, particeps inæſtimabilium divitiarum ejusdem divinitatis: quod perfectiſſima ſit imago æterni Patris, unde poſſit dicere: *qui videt me, videt & Patrem*, Joh. 14. Confundêris, quod factus ad imaginem, & ſimilitudinem divinam, vitâ tuâ ſic eam contaminaveris, ut nullam ſpeciem retineat ſui prototypi. Quare precaberis æternum Verbum, ut ſuâ gratiâ reſtauret in anima tua ſimilitudinem & imaginem Dei jam deletam.

Punctum ſecundum. Conſidera, quomodo filius iſte cognoſcendo per naturam eſſe ſe filium æterni Patris, hęredemq; ſolum, eam gratiâ fecerit hominibus, ut fieri poſſent filii adoptivi ejusdē Patris, & participes eſſe, cohæredesq; bonorum divinorum. Gratias age æterno Verbo de tanto beneficio, & tuo, & naturæ totius nomine, quod per juſtificationem homines adoptentur à Patre. Precare, ut reparet in te, quod deficit ad conſecutionem tantæ gratiæ. Præterea in memoriam revoca, quantum egerit, ut fratrem te faceret per gratiam, & quomodo dignatus ſit unire ſe cum noſtra natura, quamvis pura, gratioſa, & donis innumeris locupletata, quæ Spiritus S. contulit humanitati à Verbo aſſumptę, nuptiarum die, in thalamo Virginis celebratarū, majeſtate licet & magnitudine infinita diſtante. Expende,

de, quantum Verbo divino debeas pro tali gratia, à qua re ipſa pendet tua, generisque totius humani liberatio. Gratias ages Verbo pro tanto beneficio: offeres te toto cum corde tuo totum, in tanti beneficii recordationem. Præferes rebus omnibus iſtam fraternitatem, quam obtinuiſti virtute ærumnarum omnium, quas Verbum æternum ſuſtinuit, usque ad ultimam ſui ſanguinis guttam effuſam.

Punctum tertium. Conſidera Filio tribui Sapientiam, quamvis eadem & Patri, & Spiritui S. conveniat: quoniam Filius generatus eſt à Patre per intellectum: ideo cuncta lumina, & cognitiones ſanctæ, quæ recipiuntur, debent illi attribui, & in acceptis referri. Ages igitur gratias æterno Verbo, de gratia tuæ illuminationis: & deſiderabis, ut etiam alios horum luminum faciat participes. Roga ipſum, ut veram tibi donet ſapientiam, quâ verum de cunctis rebus judicium formes, & ſuperbiæ vanæ errores devites. Beatus, qui veram habet ſapientiam, *cui quæque res revera ſapiunt, prout ſunt, Serm.* 50. *in Cant.* ait Bernard. cum qua contemnit terram, reſpicit cœlum, novit diſcernere cum intimo ſuæ mentis guſtu, inter id, quod agendum, & amandum: attingit res fluxas obiter, & ſuum deſiderium firmat in æternis. Quantum mihi deeſt de hac ſapientia vera! quantum me decipiunt cum inani ſua ſpecie res apparentes & præſentes. Quapropter recurre ad æternum Verbum: precare, ut intellectum tuum ſanctificet: deſidera, ut eum mundet, & illuſtret, imprimendo veritates æternas, & verè ſpirituales, ut obtineat in te ſcientiam propriam Sanctorum.

Die Mercurii.

MEDITATIO LX.

De Perſona Spiritus Sancti.

PUnctum primum. Conſidera, quomodo æternus Pater, videndo in Filio, ut in imagine ſua, omnes perfectiones & magnitudinem eſſentiæ ſuæ divinæ, neceſſariò amet Filium, & hic intuendo eandem eſſentiam cum aliis perfectionibus à Patre communicatis, amet eundem amore infinito. Unde duæ iſtæ Perſonæ reciprocè & eſſentialiter amantes inter ſe, ſpirant amorem, quem notionalem Theologi vocant, qui eſt Spiritus Sanctus, cui eſt communicata eadem divinitas, & magnitudo, ita ut idem ſit Deus cum Patre, & Filio, ſimilis Patri & Filio, & per omnia æqualis. Adorabis cum profundiſſima reverentia perſonam Spiritus Sancti: gaudebis, quod verus ſit Deus, & ei, tanquam Domino tuo perfectè ſubjicies: gratias ei ages, quod gratiam Fidei tibi conceſſerit, quâ eum cognoſcere, venerari, & amare poſſis. Condolebis tantæ infidelium multitudini, qui viventes in tenebris ignorantiæ, eum non cognoſcunt, non adorant, non amant, cum tanto ſuæ ſalutis æternæ detrimento. Invitabis creaturas omnes ad laudandum Spiritum Sanctum.

Punctum ſecundum. Conſidera, quomodo Spiritus S. videns Patrem æternum velle homines eſſe filios adoptivos, & fratres æterni Verbi, ut is, qui eandem cum Patre, & Filio voluntatem habet, effecit, & efficit conſilium iſtud quotidie, communicando ſuam Perſonam animis, cum ſuis donis & gratiis, ſimiles efficiens eas, participatione naturæ divinæ, & cohæredes Chriſti. Gratias age Spiritui S. de collatione gratiæ tantæ, tamque neceſſariæ, ſine qua nihil poteſt homo, teſte Eccleſia canente: *ſine tuo Numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Et ô quanta lumina, inſpirationes, affectus, & gratias largitur continuò noſtris cordibus iſte Spiritus divinus. Quantam autem ſimul invenit repugnantiam, & ingratitudinem, quâ impe-

Impediuntur effectus gratiæ? Quam multis dici poteſt, quod olim dicebat Stephanus Judæis: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*, Act. 7. Conſidera teipſum, an horum ſis de numero: &, ô quoties deprehendes, excluſiſſe te animo tuo divinum iſtum Spiritum, qui te docere volebat veritatem, dirigere in viam ſalutis, regere te, & confirmare contra Spiritum mundi. O Divine Spiritus, qui ardenter deſideras, hos effectus in anima mea, producere effectus, quia non minus potens, quàm bonus es, vince malitiam animæ meæ, ut ſe ſubmittat tuæ voluntati, & tuis gratiis non obſtet.

Punctum tertium. Spiritui Sancto per appropriationem tribui dulcedinem, bonitatem, conſolationem, & miſericordiam, quamvis eodem modo conveniant iſtæ perfectiones Patri & Filio. Ita crebra peccatorum tuorum remiſſio, & tolerata cum grandi longanimitate ingratitudo, prorogatis, quas toties merebaris, peccatorum pœnis; ad hæc tantæ invitationes ad gratiam, & deſideria ſalutis, & bonorum operum; fuerunt effectus ipſius, bonitatis, dulcedinis, & miſericordiæ. Nunquid ille eſt, qui nos facit gemere ante *Deum*, qui nos excitat ad precandum? Quid non agit, ut ſeparet nos à malo, & removeat ab occaſionibus peccandi? Nunquid ille eſt, qui noſtras animas ſanctificat, qui nos armat in prælio contra noſtros hoſtes; qui aſſiſtit, ne vincamur, & ſalvos adducit ad portum beatitudinis? Gratias age cum omni cordis affectu divino Spiritui: deſidera, ut continuet ſuam tecum miſericordiam, non reſpiciendo culpas tuas, ſed bonitatem ſuam, recordando, ſuum eſſe, complere illud, quod Verbum Incarnatum fecit pro nobis; & ita dignetur ſanctificare illos, quos Filius redemit; & cuſtodire illos, quos ſanguine, & morte ſua lucratus eſt.

In Solemnitate Corporis Chriſti.

MEDITATIO LXI.

De modo, quem Chriſtus tenuit in inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti.

PUnctum primum. Poſt lotos diſcipulorum pedes, repetitâ mensâ, paulò pòſt exiturus cœnaculo, iturus ad hortum, & initium Paſſioni daturus, accepit in manus panem, & erectis, more ſuo, in cœlum oculis, gratias egit æterno Patri, & benedixit pani. Pondera ſingulas iſtas circumſtantias. Prima eſt temporis, imminente morte tam doloroſa, & ignominioſa. Ubi non id curat Jeſus, quod non mulò poſt toleraturus erat à Judæis, ſed id agit, ut maximum ſui amoris nobis relinquat monumentum. Quantum creſcit ex hujus temporis conſideratione hoc beneficiū? Inſtabant graviſſima tormenta: & quaſi lautiſſimæ fuiſſent deliciæ, cor illud Domini Jeſu, dando ſe nobis, conſumit ſe. Sumit in manus panem. Poterat conſecrare panem in menſa poſitum. Non facit: ſumit in manus, ut intelligamus, beneficium illud proficiſci nobis debere ab illis manibus liberalibus, quæ nos implent, cum ſe aperiunt. Erigit oculos: quo ſignificare nobis vult, panem, quem daturus nobis erat in Sacramento, non eſſe terrenum, ſed cœlo demiſſum, qui ſumentium animos & affectus erigere debeat in cœlum. Vide, an id agas. Egit gratias Patri ſuo, ut compenſaret hac actione gratiarum defectū noſtrum, qui tam modicè grati ſumus; & admoneret ſum̄a cum gratitudine eſſe recipiendum. Examina teipſum, & in futurum emenda te. Ad extremum benedixit pani, invocando ſuper eum benedictionem, & potentiam Patris, ut Transſubſtantionem illam, & omnes alias ſuccedentibus ſeculis futuras dignaretur operari. Ita dignetur Dominus mutare cor

tuum,

tuum,& de terreno divinum facere,ut dignè frui poſſit hoc pane.

Punctum ſecundum. Poſtquam benedixit pani, fregit in partes tredecim, dedit *D*iſcipulis, dicens: *accipite,& manducate : Hoc eſt corpus meum.* Expende hîc, frangere panem, ut monſtret ſpiritualiter eſſe rumpendum, conſiderando quid eo contineatur, ut majore devotione recipiatur : Vide an ſic agas, aut an deglutias integrum,nihil cogitando de corpore,de ſanguine, de anima, de divinitate, de meritis,& virtute Chriſti, quibus paſceris. Poſtea dat *D*iſcipulis. Oportebat donari, quia donum eſt altiſſimum, quo non eramus digni. Porrò,ne ſit cibus damnationis, oportet eſſe diſcipulum, ſed verum, non qualis Judas proditor. Cura, ut ſis de ſchola Jeſu,re ipſa, non ſolo nomine. Tandem dicit, ut accipiant, & comedant : Quis id facere fuiſſet auſus, niſi Chriſtus mandaſſet ? Obſerva, quanta cum reverentia acceperint, quanta cum devotione ſeparaverit,illuminati eo in puncto altiſſima tanti myſterii cognitione. Deſidera tu pariter particips eſſe luminis illius, affectus, & cognitionis,quam habuerunt Apoſtoli recipiendo panem illum divinum. His adjunxit:Hoc eſt corpus meum.Quibus verbis panis mutatus eſt in corpus *D*omini. Et hic firmâ fide credes,eſſe ibi corpus Chriſti,id ipſum quidem,quod poſtea poſitum fuit in cruce,quod glorioſum regnat in cœlo, cum ſanguine, anima, divinitate, & Perſona Verbi. Idem credendum de vino in ſanguinem converſo.

Punctum tertium. Subjunxit, apud Luc. *Hoc facite in meam commemorationem.* Non contentus fuit Chriſtus hoc beneficium ſolis conferre Apoſtolis, ſed in alios quoque effudit : neque ad certas Perſonas & tempora determinavit. *Hoc facite.*

Poteſtatem fecit convertendi panem in corpus Chriſti: & Sacerdotes eos creando non ſolum hanc eis autoritatem conceſſit, ſed etiam mandavit, ut alios Sacerdotes facerent, & usque ad Mundi finem poteſtas hæc duraret in Eccleſia. Pondera liberalitatem Domini incircumſcriptam, neminem excludentis à tam grandi dono: quanquam multas impiorum indignitates prævidebat. Conſidera prægrandem poteſtatem, quam Sacerdotibus conceſſit, & quanto propterea honore digni ſint, ac veneratione. Ad extremum dixit, ut hoc facerent in memoriam ſui, tantæ benignitatis memores, quâ ſe nobis dedit, memores adhæc ſuæ paſſionis ac mortis, quâ ei complacuit nos redimere. Ecce quanto ſenſu tibi ſit accedendum, non dimittendo ex oculis bonitatem, amorem, affectum, quem habuit Jeſus, ut de tali cibo tibi provideret, nec aliis alendum te committeret, ſed de ſemet ipſo te nutriret. Cura hunc in te ſenſum excites, cùm ad hanc ſacram menſam appropinquas.

Feria ſexta.

MEDITATIO LXII.

De magno amore, quem nobis oſtendit Jeſus in inſtitutione ſanctisſimi Sacramenti.

P*Unctum primum.* Conſidera Chriſtum inſtituendo hoc Sacramentum, feciſſe pro ſingulis tantùm, quantùm pro omnibus; deſcendit Verbum æternum in terram, aſſumpſit carnem, factum eſt homo ad ſalvandos homines: univit ſe tunc humanitati intimâ, & perſonali unione; in ſanctisſimum autem Sacramentum deſcendit toties de cœlo, quoties fit conſecratio. Et unit ſe cuivis ad primum ferme modum, ut adeò Euchariſtia vocetur extenſio Incarnationis.

tionis. Sumitur tandem in hoc Sacramento illud ipſum corpus & ſanguis Salvatoris, quæ fuerunt in cruce victima pro toto mundo. Quare ſi verum eſt hoc, ut eſt veriſſimum, quando venit ad me in Sacramento, monſtrat mihi amorem ſuum, ſicuti monſtravit mundo, quando venit in terram. Iccirco intrando in me, & donando mihi ſe; tantùm obligat me, quantùm obligavit homines omnes deſcendendo de cœlo in terram. Non igitur, conſideratâ bonitate tanta, attonitus rapiar extra me! Rapitur ſanè cor conſiderantis Majeſtatem illam ſe unire humanitati Chriſti, infinitis gratiis locupletatæ: quid ergo dicendum mihi, cogitanti miſerabili humanitati meæ ſe unire, & quaſi rem unam ſecum facere Chriſtum? O Domine, quis ego ſum, cujus cor occupes, ac tantùm largiaris, quantùm hominibus univerſis! nunquid mihi faciendum ſoli eſſet, quantum alii omnes in ſervitio ſuo, facio tamen minùs, quàm poſſum; & omnibus aliis mei partem meliorem, tibi deteriorem ſervo.

Punctum ſecundum. Conſidera, Chriſtum inſtituendo hoc Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini, monſtrare pariter magnum erga te amorem. Grande amoris argumentum eſt, cum quis efficit, ut unum ſit cum eo, quem amat. Et quoniam, qui amat, non poteſt re ipſa facere ſe rem eandem cum Perſona amata, facit modo meliore, quo poteſt; & cum memoria, intellectu, voluntate, imaginatione ſe transfert, &, quaſi alienatus à ſe, transformat in rem amatam. Et quis finis Jeſu fuit, panis vinique ſubeundo ſpecies, niſi concorporare ſe nobiſcum? quia de cibo, & manducante, fit una eademque res. Unde dixit Chriſtus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, Joh. 6.* Quamvis autem alii cibi convertantur in ſubſtantiam manducantium;

Chriſtus tamen noſter cibus in Sacramento, convertit nos in ſe, cum ſit panis vivus, non ut panis alius, à nobis manducatus, qui eſt panis mortuus. Unde dixit S. Chryſoſt. *ut ipſa re in illam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis.* O mi Jeſu, qualis tandem hic amor eſt? quis ego ſum, & quæ mea vita, ut eadem cum Jeſu res efficiar? quam purum eſſe deberet, quam ardens cor iſtud, dum adeò frequenter me unio cum Chriſto? Quantum ô æſtimare deberem hanc gratiam, &, avulſus ab omni re alia, dicere cum S. David? *mihi adhærere Deo bonum eſt, Pſal.* 72.

Punctum tertium. Conſidera, quòd, cùm vellet inſtituere Sacramentum, quod meus cibus eſſet, & uti pane, & vino, potuiſſet relinquere, ut panis, & vinum benedictum à ſe, cibus eſſet, & nobis gratiam conferret, ſicut aqua Baptiſmatis lavat animam, & mundat. Non tamen placuit ad hunc modum facere; Sed voluit ipſemet, in locum panis & vini, eſſe alimentum noſtrum, & noſter cibus, cum ſua carne propria, & ſanguine. Non ſufficiebat ejus amori, ſpiritualiter nos paſcere aliter, quàm ſe ipſo: viſum eſt ei, ut, cum in terram venerit ad vitam nobis divinam impertiendam, alimentum pariter eſſet divinum. Quam ob rem dare nobis voluit carnem ſuam deificatam, ſuummet corpus, ſanguinem, animam, divinitatem. Habebatur magnæ gratiæ loco, juvenibus illis, qui poſt triennium debebant comparere ante Regem, fuiſſe aſſignatum menſæ regiæ cibum, Dan. 1. Quanta autem hæc eſt gratia, quod pro noſtro cibo nobis decreverit Jeſus, non ſolum regium aliquem cibum, ſed ſemetipſum, Regem Regum, & Dominum dominantium? nunquid hoc eſt amore complecti ſingulari? nunquid hic ſufficit ad ſaturitatem cibus? Attamen quanta

mea

mea eſt miſeria, quod eſca refectus divina ad cibos anhelem mundanos? Satiet, ô mi Jeſu, pietas tua cor iſtud, ne ullam huic cibo inferam injuriam.

Sabbatho.

MEDITATIO LXIII.

De Christi erga nos amore, ſemper in hoc Sacramento præſentis.

P*Unctum primum.* Conſidera, magni amoris argumentum eſſe, non poſſe ferre abſentiam perſonæ amatæ. Anna Tobiæ mater, quam anxiè deſiderabat filii præſentiam amati? Jacob de Joſephi dilecti filii vita certior factus, quanquam centum triginta natus annos, ad eum videndum proficiſci voluit, quem ut mortuum jam deploraverat. At quanto præſtantior eſt amor Chriſti? Diſcedendum ei erat ex hoc mundo in cœlum: non poterat ferre cor illud abſentiam noſtram, manere voluit præſens, quamvis non viſibilis; & in conſolationem ſui receſſus, ut ait Guerricus Abbas, manere ſemper nobiſcum. O mi JESU, quantus hic amoris exceſſus eſt? ſi in hac vita inveniſſes obſervantiam convenientem tuæ magnitudini, ſi fuiſſes adoratus ab omnibus, ſi doctrina ſuſcepta; verùm ſi tibi mundus in ingreſſu paravit ſtabulum, ſi fabricavit Crucem in egreſſu; parùm cauſæ habuiſti, cur ægrè nos relinqueres, multò minùs nobiſcum tali modo remaneres. Quid dicam, niſi non poſſe me aliam amoris tui rationem dare, niſi

niſi tuam bonitatem infinitam. Gratias tibi ago pro gratia tam ſingulari, mihi exhibita; & utinam deſiderem ſaltem gratus eſſe nunquam à te longè recedendo.

Punctum ſecundum. Conſidera, quomodo remanendo nobiſcum in hoc Sacramento plus nobis præſtet, quam olim in vita mortali. Tunc enim cum alii uno in loco gaudebant ejus præſentiâ, alii carebant; nunc adeſt ubique, in omnibus templis, omnis eo terra fruitur; tunc edebat miracula in una parte, conferebat ſua beneficia quibusdam; alios præteribat: nunc ſpargit in omnes ſuam miſericordiam. Quanto autem plura numero, quanto excellentiora, quanto ſine interruptione frequentiora nobis beneficia largitur SS. Sacramentum, ſi conferantur cum illis, quæ contulit in vita. Ad hæc quàm multo perfectiore modo nunc ſe communicat, quàm olim in vita? Tunc videri volebat, & audiri, quæ erat communicatio externa; nunc eſt intima, dum dat ſuum corpus, animam, Perſonam, quibus efficimur quaſi idem ipſum corpus, & anima. Unde Chryſoſt. hom. 62. *Unum corpus efficimur, non tantùm per charitatem, verùm etiam ipſa re.* O mi Jeſu, quando adoro te in Sacramento, fateri debeo, perfectè implere te nomen Emmanuel, quo te appellavit Iſaias, quia verè es *nobiſcum Deus.* O quanto cum affectu venerari te, & grates agere deberem, dum mihi ades tuâ præſentia in hac mea peregrinatione? quomodo deberem reponere omnem meum amorem in te, ut omni meo bono, dum imples adeò largiter quod Jacob aliquando dicebat: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo, erit mihi Dominus in Deum*, Geneſ. 28. Quem igitur alium requiro cordis mei patronum, quàm te, qui ſemper es mecum, fideliſſimus itineris mei comes.

Pun-

Punctum tertium. Conſidera, maximi amoris argumentum eſſe, quòd manere nobiſcũ voluerit, tam malè habitus in vita. Quanto autem clarius apparet hîc amor conſideratis indignitatibus tantis, quibus ſubjectus eſt ad finem usque mundi. Et ô quanta tulit à furore hæreticorum, ab inſania Judæorum, à temeritate malorum Chriſtianorum, hoc Sacramento toties canibus dato, in fornaces injecto, pugionibus confeſſo, pedibus proculcato. Inhorreſcit animus. Olim in inſtitutione fuit unus Judas: verùm quam multi modo huic menſæ aſſiſtunt Judæ: & non tam cum veſte immunda, quàm conſcientia contaminata accedunt ad hoc convivium? quod nonnunquam ſpurcis malorum Sacerdotum manibus tractatur, & conſcientiis impuris ſuſcipitur. Et hæc tanta prævidebas, Jeſu: non te latebant irreverentiæ tot malorum Chriſtianorum, qui in conſpectu tuo, in templis tuis te erant offenſuri: tanti tamen injuriarum torrentes, non te fecère dubium tanti nobis beneficii præſtandi. Quis in hac conſideratione ſenſus nobis eſſe debet? partim gratitudinis, prò tanto amore; partim doloris, pro tantis injuriis, quas perpetuo ſuſtinet; partim laudationis, & reverentiæ, ad compenſandas ex parte offenſiones à multis illatas.

Intra Octavam SS. Sacramenti.

MEDITATIO LXIV.

Quomodo Euchariſtia ſit magna Cœna juſtis animis à Chriſto facta.

PUnctum primum. Conſidera proportionem, quæ intra cœnam, & Euchariſtiam invenitur. Cœna, præter alias proprietates, habet ſequentes; quòd inſtituatur ſub finem dici, poſt ſolis occaſum, ad lucem

can-

candelæ: quòd poſt eam non ſuccedat aliud convivium, ſed quies. Quæ conditiones omninò conveniunt Euchariſtiæ, quæ non ſolum inſtituta fuit nocte in ultima Chriſti Cœna: ſed inſuper dicitur Cœna quia celebratur ad lumen fidei; non enim videtur cibus, qui manducatur, ſed creditur. Hinc deduces, accedendum tibi eſſe ad Euchariſtiam, & iſtam cœnam procurando in te vivam fidem tam ſublimis myſterii; *quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides.* Te ipſum reſpice, ſi appropinquare ſtudes ad hanc menſam cum iſto lumine. Præterea Euchariſtia dicta eſt Cœna, quia manducando panem hunc Euchariſticum, anima debet eſſe ſaturata, nec debet alios cibos deſiderare, aut exſpectare. Dives ille, apud Luc. c. 13. dicebat ſibi: *anima, habes multa bona, requieſce, comede.* Et quæ bona habebat, quibus ad quietem ſe invitabat? frumenti copiam. Quanto rectius anima Chriſtiana, conſiderando hunc panem cœleſtem, dicere poteſt: *habes multa bona, requieſce*: habet enim pro ſuo cibo Deum, & ex conſequenti omne bonum. O quàm ſaturum deberet eſſe cor humanum in iſta cœna? manemus tamen, quæ noſtra miſeria eſt, ciborum hujus terræ avidi. Deſidera ex corde ſatur eſſe hoc cibo divino.

Punctum ſecundum. Conſidera, Euchariſtiam cœnam eſſe, non ordinariam ſed grandem? *homo quidam fecit cœnam magnam,* magnam, non ſolùm propter eum, qui apparuit, ſed magnam etiam propter cibos, qui ibi inveniuntur. Jacob ex imperio Pharaonis invitatus in Ægyptum fuit, Geneſ. 35. cum hac promiſſione: *dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.* Ah Domine, in Euchariſtia manducatur, non medulla terræ, ſed optimum

mum, quod in cœlo eſt, & in terra. Si in aliqua cœna phœnix apponeretur, avis, quæ unica eſſe creditur, & ſingularis; magna diceretur iſta cœna: & Euchariſtia non ſit magna cœna, in qua nobis in cibum datur divinitas, corpus, anima Chriſti. Verbo, Deus eſt noſter cibus. Quid efficit beatitudinem, facitque ut grande ſit convivium, niſi Deus aſpectui mentis noſtræ objectus, idemque Dominus, qui nos paſcit in hoc Sacramento? nobis eſt panis velatus accidentium cortice: Angelis eſt detectus, *quia nudo ſaturantur grano*, *ait S. Bern. Serm.* 12. *in Cant.* O quàm convenit, reſpondere in te grandem affectum, grandem aviditatem & famem, grande deſiderium, & devotionem? ut aſſidere liceat convivio tam grandi? Equidem hoc deceret, mi Jeſu: ſed confiteor tibi, magni in me nihil inveniri, præter miſeriam, neceſſitatem, paupertatem, ingratitudinem: hæc magna ſunt in me. At, quia grandis eſt pietas tua, ad te confugio, tibi ſupplico, ut leves tantam meam paupertatem, & remedium miſeriis meis tantis adferas.

Punctum tertium. Conſidera invitationem factam ad hanc cœnam, ab eo, qui paravit. Quis eum prudenter ad hanc menſam accedere tentaſſet, niſi ille invitaſſet, niſi ad accedendum coëgiſſet? Iſta eſt bonitas Domini, quæ nos excitat: *venite, comedite panem meum*, Prov. 9. Neque ſimplici contentus invitatione fuit, ſed mittit iterum ſervos, hoc eſt, inſpirationes: *non rogatus dare vult, quod vix ſperari poterat*, S. Greg. hom. 36. in Evan. Rationem quoque temporis habes Invitator, quo veniendum ſit ad convivium: ut ſignificetur, hortari Dominum, ut quiſque rite ſe præparet, & colligat, quia proximum eſt ſanctiſſimæ communionis tempus; ut animum

mum diſponat vera compunctione, affectibus amoris, aliorum negotiorum ceſſatione, ad ei occurrendum, & abſconditas in hac ſacra menſa conſolationes percipiendas. Cogita, quo modo hoc fruaris convivio: an excuſas, non habere tempus præparandi, obtendendo occupationes externas. Vide, an accedas ex conſuetudine ſola & more, an certæ diei reſpectu, an propter alios, an ſine fervore & devotione. O mi Jeſu: veriſſimum eſt: excuſare me nequeo, ſed accuſare cogor frigus & negligentiam meam, quâ magnam iſtam cœnã obeo, non aliter, quàm aliquã ordinariã: & propterea non aliud agere poſſum, quam de præteritis humiliter petere veniam, & ſupplicare, ut ad cor iſtud dirigas unum de ſecretis tuis nunciis, hoc eſt, gratiam ſingularem, quæ ſuaviter, ſed efficaciter me revocet ad me cum ſancto timore, ne mihi ad interitum ſerviat iſte cibus, quem mihi præparaſti ad vitam.

Die Lunæ.

MEDITATIO LXV.

De gratiis, quas accipit dignè communicans.

Punctum primum. Conſidera Dominum in aliis Sacramentis tanquam inſtrumentis, ad ſanctificandam animam, & applicandum ei fructum ſuæ Paſſionis; in Euchariſtiæ ipſummet opertum accidentibus panis & vini, in Perſona & cum reali ſua præſentia voluiſſe nobis communicare gratiam, applicare merita ſuæ mortis, & ſanctificare nos; ita, ut in hoc Sacramento ſit fons ipſe, qui ſua in animam dona derivat. Non fecit, quod Medicus, qui medicinam præſcribit, & alteri porrigendam infirmo committit: nec quod mater, quæ prolem natam alteri lactandam tradit: ſed ipſe eſt Medicus, medicina, & qui applicat occultè: eſt mater, quæ poſtquam nos in doloribus crucis peperit, de ſe ipſo, & ſua ſubſtantia nutrit.

trit. Ex hac conſideratione haurienda magna æſtimatio hujus Sacramenti ſuper cætera omnia; magna reverentia, magna confidentia obtinendi omnis boni. S. Paulus ratiocinatur, æternum Patrem donato nobis filio, etiam donaſſe reliqua: *etiam cum illo omnia nobis donavit*, *Rom.*8. Eodem modo, donato nobis in hoc Sacramento Jeſu Chriſto, non negabit alias gratias. Stude igitur ad hoc Sacramentum accedere magno animo, magnaque ſpe habendi cum Jeſu illud omne, quod neceſſarium erit ad tuam ſalutem.

Punctum ſecundum. Conſidera ſingulariter, quo modo hoc Sacramentum præbeat nutimentum, & ſatietatem ſpiritualem animæ, quibus & conſervatur, & creſcit in vita ſpirituali gratiæ: unde quaſi arbor vitæ reſtaurat, quaſi manna roborat ad ambulandum in deſerto hujus mundi ad terram promiſſam: infundit intellectui lumina, & cognitiones vivaciſſimas divinorũ myſteriorum: eſt voluntati fornax amoris, ubi ipſa ſe inflammat in charitate *Dei*, in deſiderio ſanctitatis, & virtutum ſolidarum: concipit horrorem, non ſolum peccatorum gravium, ſed etiam imperfectionũ levium. Eſt hoc Sacramentũ nobis turtis *D*avidica ad comprehendenda remedia contra concupiſcentias noſtras; & arma, ad confligendum cum hoſtibus noſtris. Roborat nos in ultimo puncto contra dæmonem, viaticum nobis præſtans pro altera vita. Enecat in nobis flammas concupiſcentiæ: temperat motus ſenſuum: refrigerat fomitem, quo tam funeſta excitantur incendia: roborat debilitatem noſtræ carnis, ad ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſuſtinenda. En, quanta bona confert hoc Sacramentum! quanta obligatio tua erga Jeſum, quod illud inſtituerit! Ita eſt, mi Jeſu. Intuere igitur plagas hujus animæ, tenebras hujus intellectus, affectiones inordinatas

hujus voluntatis, deſideria meæ concupiſcentiæ, & Spiritus mei debilitatem. Totum hoc dignum eſt pietatis tuæ objectum, & ideò *ſana animam meam*, & amabili tua præſentia reſtaurat perdita, & fac me tuorum participem donorum.

Punctum tertium. Conſidera, quanquam in iſto Sacramento eſt fons gratiæ, promptus ad eam cuivis conferendam, verum tamen eſt, copioſius conferri uni, quam alteri, ob diverſam accedentium diſpoſitionem. In Nazareth, ait Matth. 13. fecit Dominus pauca miracula propter illorum incredulitatem: ita parum recipit in hoc Sacramento, qui non rite ſe diſponit. Hic te conſidera: examina, quâ cum reverentia, affectu, puritate, devotione ad hunc fontem accedas: quo cum emendationis tuæ propoſito, quo cum ſenſu tuæ indignitatis, quanta cum imperfectionum tuarum cognitione. Accede ad hunc medicum cum grandi deſiderio, ut à tuis infirmitatibus te ſanet, aut in factis cum modica ſalutis obtinendæ fiducia patratis. Langues in propoſito adhibendi remedia ad curationem tuam neceſſaria? indifferens es ad obſervandam illam regulam, quam bonus Dominus tibi præſcribet ad obtinendum in ſtudio virtutis progreſſum? O quàm verum eſt, *D*omine, omne ex me eſſe malum. *D*eſideras, mecum tuas communicare miſericordias: at ego me oppono. *D*eſidero ſalutem meo modo, volo ſanari, ſed cum regulis convenientibus meæ phantaſiæ. Volo emendari, ſed vivendo in occaſionibus iisdem: volo creſcere in virtute, ſed retinendo meas curioſitates, vanitates, familiaritates, & affectus; & cum ego ſim infirmus, volo tibi præſcribere rationem meæ curationis, qui es medicus cœleſtis. Et quàm iſtud absque ratione? En igitur ad tuos me projectum pedes: Statue, quod placet, & auxiliare ad efficiendum, ne unquam dicere poſſis animæ meæ:

cura-

curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, Jer. 51.

Die Martis.

MEDITATIO LXVI.

De familiaritate, quam monſtrat Jeſus in hoc Sacramento.

PUnctum primū. Conſidera, Dominū in vita monſtraſſe multam familiaritatem, & ſuavitatem, invitando ad ſe omnes, cujuſcunq; conditionis, pauperes, ignorantes, miſerabiles: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiā vos*; *Matt*. 11. addita promiſſione eos erigendi, & lachrymas abſtergendi. Ad hæc per villas, & caſtella prædicabat: ibat, quo vocabatur, volens: etiam cum una Samaritana ſe diſtinebat, ut eam converteret: neque repudiabat quemcunque peccatorem: imò, propter facilitatem agendi cum illis, offenſionem incurrebat. In ſumma dici de eo poteſt: *Circuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter*, Sap. 6. Nonne inſignis hæc eſt affabilitas? quod ſapientia incarnata, quod majeſtas tanta ſe aptet omnibus, admittat omnes, non repellat perſonas pauperes, rudes, & imperitas, & cum his familiarius, quam cum ornatis nobilitate, ſapientiâ, aliiſque talentis tractet? Conſidera, qualem te in Sacramento geras. Nonne in ſtatu ſummæ familiaritatis eſt poſitus? nonne à cunctis patitur ſe recipi? fortaſſis excludit conditionē aliquā? nunquid accedunt ad hanc menſam divites, pauperes, nobiles, ignobiles, docti, ignorātes, magni, & parvi? Et quæ res cōmunior eſt pane, ſub quo latet, ne quis horreat ad ſumendum accedere? olim fruebantur præſentia externa, nunc ingreditur in nos ad audienda noſtra deſideria, ad exaudiendas noſtras poſtulationes, ad

conferendas ſuas gratias, ad ſuccurrendum noſtris neceſſitatibus. Et qualis tandem hæc eſt familiaritas ipſius *Dei*? dicebat David: *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus.* Et modò; qui communicat, poteſt dicere: hîc, in hoc pectore invenitur Deus meus: *iſte Deus meus*, Exod. 15. Nunquid exiſtimas, familiaritatem iniſſe tecum intimam, tametſi parùm eum ames, & colas?

Punctum ſecundum. Conſidera familiaritatem, quam oſtendit in viis, in domibus pauperis cujusvis infirmi, viſitando, & cibando: apud nos moratur ſemper incluſus ciborio. Exponi ſe permittit in ara ad preces cujuslibet audiendas. Non gravat expenſis, ſed contentus eſt exiguo lumine coram ardente, & Ciborio, etiam ligneò: non obligat nos ad aſſiſtendum ſemper: non detrectat habitare in templo aliquo rurali, ſolitario, & paupere. Si conſtituiſſet, non velle portari in publico, niſi cum maximo comitatu; non velle proponi in ara, niſi cum ſplendido apparatu; non eſſe abſque continua præſentium perſonarum veneratione; magna omnino eſſet gratia, magna familiaritas, etſi multò minùs reciperet, quàm debetur: quid autem, ſi ad iſtarum rerum nihil nos obliget? nonne hoc eſt nobiſcum verſari ſemper velle familiariter, ut adeò videri poſſit officere ejus exiſtimationi apud multos, ſive non credentes, ſive non venerantes. O exceſſus divinæ bonitatis! quis cordis tui teneritudinem poteſt capere, qui hîc oſtendis habere tuas delicias cum filiis hominum. Sciebas optimè, multos fore ingratos, quorum etiam ego de numero: at melius eſſe judicabas, tolerare meam, meique ſimilium ingratitudinem, quàm alios privare tanti amoris argumento. Ah *Deus*! nihilominus ad has flammas retineo cor durum, nec tibi me trado.

Punctum tertium. Conſidera, familiaritatem iſtam, quam nobis Dominus monſtrat & exhibet, debere tanto majorem reverentiam, & obſervationem excitare in nobis. Perſona humilis conditionis, & ex ſe modicæ exiſtimationis, ſi ſapit, quantò apud magnatem aliquem plùs gratiæ, & favoris obtinet, tantò magis eſt obligata, non abuti ea benevolentia: tanto magis tenetur eum revereri, & modeſtè agendo omnia ſe ſubmittere, ad retinendam ſuæ conditionis, & tenuitatis memoriam. Modus in altum ſurgendi, eſt, magnis exhibere ſemper ſe parvum; ita apud Deum grandem ſe facere qui velit, parvum ſe in ejus faciat conſpectu. *Quis ſum ego, & qua eſt vita mea, ut fiam gener Regis*, 1. Reg. 18. dicebat David, quando de filia Regis Saul matrimonio ſibi jungenda cogitabat. Magna tamen officia præſtiterat Sauli David; nequaquam tamen memoriam conditionis paſtoralis dimittebat. Multò plùs debetur huic Sacramento. Obſerva, quantâ colas reverentiâ; an illa familiaritas, & facilitas, quâ uſus eſt erga te Jeſus tuam augeat reverentiam, & obſervantiam; quanto enim ſæpius eum recipis, tanto magis oporteret cognoſcere, & amare, nec unquam tuæ indignitatis oblivíſci, ſed dicere: *qui ſum ego, & qua eſt vita mea?* Quis ego ſum? quæ mea ſunt merita; quæ me dignum fecerint ſumendi Deum? quomodo, peccatis plenus, audebo appropinquare? Agnoſco meam indignitatem; at ſimul agnoſco tuam bonitatem, quæ me excitat ad id, quo me indigniſſimum, tot nominibus, fateor; ideoque cum profundiſſima reverentia accedo: nam ita vis.

Die Mercurii.

MEDITATIO LXVII.

Sanctiſſimum Sacramentum exemplum eſſe virtutis.

P*Unctum primum.* Dominus agens, in hac vita ſpeculum fuit omnis virtutis: unde dicebat: *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quod exemplum continuavit in SS. Sacramento. Et præcipuè docet nos profundiſſimam humilitatem. Demiſit ſe valde æternum Verbum in Incarnatione, formam ſervi accipiendo. At quantò creſcit ultra demiſſio in Sacramento, in quo abſcondit quantus eſt, & quantum habet, omnia dona, omnem ſuam magnitudinem, divinitatem, humanitatem, & videtur ſolùm panis eſſe, nullo dato ſigno, nulla prodita actione, quâ ſe manifeſtet, ita ut una hoſtia conſecrata non diſcernatur à non conſecrata. Si humilitas tantò major eſt, quantò major eſt ille, qui ſe humiliat, & altiùs ſe demittit; quànta eſt humilitas Chriſti, qui poſitus in ſtatu glorioſo, ſe collocat ſub ſpeciebus rerum inanimatarum, & in ſtatu obnoxio omni contemptui? Fecit hic ſe Deus verè abſconditum, & perſonatum, & ſub velo quidem creaturarum inanimatarum, ac ſenſu carentium, ut poſſet intrare in nos, & paſcere nos. Et ad qualem ſtatum adduxit te, JESU, amor noſtri! Quantas ei debes gratias? non agitur de humiliatione unica, ſed continuata, & communi. Quanto demiſſionis exemplo tibi prælucet Jeſus: at quàm id modicè tibi aptas, quam raró ſequeris? *Verè intolerabilis impudentia eſt*, ut, ubi ſe demittit tanta majeſtas, vermiculus inſletur, & intumeſcat, S. Bernard. Serm. 1. Nativ.

Punctum ſecundum. Conſidera obedientiam, & reſignationem, quam Jeſus docet in SS. Sacramento.

Grande

Grande aliquid dixiſſe videbatur Evangeliſta quando dixit: *erat ſubditus illis*, hoc eſt, Virgini, & Joſepho obediebat. Et verò magna res erat, Dominum talem ſe illis ſubjeciſſe. Quantò majorem obedientiam, & reſignationem monſtrat in Sacramento! non paucis annis, ſed ad finem usque mundi: & quàm promptè, dum puncto temporis, quo finiuntur verba conſecrationis, eſt præſens? Non rationem habet, qualis Sacerdos ſit, modo poteſtatem habeat, & formam conditionesque à Domino conſtitutas, obſervet: parùm intereſt, nobilis ſit, an ignobilis, doctus, an ignorans, bonus, an malus, ſubitò, & omni tempore voci illius obedit. Tam volens deſcendit in aliquam villam, quàm urbem: pari voluntate moratur in templo parvo, quàm magnifico, in Ciborio vili, quàm pretioſo, cum uno ſolo, quam cum frequentia, in angulo neglecto, quàm arâ ſplendidâ. Quid tu ad hæc? ſi religioſus es, num tam promptè obſequeris cujuſvis imperantis voci, paratus ad omnem locum, officium, occupationem? num ad regularum tuarum obſervantiam tam exactus? ſi ſecularis, num ita diligens in obſervanda Lege divina, omni tempore, in omni occaſione, in parvis ac magnis? non igitur erubeſcis recipiendo Deum, tam obedientem, ipſe tu inobediens ejus deſiderio & voluntati?

Punctum tertium. Conſidera exemplum perfectæ mortificationis, quod nobis Dominus proponit in SS. Sacramento. Oſtendit, ſe non aliam habere, quàm Sacerdotis voluntatem, à quo ſe regi ſinit, ac duci, tanquã aliquis cæcus. O Domine, veriſſimũ eſt, amore te excæcatum eſſe; quia velut à te immobilis, non habes alium motum, quam aliorum manibus effectum. Non magis unum, quàm alium locum ambis; perinde tibi eſt, in alto eſſe, an in humili. En qualis hæc reſignatio! Prætereà Dominus in Sacramento exiſtens, non ad modum cor-

poris, quod parem ſuæ magnitudini locum occupat, ſed ad modum ſpiritus, totus in tota hoſtia, & totus in quavis minima particula; non videt ſuis oculis, non audit auribus, nihil ſentit odoratu, non loquitur linguâ, ſilentium perpetuum obſervans; & non operando ſenſibus, dici poteſt, perpetuam exercere mortificationē. O ſi in iſto ſpeculo mortificationis tuos ſenſus conſiderares, quantò dulcius tibi evaderet in exemplum perpetuum, quod tibi Dominus offert. Ad eundem modum expendere potes patientiam, quam exercet ferendo tantas irreverentias recipiendi; ignis tamen amoris nequit extingui intempeſtis aquis tantorum peccatorum, quæ committuntur eum ſumendo Expendere pariter potes, quo modo in Sacramento exerceat opera Miſericordiæ, ſpiritualia, & corporalia. Idem dici de virtutibus aliis poteſt, ad earum excitandam in te adeptionem.

Die Jovis.

MEDITATIO LXVIII.

Quomodo Sacramentum ſit memoriale Paſſionis, pignus gloriæ, & compendium mirabilium.

P*Unctum primum.* Dominus ſemel ſacrificavit ſe pro nobis in monte Calvario moriens in cruce, omni ſuo ſanguine effuſo; at non contentus hoc ſacrificio cruento, inſtituit hoc SS. Sacramentum ſub ſpeciebus diſtinctis panis, & vini, ut realis ſeparatio iſtarum duarum ſpecierum nobis ſemper repræſentaret realem ſeparationem corporis, & ſanguinis, quæ in Calvario eſt facta. Ecce Domini conſtantem erga nos amorem. Non ſolùm non pœnituit, mortuū eſſe tantis cum doloribus, & ignominiis pro noſtro bono, ſed ultra ad demonſtrandum ſuum ſenſum, quem tunc habuit, invenit modum ad ſacrificandum ſe pro nobis quotidie, usq; ad mun-

mundi finem, & deſcendendo ſupra aram, ſub ſpeciebus panis,& vini eſſe victima pro nobis in hoc ſacrificio incruento. O *D*omine, tu fuiſti agnus occiſus à principio mundi; ſed hoc non ſatisfecit tuo amori; pergis usq; ad finem mundi agnus eſſe oblatus, quaſi ſemper moriaris in repræſentatione ſacrificii in Calvario facti. O mi Jeſu, quantus eſt amor erga nos tuus! nam licet ingratitudine tanta reſpondeatur tuo beneficio, reliquiſti tamen memoriam tanti ſacrificii in convivio SS. Sacramenti, ut noverimus, tibi cruciatus pro nobis toleratos dulcis loco epuli fuiſſe. O ſi quotidie in ara cordis mei ſacrificem ad honorem tuum omnem meam cupidinem! Præterea cogita, poſtquam ſacrificatus eſt in ara, aſſervatum in Tabernaculo producere quaſi in ſtatu ſupplicantis, ad placandam ſuâ præſentia Patris indignationem, & cum tacita precatione omni momẽto, noſtro nomine, præſtare fidele ſervitium divinitati. Gratias age Domino pro tanta gratia, & quotidie ſiſtendo te ante SS. Sacramentum, offer illum æterno Patri, & junge precibus ejus tuas.

Punctum ſecundum. Conſidera, poſtquam ſuo ſanguine nobis cœlum lucratus eſt, permanere voluiſſe in Sacramento, & dare ſe nobis quaſi pignus, & arrham ipſius gloriæ, ad modum mercatoris, qui cùm nequit emptori dare rem venditam, interea dato pignore de fide caret. Tandem, quid nobis dabit in gloria, niſi ſe ipſum manifeſtum, viſionem, & poſſeſſionem *D*ei per amorem, cum ineffabili dulcedine? Et in Sacramento nonne dat hoc ipſum, obtectum velo ſpecierum Sacramentalium, cùm plus non capiat ſtatus Viatoris? O mi Jeſu, fac mecum omnino, quod facit nutrix, quæ dat infanti eundem, quem ipſa manducat, panem, ſed lacte mollitũ, ſtomacho debili lactantis conſulens. *D*as Beatis, ſed detectum nobis, utpote tenerioribus, das quaſi in lacte in SS. Sacramento. Hunc ad modum, & tanta

cum ſuavitate prævenit tempus illud, in quo robuſtiores erimus per lumen gloriæ ad fruendū te remoto velo. Conſidera magnitudinem beneficii, & diſce omnem, præ iſto, nauſeare paſtum. Adhæc recordare, hoc Sacramentum eſſe pignus gloriæ, quia nobis cavet à peccatis gravibus, minuit venialia, & fervorem paſſionum; & ſuſtentando in nobis vitam gratiæ, dat nobis perſeverantiam, quâ obtinetur gloria. Gratias age Domino pro iſto beneficio, & cura, ne illud malis diſpoſitionibus impedias.

Punctum tertium. Conſidera hoc Sacramentum eſſe compendium rerum mirifſimarum. Deſcendit Jeſus de cœlo ſuper altare, &, cum tot ſit in locis, quot ſunt hoſtiæ conſecratæ, non deſinit eſſe in cœlo ad dexteram Patris. O ſi te poſſim imitari, mi Jeſu, &, dum verſor in terra, variis negotiis occupatus. non deſinerem corde, affectu, cogitatione, eſſe in cœlo. Fac me dignum hac gratia. Jam, poſt conſecrationem, ceſſat ibi eſſe ſubſtantia panis, & vini, & ſubit corpus, & ſanguis Chriſti, & per concomitantiam, divinitas, tres Perſonæ divinæ, cum omnibus perfectionibus divinis. Tanti me igitur, mi Deus, æſtimaſti? tali menſæ accumbere feciſti? & ego neque cognoſco, neque æſtimo gratiam, & cibis aliis addictus me perdo: quid habere præſtantius poſſum! Porrò accidentia panis, & vini ſeparata à ſuis naturalibus ſubſtantiis, & à Deo conſervata, eadem agunt, quæ cùm ſubſtantia panis & vini eſt præſens: & quamvis iſta accidentia mutantur, aut franguntur, nihil tamen patitur corpus Chriſti, ad modum ſpiritus ibi exiſtens, totum in tota, & totum in quacunq; hoſtiæ parte. Vide, quàm mira continuò operatur, ut ſit tuus cibus. Deſidera etiam tu, particeps eſſe iſtarum gratiarum: ut per charitatem totus ſis in beneficiis erga omnes: ut non vivas juxta ſenſuū appetentias, ſed juxta ſpiritum. Roga Dominum, ut, ſicuti ipſe non mutatur,

licet

licet accidentia, quib. velatur, mutẽtur; ita tu non perdas pacẽ cordis, quãvis res externæ turbare te cõtendãt.

Die Veneris.

MEDITATIO LXIX.

De dignitate Communicantis.

P*Unctum primum.* Dicit Chriſtus apud Joan: *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Conſidera eum, qui recipit Chriſtum in Sacramento, in eo manere Chriſtum, & eum in Chriſto, quia efficiendo quaſi unum corpus, & unam carnem cum Jeſu, cujus eſſe divinum, & humanum nobis communicatur, unione non metaphorica, & per affectum, ſed admirabili; quaſi deponitur, & ſuſtentatur, mediante Chriſti humanitate, in Perſona Verbi. O quanta dignitas eſt iſta! unitum eſſe humanitati Chriſti, & per iſtam quaſi unitum eſſe Perſonæ Verbi! Quàm agnoſcere deberet Cõmunicans dignitatem ſuam, & proinde conſiderare, quæ cogitat, dicit, agit? nunquid opera omnia tanquam à membro Chriſti deberent proficiſci? quantum tamen ab iſto degenero ſtatu, & oblitus meæ dignitatis, tam altè me immergo luto terræ. Adhæc dicit Chriſtus, ſe eſſe in eo, ita, ut communicans fiat quaſi thronus, & tabernaculum, in quo reſidet Jeſus, Deus, & homo. O quis perſpicere queat, quo modo eo tempore circumdatus Angelis, qui honorant Jeſum, collocetur in corde humano, tanquam in throno. Quantâ diligentiâ eum adornare, quanto ſtudio deberet cuſtodire, ne unquam reciperetur hoſpitio indigno! Equus ille, qui portavit aliquando S. Pontificem Joannem, detrectavit exinde ſervire aliis: & anima mea toties facta thronus Jeſu in Sacramento, non eſt verita admittere, quod adverſatur Jeſu. Diſce agnoſcere dignitatem tuam, & non demittere te ad abjecta.

Punctum ſecundum. Dicit Paul. 1. Cor. 11. quoties manducatur auguſtiſſimus iſte panis, & bibitur ſanguis Domini, repræſentari ejus mortem. Unde conſequens eſt, eum, qui ſumit Chriſtum, eſſe quaſi ſepulchrum, in quo collocatur, repræſentatus mortuus. O quanta fuit exiſtimatio ſepulchri, quo Jeſus mortuus fuit clauſus? *erit ſepulchrum ejus glorioſum*, dicit Iſai. Quantam accipit dignitatem anima, quæ fit ejus ſepulchrum vivum? Noluit Dominus condi in ſepulchro, aliis antè cadaveribus inquinato, ſed novo, & mundo. Par eſt, ut easdem cor tuum habeat conditiones, cum ſit ſepulchrum Jeſu. Ingentem ſanè gratiam confert Dominus intrando in te, quamvis complura receperis priùs opera mortua. Obligatus es pro tanto beneficio ad procurandam, quàm potes maximam puritatem, & ad rogandum cum Propheta: *Cor mundum crea in me Deus*. Et tamen, quàm hoc agis languidè, & multò magis, quàm negligenter caves, ne, poſt receptum Jeſum, intret aliquid, quod averſetur Jeſus. Omnino, tuâ culpâ, efficitur cor tuum *ſepulchrum concupiſcentiæ*, in quo tuæ appetitiones, & affectus pravi hoſpitium inveniunt. Roga gratiam Jeſum, ut cor tuum obſeratum maneat aliis mundi rebus, pateat ſoli Jeſu.

Punctum tertium. Ait Dominus, ſe ſtare ad oſtium cordis & pulſare; ſi quis aperiet, intrabit, & cum eo cœnabit. Conſidera, eum, qui communicat, domo ſua recipere, & hoſpitium præbere Chriſto. Quanti beneficii loco duxit Abraham, accepiſſe hoſpitio tres Angelos, peregrinorum ſpeciem referentes? quid non egit ad eos bene habendos? Quanto ſe affectam honore judicabat Martha, hoſpitio recipiens Chriſtum? quanta ſollicitudine miniſtrabat hoſpiti tanto? Eſt tamen idem Dominus, quem tu recipis: quam autem

ei ſplendidè domum adornas? quid non agitur ad hoſpitium Principi parandum? & tu cum Deo tam frigidus es, & remiſſus? quàm modico antea tempore quid agendum cogitas? quàm frigidè occurris? quàm languidè in domum introducis? quàm facile te avertis, ad res alias conversus, & nimis citò obliviſceris, eum hoſpitio recepiſſe in anima tua? quos bonorum affectuum ei cibos apponis? Num cogitaſti aliquando, quoties cauſam conquerendi contra te habuerit, ut olim conqueſtus eſt de Phariſæo: *Intravi in domum tuam, oſculum mihi non dediſti, oleo caput meum non unxiſti, aquam pedibus meis non dediſti.* Quibus tu pœnitentiæ lachrymis laviſti ejus pedes? quo devotionis oleo unxiſti caput? quâ venerationis cærimoniâ ſalutaſti? Saltem agnoſce, & deteſtare præteritos defectus, & illas venerationis, ſubmiſſionis, amoris rationes inpoſterum obſerva, quas meretus tantus hoſpes.

Sabbatho.

MEDITATIO LXX.

Quam damnoſum ſit, indignè accedere ad SS. Sacramentum.

P*Unctum primum*. S. Paulus 1. Cor. 11. dicit: *qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit.* Conſidera, quàm terribile ſit hoc dictum. Igitur Jeſus, qui eſt in hoc Sacramento ſicut mater ad lactandos filios; ut amabilis pater ad eos recreandos; ut pius Redemptor, ad merita ſua nobiſcum communicanda, & gratias; eſt etiam ut Judex in tribunali, ad ferendam ſententiam mortis & damnationis? Ita eſt. *Mors eſt malis, vita bonis.* Operatur Dominus in Sacramento pro ratione diſpoſitionis recipientium. Quare qui accedit amicus, accipit gratiam;

qui

qui accedit inimicus, & in peccato, accipit ſententiam condemnationis. Ita,ut Jeſus non reſpiciat, an is,qui Euchariſtiam ſumit, multas preces recitet, ſed qualis voluntas ſit, an peccatis, & affectibus pravis implicita; aut ſi mens bene eſt compoſita, an motus animæ ſint juſti, quem ille locum habeat in iſta anima, Præterea cogita, neminem excipi ab Apoſtolo, ſive grandem,ſive parvum,ſive Religioſum,ſive ſecularem, à condemnationis ſententia, ſi accedat indignus. Quare non oportet accedere temerè; non propter conſuetudinem; ſed cum ſingulari attentione, præparatione, ſenſu. Propterea dixit Paulus: *probet ſe ipſum homo.* In aliis cibis præmittitur experimentum non palati,an ſit bonus, ſed an cibus bene ſit maturus: at in accipienda Euchariſtia videndum eſt, non,an ipſa ſit bona, ſed an animæ palatus bene ſit diſpoſitus. Require nunc à te, an hoc examen præmittas diligenter in anima tua,quò eam purgare,uti decet,poſſis.

Punctum ſecundum. Conſidera, quam gravis noxa ſit accedere ad hoc Sacramentum cum conſcientia peccati gravis. Offenditur *D*eus immediatè, & una divina Perſona,non ejus imago, aut res alia,quæ non ſit *D*eus. Si igitur grandis offenſa eſt, conculcare imaginem Dei, aut alicujus Sancti, aut eum offendere, qui eſt loco *D*ei; Etſi exaggerat Saulus delictum ſuum, tanquam graviſſimum, quia fideles perſequutus eſt, qui ſunt corpus myſticum Chriſti; quàm grave peccatum erit in Communione indigna offendere Deum ipſum, hominem & Deum ſimul. Unde Paulus: *reus eſt corporis, & ſanguinis Domini.* Et quaſi alter Judas tradit,& peccat contra verum *D*omini corpus. Deinde grandem temeritatem committit, qui indi-

gnè

gne recipit Euchariſtiam: cùm enim intenderit Dominus per hunc cibum divinum unire te ſibi, & quaſi transformare in ſe; qui accedit indignus; id agit, ut uniatur Sanctus Sanctorum peccatori. Et quæ major injuria poteſt inferri Chriſto! quam lux habere communicationem cum tenebris poteſt, ſumma puritas cum ſordibus, Chriſtus cum dæmone? Quàm enorme ſcelus patraret, qui conſecratam hoſtiam projiceret in fimum? nunquid deterius eſt, eam recipere in animam peccatis fœtentem! Quanto dolore, ſi capax eſſet, angeretur Pater æternus, cernens usque malè haberi ſuum filium? filius ipſe videns tantopere ſe offenſum? Spiritus S. qui ſacratisſimam formavit humanitatem? Virgo, quæ tantopere amat Jeſum? Angeli, videntes panem ſuum indignius projici, quàm canibus! Stude etiam tu deteſtari tantam offenſam, & precare Dominum, ne unquam te in eam prolabi permittat.

Punctum tertium. Conſidera, damnoſiſſimum eſſe recipere Euchariſtiam indignè. Quia quemadmodum cum bona diſpoſitione accedens ad iſtam menſam, accipit robur ſpirituale, inſtaurationem, conſolationem, augmentum gratiæ; ita qui accedit indignus, recedit debilior, magis ſubjectus pravis affectibus, obſtinatior, & magis induratus in peccato. *Quam multi de altari accipiunt, & moriuntur.* S. Aug. tr. 26. in Joh. aut jam antè mortui per peccatum grave, aut ad mortem feſtinantes, dum per venialia privantur gratiâ majore, cujus defectu anima ſenſim deterior effecta declinat in mortem. Quàm igitur ſtudioſe te ipſum inſpicere, vitæque tuæ rationes expendere deberes! Non excidat animo, accedendo ad hanc menſam, accedere te pariter ad tuum judicem. Et quæ major inveniri poteſt ingratitudo, quàm, Domino ſuos in hoc Sacramẽto theſauros offerente,

rente,

rente, accedere ad eum, aut animo malo, aut parum diſpoſito? Nunquid anima tua purior eſſe deberet radiante Sole? ſi datur opera, ut Corporale, in quo corpus Chriſti ponitur, ſit candidiſſimum; ut calix, qui ſanguinem excipit, ſit inauratus; non munda ſit anima, & aurea tota charitate? qui cantat Evangelium, petit, ut labia ſua ſint mundata carbone ignito; & lingua, quæ recipit Dominum, non ſit pura ſermonis omnis indecentis? Deteſtare omnem præteritam irreverentiam: labora ornare animum ſanctis affectibus, cum accedendum ad Dominum: time, ne tuæ negligentiæ impediant fructum cibi tam divini.

FINIS.